




6
38MK
36



EXEGESIS HISTORICA, NON MINVS ÆQVAS,

quàm graves commemorans caussas, quibus amplissimi Ordines Regni Sueciæ prouocati, SIGISMVNDVM Tertium, Regem Poloniæ, eiusq; progeniem vniuersam, in omnem æuitatem, Suecano exuerunt Diademate; & omnem (quâ nomine iurkiurandi, ac vnionis hæreditariæ obstricti tenebantur) obedientiam illi prorsus renunciantes,

SERENISSIMVM, ÆQVE AC POTENTISSIMVM PRINcipem, *D. CAROLVM IX.* Suecorum, Gothorum, Vandalorum, Finnonum, Carelorum, Lapponum Borealium, Caianorum, & Esthonum in Liuoniâ Regem, unâ cum subsequuturâ S. R. M. liberorum legitimâ propagine, pro suis, & totius Regni Sueciæ Regibus, ac veris Dominis (velut unio illa hæreditaria, Anno 1604. Norcopiæ comprobata, luculentum perhibet testimonium) subrogarunt, atq; coronarunt.

Omnibus, & singulis veritatis amantibus, & huius Sueopolonici cognoscendi cupidis litigij, directioni, atq; informationi.

Cum gratiâ, & priuilegio potentissimi Regis Sueonum.

STOKHOLMIAE
Ex Molybdographiâ Gutterviciana.
Anno CIↃ IↃC. XV.



PROGRAMMA.



Arte Nepos Patruum stimulat, non arma merentem,
Et cladem patrio, fert Patriota solo:
Quippe Sigismundi, bis senis sensit aristis
Lar Sueticus, gravius Finno, Livoq́ꝫ sagum.
Rex Sueonum CAROLVS varijs hunc tollere Martem:
Consilijs nixus, spes sed inanis erat,
Non volupe maius Regi solet esse Polono,
Sternere quàm ferro compopulare caput.
Hinc DEVS iniustum spoliat successibus hostem
Sæpius, ut discat fœdus inire sacrum,
Iureq́ꝫ iurando promissum seruet ubiq́ꝫ;
Hosti quandoquidem sit retinenda fides.
His nisi Rex CAROLVS, magno discrimine vita,
Obuia portasset pectora sæpè malis,
Obruta nunc Sueonum Respublica clade iaceret,
Impius & nostros cultor haberet agros:
Hæc tibi, Lector, opus præsens commonstrat abundè;
Assiduò hunc igitur volue, reuolue librum.

Beneuolo Lectori salutem.



VM potentissimus Sueonum, Gothorumq; Rex IOHANNES, Regnum cœleste, cùm terreno permutasset, secundum vnionem hæreditariam, illius maior natu filius, Sigismundus Tertius, Rex Poloniæ, Suecanum Diadema consequutus est: Verùm quandoquidem neq; iuramentis, litteris, aut pactis ullis postmodùm steterit, quibus ab illo Sueones fuerant assecurati, eum vniuersi Ordines Regni Sueciæ, Regio deturbarunt solio, ad illud protinùs Serenissimo Domino CAROLO, Regni Sueciæ Principe hæreditario, Duce Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, iure sublimato. Etenim non solùm in Sueoniâ, Finnoniâ, & Liuoniâ discordias, tumultus, bonorum direptiones, incendia, vastitates, & sanguinis profusiones, sine ullâ causâ legitimâ commouit, & hodiè quoq; crudelissimè commouet; Verùm etiam vicinorum Regum, & Principum, in patriotas suos innocentissimos exacuere mucrones, sæpiùs attentauit; quibus nisi potentissimus Rex CAROLVS, pro singulari suo in patriam amore, machinationibus, &

PROGRAMMA.




Arte Nepos Patruum ſtimulat, non arma merentem,
Et cladem patrio, fert Patriota ſolo:
Quippe Sigismundi, bis ſenis ſenſit ariſtis
Lar Sueticus, gravius Finno, Livoq́; ſagum.
Rex Sueonum CAROLVS varijs hunc tollere
Conſilijs nixus, ſpes ſed inanis erat, (Martem:
Non volupe maius Regi ſolet eſſe Polono,
Sternere quàm ferro compopulare caput.
Hinc DEVS iniuſtum ſpoliat ſucceſsibus hoſtem
Sæpius, ut diſcat fœdus inire ſacrum,
Iureq́; iurando promiſſum ſeruet ubiq́;
Hoſti quandoquidem ſit retinenda fides.
His niſi Rex CAROLVS, magno diſcrimine vi-
Obuia portaſſet pectora ſæpè malis, (ta,
Obruta nunc Sueonum Reſpublica clade iaceret,
Impius & noſtros cultor haberet agros:
Hæc tibi, Lector, opus præſens commonſtrat abundè;
Aſſiduò hunc igitur volue, reuolue librum.

Beneuolo Lectori salutem.



VM potentissimus Sueonum, Gothorumq; Rex IOHANNES, Regnum cœleste, cùm terreno permutasset, secundum vnionem hæreditariam, illius maior natu filius, Sigismundus Tertius, Rex Poloniæ, Suecanum Diadema consequutus est: Verùm quandoquidem neq; iuramentis, litteris, aut pactis ullis postmodùm steterit, quibus ab illo Sueones fuerant assecurati, eum vniuersi Ordines Regni Sueciæ, Regio deturbarunt solio, ad illud protinùs Serenissimo Domino CAROLO, Regni Sueciæ Principe hæreditario, Duce Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, iure sublimato. Etenim non solùm in Sueoniâ, Finnoniâ, & Liuoniâ discordias, tumultus, bonorum direptiones, incendia, vastitates, & sanguinis profusiones, sine ullâ causâ legitimâ commouit, & hodiè quoq; crudelissimè commouet; Verùm etiam vicinorum Regum, & Principum, in patriotas suos innocentissimos exacuere mucrones, sæpiùs attentauit; quibus nisi potentissimus Rex CAROLVS, pro singulari suo in patriam amore, machinationibus, &

armis promptè obuiasset, possessionum, corporumq́; dispendium Sueones certissimum, grauissimumq́; dudùm adiuissent; Pro tanto autem, tamq́; immenso in patriam beneficiò, nunquid clarissimus Princeps Carolus, Regalia non promeruerit insignia, Rege Sigismundo, ob ingratitudinem erga natale solum, Regià dignitate spoliato? Quod cùm ita sit, sui infortunij, atq́; diuturni huius belli, Sigismundus Rex faber, & author solus extitit, nullà prorsus culpâ in potentissimo Rege Carolo, aut Regni Sueciæ Ordinibus residente; Idq́; ut cunctis, per complexum Christianitatis innotescat mortalibus, insontesq́; Regni Sueciæ inhabitatores, aduersus calumniatorum morsus defendantur, constitutiones, & transactiones interim celebratas, literasq́; utrinq́; hactenùs destinatas, in hoc volumen redigere, & publicæ illud potestatis facere, Sueones decreuerunt; Quandoquidem veritas nunquã melius dilucescat, quàm vtriusq́; partis Epistolijs allegatis, & introductis; Neq́; firmius, atq́; facilius aduersarius conuincatur, quàm proprijs verbis, & scriptis redargutus: Hunc proindè, Lector, attento, atq́; candido percurre animo codicem, innocentiam Sueonum, Gothorumq́; defende, & quàm rectissimè vale.



NIversi orbis christiani Monarchis, atq; Summatibus, reliquisq; cuiuscunq; conditionis, atq; status mortalibus, qui veritatem præsentis cognoscere desiderant Historiæ, probè cognitum, atq; exploratum arbitror, quòd omnibus per Christianitatē regionibus, Imò in toto propemodùm mundi complexu, usu, consuetudineq; solenni receptum sit, & ab ipso mundi nascentis exordio iugiter continuatum, ut Principes Regali insigniantur Diademate, aut electionis, aut hæreditario iure; quemadmodum ex Historicorum, tàm veterum, quàm recentium monumentis liquidò constat; Proindè etiam in Sueonum Throno, uterq; Reges constituendi mos, alternâ fermè floruit vicissitudine: Quippe Regnum Sueciæ, non tantùm peculiaribus gaudebat legibus, statutis, Regum designationibus, & iurisdictionibus, postquam fidei syncerioris illi radius illuxit; verùm etiam multis antè seculorum curriculis, atq; adeò, ab ipso pullulantis Reipub. Sueonum, Gothorumq; primordio, profundissimæ gentilitatis caligine inuolutæ, commemoratis oppidò enituit prærogatiuis, Historicorum tàm nostratium, quàm transmarinorum suffragante collegio. Quamobrem Suecia, liberâ quondam Regis pollebat electione, siuè Ordines alienigenam, siuè indigenam regio collocare fastigio decreuissent, obligatione iniunctâ, ut subditorum demandatam multitudinem numerosam, ab iniuriæ, & violentiæ tueretur, pro virili, grauaminibus, atq; legum, consuetudinum priscarum, constitutionum legitimarum, priuilegiorumq; quàm maximè studeret vigori, atq; obseruantiæ, velut in alijs probè ordinatis, consuetudine receptum conspicitur regionibus. Quanquam verò nonnullæ contigerint violentæ accessiones intereà temporis in hoc regno, plurimiq; tàm patriotarum, quàm proselytarum, armorum freti potentiâ, Regnum Sueciæ iure suo, liberâ electione, iurisdictione, & priuilegijs spoliare, per summum scelus, attentarint, undè velut prælargâ ex scaturigine, bellorum tumultus, sanguinis profusiones, agrorum incendia, bonorum rapinæ, multaq; alia

Regna hæreditaria vel Eclogica.

Suecia olim Eclogicum regnum.

alia infœlicitatis flumina, copioso promanarunt eluuio: Nihilominùs tamen singulari prouidentiâ Numinis effectum, ut Regnum Sueciæ, pristinas semper iuris, atq; consuetudinis obtineret, & mordicùs conseruaret prærogatiuas. Ac licet Regna eclogica, iure electionis liberè porita; tamen toto orbis Christiani circo consuetudine approbatum fuit, ut Regum filij superstites, præ reliquis Throno collocarentur regali, dignitati si virtutis responderēt insignia; Qui laudabilis sanè mos, legum Sueciæ conformis tenori, atq; patrijs annalibus. Enimuerò quamuis Suecana respublica, libertate electionis absolutâ frueretur; Nihilominùs tamen regalis habuit respectum familiæ, quemadmodum potententissimæ regiæ illæ prosapiæ S. Erici, cum filio Canuto; & Suercheri regis, cum filijs Carolo, & Iohanne, euidenter attestantur; atq; etiam celeberrima laudatissimi Principis Birgeri Ierl progenies adstipulatur, cuius filij Valdemarus, & Magnus cognomento Ladulas, Neposq; Birgerus, & pronepos Magnus Smeek, per ordinem, rerum apud Suecones, non sine ingenti ad posteros transmisso encomio, plerię; sunt potiti. Quæ percelebris Reges designandi consuetudo, etiam Romano viguit imperio (ut locuples domus Austriaca testis) & in Regno Bohemorum, atq; Polonorum, qui Regiam contulerunt purpuram Iagellonis VVladislai propagini, ad Sigismundum usq; Augustum; imò etiam in Daniâ, idem moris nostra attigit tempora, cùm Dano resplenduerit Diademate, plurimis annorum decursibus, Christierni Oldenburgensis inclyta progenies, de quâ modernus Rex Christianus Quartus. Etsi autem Sueonibus permagnæ fuerit curæ, ne regiæ propinquiorem stirpi, regalibus defraudarent insignibus; tamen duro necessitatis iaculo subindè compulsi, viciniorē sanguine sunt prætergressi, Reipub. clauo magis idoneum gubernando, eligentes; Quâ ratione cum Magno Ladulas, germano illius Valdemarō primogenito, Regni habenis minùs apto, iure processerunt; atq; etiam cum alijs, ut ex sequentibus constabit tractatibus; Quod sanè Regni Ordinibus vicio minimè vertendum arbitror; Cui namq; potiori iure Regni fasces committendi, quàm Reipub. commodis, æquitati, tranquillitati, & optimæ in utroq; statu politiæ, Religionis orthodoxæ conseruationi, ædium sacrarum, & eruditionis palæstrarum erectioni, rapinarum, & tyrannidis propulsationi, indefesso pectore aduigilanti, quiq; sine personarum respectu, æquitatem admini-

Regia proles sceptro proxima.

ministrat, priuilegijs à maioribus acceptis nihil derogat, verborum, diplomatum, promißionum amußim obseruans, priuato seposito emolumento, pro virili, æcumenico indulget é

Eiusmodi semper magni æstimarunt Suecones *virtutum comitatus, ideóq; neminem solio dignum regio censuerunt, cuius pectus honorum copioso non splenderet lumine, iure hæreditatis, consanguinitatis nexu, amicitiæ utilitate, penitùs dispicatui ductis, præ virtutum decore, & heroicis facinoribus, ex gubernatorum emicantibus animo.* Virtus digna corona.
Hæc liberrima Reges *indigitandi suffragia, apud* Suecones *plurimis annorum lustris floruerunt; atq; adeò ad illa usq; secula, quibus* Suecana *Natio, non leuitatis aurâ quâpiam, sed neceßitatis insolenti turbine permota, Serenißimum Gustauum* Erichsonium*, natalium splendore illustrißimum, regali dignum fastigio, primò* Strengnesiæ *proclamauit;* 1523. 6. Iun. *posteaquam non sine præsentißimis sæpenumerò vitæ discriminibus, è sanguinolentis Christierni Secundi Regis Daniæ manibus, patriam cruore affatim madentem, singulari Martis, & Fortunæ benignitate extorsisset: undè ab inauguratationis tempore, Olympiade euolutâ, quâ decuit festiuâ solennitatis pompâ, omnium Regni indigenarum suffragio, Regio titulo, & insignibus Vbsaliæ decoratus.* 1528. 12. Ian. *Non multis deindè annis interiectis, ab uniuerso Sueciæ Senatorio collegio, equestriq; numerosâ coronâ,* Rex *Gustauus, hæreditaria Regni sceptra consequutus, ita ut S. R. M:tis de lineâ soboles masculâ, vel unâ superstite, hæres secundum hæredem, Regni adiret, capeßeretq; solium: Quæ hæreditaria unio, Örebrogiæ actitata, & consummata,* 1540. 4. Ian. *quadriennio vix transacto, ab uniuersis* Sueonum *Ordinibus, etiam Arosiæ approbata.* 1544. 13. Ian. *Hac itaq; solenni commitiorum festiuitate, ex Regno eclogico, hæreditarium, præfato tenore, & modo, in Sueciâ, rerum supremâ urgente neceßitate, constitutum; Neq; hoc pacto* Suecones*, noui quidpiam, & inusitati suæ obtruserunt Reipub: Sed maiorum vestigijs, & exemplis inhæserunt.* Suecia regnum hæreditarium. *Nam trecentis exindè propemodùm annis, omnes* Sueciæ *Ordines, utriusq; politiæ, sese Magno cognomine Smeek, Regi Sueciæ, & illius filijs Erico, atq; Haquino, pari fermè obligarunt, & alligarunt ratione: ijs tamen, quas unio hæreditaria,* Varburgi *in Halandiâ fabricata indigitat, conditionibus; unionis autem eiusmodi est tenor, & contextus:* 1343.

Vniuer

Vnio tempore Magni Smeek R. S. instituta, 1343.

VNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Petrus Lunden. & Hemmingus Vpsalen. diuinâ miseratione ecclesiarum Archiepiscopi, Petrus Lincopen. Siggo Scaren. Frenderus Strengnen. Odgislus Arosiensis, Hemmingus Aboën. & Boëtius Vexionen. ecclesiarum, eâdem miseratione episcopi, Ioannes monasterij omnium Sanctorum Lundis, Renaldus in Aluastrà, Sueno in Herigodo, Vimmarus de Varnhem, Andreas de Sinth. Folcho de Nouâ valle, Michaël de Biakkaskog, Henricus de Sabà, N. de Tunatorp, & Andreas de Asylo, Abbates; Petrus Dalbien. & Godefridus de Eschilsthunà, priores; Nec non capitula ecclesiarum cathedralium, & conuentus monasteriorum prædictorum salutem in domino sempiternam.

CVM regnum Sueciæ, & terra Scaniæ, ita legaliter, & indissolubiliter vnita sint, & coniuncta, quòd vnum de cætero regnum censeri debeant perpetuis temporibus, ac vnius regis præsidio gubernari, sicut patentes litteræ, & manifesta instrumenta super hoc edita, lucidius edocent, & declarant, nos vnionem memoratam prompto, & beneuolo amplexantes affectu, firmiter promittimus, quòd magnifico principi domino nostro clarissimo, Domino Magno Sueciæ, Norvegiæ,

negiæ, & Scaniæ regi illustri, suisq; successoribus, & hæredibus, pro dicto regno Sueciæ, & Scaniæ, in vnione præfatâ retinendo; nec non pro eodem, cum suis iuribus, & iustitiâ, contra omnem hominem defendendo astabimus fideliter verbis, factis, consilijs, & auxilijs, quantùm possumus, iure ecclesiæ, ordine, & officio nostro saluis: habituri deinceps limites dicti regni Sueciæ, qui antè citra Scaniam tenebantur, in ipso passagio Öresund, eiusdemq; vsq; illuc, vnà cum alijs confinijs, & limitibus eiusdem regni Sueciæ, & Scaniæ, vbicunq; illud hostiliter inuadi contingat, cum omni fidelitate, & toto posse nostro, viriliter, & vnanimiter, cum Dei adiutorio defensuri. Cæterùm reuoluentes sedulò in intimis cordis nostri, quàm plena sit periculis, & onusta dispendijs intestina dissensio, ea potissimùm, quæ solet multotiens ex vacillatione regiminis prouenire, & tantis malis, quantùm Deus permiserit, prospicere circa regni requiem cupientes, firmiter promittimus, quòd inclytum domicellum, Dominum Ericum, filium dicti Domini nostri Regis seniorem, iuxta consilium, & voluntatem eiusdem Domini nostri, in regem, & Dominum nostrum, super dictum regnum Sueciæ, & Scaniæ terras, Prouincias, & Insulas tributarias, ad idem

Limites Regni Sueciæ

Designatio hæreditaria Erici 12.

regnum pertinentes, omni quo decet honore, secundum debitam formam, & consuetudinem, ab antiquo iure, in regno Sueciæ approbatam, in loco, pro electione Regis deputato, vnanimiter, & concorditer eligemus, obligantes nos, & nostrum quemlibet ex tunc, ad seruiendum sibi, cum omni obedientiâ, fidelitate, seruitij homagijs, & fauore, prout ex debito, veri subditi tenentur domino suo facere, & vero Regi, saluo per omnia, eidem Domino nostro regi Magno patri eius, iure regendi, vt prius, præcipiendi, ordinandi, & statuendi toto tempore, quo superstes fuerit, circa nos subditos suos, & Regni res, ac negotia, quæ pro commodo, & vtilitate regni viderit expedire. Item promittimus firmiter, vt priùs, quòd si præfatum Dominum nostrum regem Magnum (quod Deus avertat) nobis viuentibus migrare contigerit ab hac luce, inclytæ Dominæ nostræ reginæ Blancæ, & dicto Domino nostro regi Erico, ad honorem, & seruitium in omnibus fideliter erimus, eisq; in suis iuribus in Succiâ, & Scaniâ fideliter astabimus, iuxta posse; Et si idem Ericus rex noster, pro tunc minor annis fuerit, sibi, & regno suo Sueciæ, & Scaniæ, iuxtà consilium, consensum, & ordinationem nobiliorum eiusdem regni Sueciæ, & Scaniæ, inter indigenas, Gubernatores

nàtores deputentur, & castra omnia, ac Regni munitiones, cum eorundem consilio, & prouisione, per indigenas gubernentur, donec eum ad legitimam ætatem Deus dederit peruenire. Si verò dictum Dominum nostrum regem Ericum, sine liberis existentibus decedere contingat, tunc alium, de filijs Domini nostri regis prædicti Magni superuiuentibus, qui conuenientior, & aptior habeatur, in regem, & Dominum nostrum super antedictum regnum Sueciæ, & Scaniæ terras, Prouincias, & Insulas memoratas, & nullum alium ritè, & rationabiliter, vt conuenit, eligemus. Item si ipso D. nostro Erico rege supradicto superstite, vel eius liberis existentibus, contingat Dominum Haquinum fratrem eius, quem idem pater ipsorum, Dominus noster rex Magnus, regno suo Noruegiæ præfigendum duxerat, principatum, seu regnum Sueciæ regni, & Scaniæ, contra istud patris sui, & matris factum, velle vsurpare, tunc eidem domicello Haquino, totis viribus resistemus; quod etiam proceres, & Domini in regno Noruegiæ promiserunt, quòd eidem domicello Haquino, in nullo penitùs consilium, auxilium, vel fauorem ministrabunt, quorum prætextu, contra hanc constitutionem veniat, vel contra venire attentet in futurum. Similiter si (Haquinus Rex. Noruegiæ.)

 contingat

contingat Dominum nostrum regem Ericum supra dictum, ad regnum Noruegiæ velle se intrudere, domicello Haquino, & eius liberis existentibus, pari modo promittimus, quòd in hoc facto, ipsi D. nostro regi Erico memorato, nullatenùs coadiutores erimùs, aut fautores. Et si contingat, quòd vterque dictorum fratrum, vel eorum alter, contra promissum patris eorundem, & nostra facta venire voluerit, & alienigenarum, seu extraneorum ad hoc auxilium adduxerit, & per hoc regnorum prædictorum aliquod inuadere hostiliter, seu subintrare attentauerit, extunc regnum vtrumque, scilicet Noruegia, Suecia, & Scania vnanimiter, & simul totis viribus, & posse, huic eorum voluntati resistere efficaciter laborabit, quodcunq; regnorum prædictorum prius, vel pluries, circa talia fuerit necessitatum, ad hoc finaliter, & intentè, vt eorum paterna, tàm prouida pacis simul, & concordiæ præordinatio, in suis viribus, & pleno robore irrefragabiliter perseueret; & si memoratum dominum nostrum regem Magnum illustrem, contingat habere liberos, pro tunc promittimus, vt superius, quòd ipsorum quemlibet, vtriusq; sexus, in suo iure, & honore iuuabimus, prout ipsis, & eorum statui, conditioni simul, & sexui congruerit, & competierit, secundũ leges, & statuta regnorum prædictorum,
tàm

tàm Sueciæ, & Scaniæ, quàm Noruegiæ, & iuxta consuetudines, in eisdem regnis approbatas. Verùm si quis cuiuscunque conditionis, aut status, contra præmissa, vel eorum aliquà in parte, vel in toto se opponere, aut ea adnihilare, vel infringere quomodolibet nostris temporibus attentauerit, promittimus firmiter sicut suprà, quod eidem, quominùs id efficiat, totis viribus, & posse nostro viriliter, & vnanimiter resistemus consilijs, & auxilijs, quantùm possumus, iure ecclesiæ, ordine, & officio nostro saluis: Quamuis autem liberâ, & spontaneâ voluntate, ac affectanti animo, huiusmodi negotium, prō bono pacis fecisse dignoscimur; Per hoc tamen iuribus, & consuetudinibus in regno Sueciæ, & Scaniæ, ab antiquo tempore, de regum electione obseruatis, in nullo penitùs voluimus derogari, quin ad nos, & successores nostros, regum electio, cum iuribus suis omnibus, post mortē dicti Domini nostri regis Erici, vel alterius Domini nostri, Domini Magni filij, quem, ipso D. N. Erico regè prædicto, sine liberis (quod absit) mortuo, in regem, vt præfert, eligemus, liberè reuertatur: Vt autem præmissa omnia, & eorum quodlibet maiorem habeat firmitatem, sigilla nostra præsentibus duximus opponenda. Datum Varburgi, Anno Domini 1343. octauâ beati Martini Episcopi.

PErsimili tenore ordo Equestris, hereditariam vnionem, eodem tempore cudit, & consensit, vt ex peruetustis Sueonum annalibus, euidens licet colligere testimonium. Præterquam verò quòd Ordines Regni Sueciæ, priscorum Exemplis, & maiorum vestigijs inhæserint, ut recitata vnio locuples nobis testis, etiam, prô dolor, non sine ingenti cruciatu, & ærumnis maximis probè cognouerunt, atq; experti sunt, in quibus damnis, intestinis seditionibus, sanguinis profusionibus, & multifarijs detrimentis, incommoditatibusq;, Regnum Sueciæ susq; deq; ferebatur, cùm fuerat Eelogicum; Illam verò maximè ob caussam, quòd Senatorium collegium, reliquusq; indigenarum ordo, sententijs, & votis non conspirantibus in Rege designando, certaret; quemadmodùm cùm peruetusta, & inclyta Regum Sueciæ prosapia, de Regali solio, importunâ mortis violentiâ foret sublata, (quæ terminum sortita est, omnibus mortalibus præfixum, de viuorum numero sublato Magno cognomine Smeek, Rege Sueciæ) vsu venisse constat: Quippè, eà tempestate, multa infœlicitatis radix agi cæpta, vnde multa rerum metamorphosis, atq; perturbatio, fœcundò excreuit prouentu; quòd conspirare non possent in Regiâ personâ designandâ; atq; ità de electione fuerunt votis, & animis discordantibus, ac vnusquisq; in venando Diademate Regali, conabatur alterum præuertere; Sicut etiam quidam, indigenam, quidam verò alienigenam Regem expetierunt: Quæ sanè votorum variatio, ansam præbuit perniciosis dissensionibus, inter Regni ordines exortis, vndè sanguinis ingens eluuium, et Regni penè totius ruina subsequuta est.

Insuper Regni Ordines, præter allata rationum momenta, præmaturo iudicio, atq; ratione, sibi in mentem reuocarunt, ineffabilè illud beneficium, quod Serenissimus Rex GVSTAVVS illis, & vniuerso Sueonum Regno, in urgentissimâ, & planè extrema necessitate, paterno contulit affectu: Quippè S. M. (piæ recordationis) non solùm vitam ipsam, opes atq; possessiones vniuersas, pro Regni Sueciæ salute, & incolumitatè promptissimè deuouit; Verùm etiam, Secundum Dei præpotentis præsentissimum auxilium, non sine certissimo vitæ discrimine liberauit ex crudelissimi illius, & omnium mortalium iniquissimi Christierni Regis Daniæ, immani tyrannide, cædè proborum Regni ciuium, bonorum repinâ, atq; ædium incendijs,

alijsq;

alijsq; crudelißimis, & inhumanißimis violenti facinoribus, quibus Suecana Respub. *illiusq; indigenæ, absq; omni hominum auxilio, & subsidio miserrimè obruti premebantur; Quo grauißimo proindè subtractos iugo, pristinæ libertati, potentiæ, iustitiæ, æquitati, atq; gloriæ restituit.*

Præterea quod maximè concelebrandum, primus Rex GVSTAVVS *fuerat, celitùs planè delapsus, qui auxilio, gratiâq; diuinâ roboratus, ex Pontificiorum horribili caligine, quâ vndequaq; circumfusum* Regnum *Sueciæ, benignißimè eductum, luce immensâ diuini verbi illustrauit.* Neq; *minori erant* Serenißimo Regi *curæ, iura Regni, atq; statuta, optimaq; politia; imò noctù, diuq;, pro salute, & incolumitate subditorum, eorum agriculturâ, ædificiorum structurâ, alijsq; mechanicis emolumentis, vndè vberrimà, pro tempore, plurimi reportant commoda, mirisq; industriàm, & paternam solicitudinem* S. M. *laudum encomijs efferunt, iugiter excubabat.* Similiter *non minùs molestiæ dignata est* R. M. *suscipere, in peruestigandis metallorum fodinis, cuiusmodi mineræ argenteæ, cupreæ, ferreæ, calybeæ, sulphureæ, atq; nitreæ, quarum* (Deo æterno gloria) *ingens nunc in* Regno *Sueciæ copia:* His *autem expeditius, & commodius pertractandis, artificiosas fabricas, malleos prægrandi pondere libratos, dexterrimos aquæductus, & alia perutilia montanis operis, imò toti* Regno *Sueciæ, adinuenit industriâ* Singulari, *ergastula.* Neq; *solùm præsentium rerum gessit curam, & quæ, illo inter viuos agente, contingere poßent, multa disposuit solicitudine;* Sed *etiam eorum tangebatur* Regium *pectus* Solicitudine *negotiorum, quæ ex hac vitæ statione, spiritu* Regio *vocato, charißimæ patriæ obuenire poterant.* Idcircò *ut omni rerum perturbationi, in* Regnum, & Rempub. *Sueonum aditum præcluderet, potißimum ut seditionis ansam, ab illustrißimis filijs declinaret, quæ succedente tempore, & instantibus annis facile porrigenda, laudabile prorsùs, atq; Christianum condidit testamentum;* Quod *profectò non tantùm illustrißimæ soboli; verùm etiam cunctis* Regni Ordinibus, *instar normæ, amußisq; fuerat obseruandum, à quo ne latum quidem vnguem esse digrediendum, obligationem* Regni Statibus *seuerè imposuit.* Huius *verò præcipuus testamenti scopus, vt* R. M. *liberi; & illo-*

Testamentum R. Gustaui.

& illorum posteritas inclyta, atq; vniuersa regni Corona, inprimis honorem diuinum, & sacrosanctum Dei verbum colerent, & venerarentur, pro viriliq;, & pietatis zelo tuerentur; Atq; idipsum, quod R. M. diuinâ ope subnixa, suffultaq; ad opus fæliciter perduxisset; Hoc ipsum porrò in purâ Religione, nihil superstitionis, & humanæ traditionis admiscentes, continuare ità firmum, atq; fixum enitentur, vt cælestis præmij, & hæreditatis æternæ iacturam sustinere refugerent. Deindè eò etiam vergit R. M. pientissima admonitio, vt Serenissimi liberi, sese fraterno complectantur amore; Nec minùs regni emolumenta, & incrementa quærant, paternis, in hoc instantes, contento gradu, vestigijs, omniq; fidelitate, summâ diligentiâ, regni, regnicolarumq; habeant sibi commendatam vtilitatem, paci, & tranquillitati summum impendant studium, suspicionum fomenta, & quæ indè mala, largo profluunt gurgite, veluti dissentiones; tumultus, non secùs ac venænum respuant, & detestentur.

Scopus testamenti.

Deniq; seuerè R. M. suos cohortatur filios, ne regni Sueciæ limites, à maioribus multo sanguine designatos, imminutum eant, aut diminui ratione vllâ patiantur; Sed potiùs eosdem proferre multis parasangis, & tutari, omni industriâ, robore, & conatu, identidem adnitantur. Tanto amoris affectu, & sollicitudinis æstu, ad patriæ ferebatur incolumitatem S. M.! tantos expansis, vt aiunt, vlnis, in patriam beneficiorum cumulos, lârga contulit dexterâ! Quamobrem duræ ceruicis eos reputo mortales, Imò non hominum, sed bestiarum coborti adnumerandos, quos tantus beneuolentiæ regiæ ardor, non inflammaret, ad aliquam vicißim mentis gratitudinem rependendam S. R. Gustauo, verè patriæ parenti, eiusq; liberorum propagini. Proindè, non postremis tollendi laudibus, regni Sueciæ amplißimi status, quòd præfatos beneficiorum inprimis vberes cumulos, obliuioni minimè tradiderint; sed vt aliquam mentis suæ gratitudinem S. M. dimetirentur, eiusq; progeniei, vltrò & vnanimiter, in solennitate comitiorum Arosiensium statuerunt, & firmissimè concluserunt, vt clarißimo Rege Gustauo, ex hoc mortalitatis diuersorio; ad cæleste illud, & sempiternum translato gubernaculum, maior natu filiorum, regni Sueciæ sceptra capesseret, & post illum, eius primogenitus, regalisq; lineæ masculæ legitimi heredes,

vno

vno immediatè alteri succedente: Sin verò contingeret maiorem natu filium S. M. sine legitimo herede masculo de viuis excedere, Reipub: fasces ad proximum natu, eiusq; legitimos heredes deuoluendi, & gestandi ab illis, quousq; vel vnicus inter viuos superesset; Deinceps ad tertium, & quartum, secundum vnionis hereditariæ tenorem, atq; rigorem transmittendi, qui eiusmodi est:

Vnio hæreditaria Arosiensis.



Os subsequentes, potentissimi Principis Domini Gustaui, Suecorum, Gothorum, & Wandalorum Regis, omnium nostrûm dilectissimi, & clementissimi Domini, regni, & regiminis Consiliarij, Equites, & Nobiles, Laurentius Siggonis de Sundby, regni Sueciæ Marschalcus, Steno Erici de Loholm, Ericus Flemmingius de Suidie, Iuarus Flemmingius de Sundholm, Iohannes Turonis de Lindholm, Canutus Andreæ de Öckne, Turo Trolle de Berquara, Gustauus Olaj de Torpa, Magnus Iohannis de Bro, Birgerus Nicolaj de Vines, omnes equestris ordinis; Ionas Olai de Hakesta, Suanto Sture de Ekesiö, Abrahamus Erici de Ekeberga, Petrus Brahe de Rydboholm, Axelius Andreæ de Lenna; Nicolaus Krumme de Örboholm, Georgius Norman, Bero Claudij de Leppos, Laurentius Turonis de Penningeby, Gabriel Christiernj de Möreby, Armigeri, & Senatores Regni; Axelius Erici de Heredzseter, Georgius Erici de Foglewijk, Nicolaus Petri de Okerö,

Turo

6 *regnum pertinentes, omni quo decet honore, ſecundum debitam formam, & conſuetudinem, ab antiquo iure, in regno Sueciæ approbatam, in loco, pro electione Regis deputato, vnanimiter, & concorditer eligemus, obligantes nos, & noſtrum quemlibet ex tunc, ad ſeruiendum ſibi, cum omni obedientiâ, fidelitate, ſeruitij homagijs, & fauore, prout ex debito, veri ſubditi tenentur domino ſuo facere, & vero Regi, ſaluo per omnia, eidem Domino noſtro regi Magno patri eius, iure regendi, vt prius, præcipiendi, ordinandi, & ſtatuendi toto tempore, quo ſuperſtes fuerit, circa nos ſubditos ſuos, & Regni res, ac negotia, quæ pro commodo, & vtilitate regni viderit expedire. Item promittimus firmiter, vt priùs, quòd ſi præfatum Dominum noſtrum regem Magnum (quod Deus avertat) nobis viuentibus migrare contigerit ab hac luce, inclytæ Dominæ noſtræ reginæ Blancæ, & dicto Domino noſtro regi Erico, ad honorem, & ſeruitium in omnibus fideliter erimus, eisq; in ſuis iuribus in Sueciâ, & Scaniâ fideliter aſtabimus, iuxta poſſe; Et ſi idem Ericus rex noſter, pro tunc minor annis fuerit, ſibi, & regno ſuo Sueciæ, & Scaniæ, iuxtà conſilium, conſenſum, & ordinationem nobiliorum eiuſdem regni Sueciæ, & Scaniæ, inter indigenas, Gubernatores*

natores

nátores deputentur, & caſtra omnia, ac Regni munitiones, cum eorundem conſilio, & prouiſione, per indigenas gubernentur, donec eum ad legitimam ætatem Deus dederit peruenire. Si verò dictum Dominum noſtrum regem Ericum, ſine liberis exiſtentibus decedere contingat, tunc alium, de filijs Domini noſtri regis prædicti Magni ſuperüiuentibus, qui conuenientior, & aptior habeatur, in regem, & Dominum noſtrum ſuper antedictum regnum Sueciæ, & Scaniæ terras, Prouincias, & Inſulas memoratas, & nullum alium ritè, & rationabiliter, vt conuenit, eligemus. Item ſi ipſo D. noſtro Erico rege ſupradicto ſuperſtite, vel eius liberis exiſtentibus, contingat Dominum Haquinum fratrem eius, quem idem pater ipſorum, Dominus noſter rex Magnus, regno ſuo Noruegiæ præfigendum duxerat, principatum, ſeu regnum Sueciæ regni, & Scaniæ, contra iſtud patris ſui, & matris factum, velle vſurpare, tunc eidem domicello Haquino, totis viribus reſiſtemus; quod etiam proceres, & Domini in regno Noruegiæ promiſerunt, quòd eidem domicello Haquino, in nullo penitùs conſilium, auxilium, vel fauorem miniſtrabunt, quorum prætextu, contra hanc conſtitutionem veniat, vel contra venire attentet in futurum. Similiter ſi

Haquinus Rex. Noruegiæ.

contingat Dominum nostrum regem Ericum supra dictum, ad regnum Noruegiæ velle se intrudere, domicello Haquino, & eius liberis existentibus, pari modo promittimus, quòd in hoc facto, ipsi D. nostro regi Erico memorato, nullatenùs coadiutores erimùs, aut fautores. Et si contingat, quòd vterque dictorum fratrum, vel eorum alter, contra promissum patris eorundem, & nostra facta venire voluerit, & alienigenarum, seu extraneorum ad hoc auxilium adduxerit, & per hoc regnorum prædictorum aliquod inuadere hostiliter, seu subintrare attentauerit, extunc regnum vtrumque, scilicet Noruegia, Suecia, & Scania vnanimiter, & simul totis viribus, & posse, huic eorum voluntati resistere efficaciter laborabit, quodcunq; regnorum prædictorum prius, vel pluries, circa talia fuerit necessitatum, ad hoc finaliter, & intentè, vt eorum paterna, tàm prouida pacis simul, & concordiæ præordinatio, in suis viribus, & pleno robore irrefragabiliter perseueret; & si memoratum dominum nostrum regem Magnum illustrem, contingat habere liberos, pro tunc promittimus, vt superius, quòd ipsorum quemlibet, vtriusq; sexus, in suo iure, & honore iuuabimus, prout ipsis, & eorum statui, conditioni simul, & sexui congruerit, & competierit, secundū leges, & statuta regnorum prædictorum,

tàm

tàm Sueciæ, & Scaniæ; quàm Noruegiæ, & iuxta consuetudines, in eisdem regnis approbatas. Verùm si quis cuiuscunque conditionis, aut status, contra præmissa, vel eorum aliquâ in parte, vel in toto se opponere, aut ea adnihilare, vel infringere quomodolibet nostris temporibus attentauerit, promittimus firmiter sicut suprà, quod eidem, quominùs id efficiat, totis viribus, & posse nostro viriliter, & vnanimiter resistemus consilijs, & auxilijs, quantùm possumus, iure ecclesiæ, ordine, & officio nostro saluis: Quamuis autem liberâ, & spontaneâ voluntate, ac affectanti animo, huiusmodi negotium, pro bono pacis fecisse dignoscimur; Per hoc tamen iuribus, & consuetudinibus in regno Sueciæ, & Scaniæ, ab antiquo tempore, de regum electione obseruatis, in nullo penitùs volumus derogari, quin ad nos, & successores nostros, regum electio, cum iuribus suis omnibus, post mortẽ dicti Domini nostri regis Erici, vel alterius Domini nostri, Domini Magni filij, quem, ipso D. N. Erico regè prædicto, sine liberis (quod absit) mortuo, in regem, vt præfert, eligemus, liberè reuertatur: Vt autem præmissa omnia, & eorum quodlibet maiorem habeat firmitatem, sigilla nostra præsentibus duximus opponenda. Datum Varburgi, Anno Domini 1 3 4 3. octauâ beati Martini Episcopi.

Vnio tempore Magni Smeek R. S. instituta, 1343.


NIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Petrus Lunden. & Hemmingus Vpsalen. diuinâ miseratione ecclesiarum Archiepiscopi, Petrus Lincopen. Siggo Scaren. Frenderus Strengnen. Odgislus Arosiensis, Hemmingus Aboën. & Boëtius Vexionen. ecclesiarum, eâdem miseratione episcopi, Ioannes monasterij omnium Sanctorum Lundis, Renaldus in Aluastrà, Sueno in Herigodo, Vimmarus de Varnhem, Andreas de Sinth. Folcho de Nouâ valle, Michaël de Biakkaskog, Henricus de Sabà, N. de Tunatorp, & Andreas de Asylo, Abbates; Petrus Dalbien. & Godefridus de Eschilsthunà, priores; Nec non capitula ecclesiarum cathedralium, & conuentus monasteriorum prædictorum salutem in domino sempiternam.

CVM regnum Sueciæ, & terra Scaniæ, ita legaliter, & indissolubiliter vnita sint, & coniuncta, quòd vnum de cætero regnum censeri debeant perpetuis temporibus, ac vnius regis præsidio gubernari, sicut patentes litteræ, & manifesta instrumenta super hoc èdita, lucidius edocent, & declarant, nos vnionem memoratam prompto, & beneuolo amplexantes affectu, firmiter promittimus, quòd magnifico principi domino nostro clarissimo, Domino Magno Sueciæ, Norvegiæ,

negiæ, & Scaniæ regi illustri, suisq; successoribus, & hæredibus, pro dicto regno Sueciæ, & Scaniæ, in vnione præfatâ retinendo; nec non pro eodem, cum suis iuribus, & iustitiâ, contra omnem hominem defendendo astabimus fideliter verbis, factis, consilijs, & auxilijs, quantùm possumus, iure ecclesiæ, ordine, & officio nostro saluis: habituri deinceps limites dicti regni Sueciæ, qui antè citra Scaniam tenebantur, in ipso passagio Öresund, eiusdemq; vsq; illuc, vnà cum alijs confinijs, & limitibus eiusdem regni Sueciæ, & Scaniæ, vbicunq; illud hostiliter inuadi contingat, cum omni fidelitate, & toto posse nostro, viriliter, & vnanimiter, cum Dei adiutorio defensuri. Cæterùm reuoluentes sedulò in intimis cordis nostri, quàm plena sit periculis, & onusta dispendijs intestina dißensio, ea potißimùm, quæ solet multotiens ex vacillatione regiminis prouenire, & tantis malis, quantùm Deus permiserit, prospicere circa regni requiem cupientes, firmiter promittimus, quòd inclytum domicellum, Dominum Ericum, filium dicti Domini nostri Regis seniorem, iuxta consilium, & voluntatem eiusdem Domini nostri, in regem, & Dominum nostrum, super dictum regnum Sueciæ, & Scaniæ terras, Prouincias, & Insulas tributarias, ad idem

Limites Regni Sueciæ

Designatio hæreditaria Erici 12.

regnum pertinentes, omni quo decet honore, secundum debitam formam, & consuetudinem, ab antiquo iure, in regno Sueciæ approbatam, in loco, pro electione Regis deputato, vnanimiter, & concorditer eligemus, obligantes nos, & nostrum quemlibet ex tunc, ad seruiendum sibi, cum omni obedientiâ, fidelitate, seruitij homagijs, & fauore, prout ex debito, veri subditi tenentur domino suo facere, & vero Regi, saluo per omnia, eidem Domino nostro regi Magno patri eius, iure regendi, vt prius, præcipiendi, ordinandi, & statuendi toto tempore, quo superstes fuerit, circa nos subditos suos, & Regni res, ac negotia, quæ pro commodo, & vtilitate regni viderit expedire. Item promittimus firmiter, vt priùs, quòd si præfatum Dominum nostrum regem Magnum (quod Deus avertat) nobis viuentibus migrare contigerit ab hac luce, inclytæ Dominæ nostræ reginæ Blancæ, & dicto Domino nostro regi Erico, ad honorem, & seruitium in omnibus fideliter erimus, eisq; in suis iuribus in Sueciâ, & Scaniâ fideliter astabimus, iuxta posse; Et si idem Ericus rex noster, pro tunc minor annis fuerit, sibi, & regno suo Sueciæ, & Scaniæ, iuxtà consilium, consensum, & ordinationem nobiliorum eiusdem regni Sueciæ, & Scaniæ, inter indigenas, Guber-

natores

nátores deputentur, & castra omnia, ac Regni munitiones, cum eorundem consilio, & prouisione, per indigenas gubernentur, donec eum ad legitimam ætatem Deus dederit peruenire. Si verò dictum Dominum nostrum regem Ericum, sine liberis existentibus decedere contingat, tunc alium, de filijs Domini nostri regis prædicti Magni superüiuentibus, qui conuenientior, & aptior habeatur, in regem, & Dominum nostrum super antedictum regnum Sueciæ, & Scaniæ terras, Prouincias, & Insulas memoratas, & nullum alium ritè, & rationabiliter, vt conuenit, eligemus. Item si ipso D. nostro Erico rege supradicto superstite, vel eius liberis existentibus, contingat Dominum Haquinum fratrem eius, quem idem pater ipsorum, Dominus noster rex Magnus, regno suo Noruegiæ præfigendum duxerat, principatum, seu regnum Sueciæ regni, & Scaniæ, contra istud patris sui, & matris factum, velle vsurpare, tunc eidem domicello Haquino, totis viribus resistemus; quod etiam proceres, & Domini in regno Noruegiæ promiserunt, quòd eidem domicello Haquino, in nullo penitùs consilium, auxilium, vel fauorem ministrabunt, quorum prætextu, contra hanc constitutionem veniat, vel contra venire attentet in futurum. Similiter si

Haquinus Rex. Noruegiæ.

 contingat

contingat Dominum nostrum regem Ericum supra dictum, ad regnum Noruegiæ velle se intrudere, domicello Haquino, & eius liberis existentibus, pari modo promittimus, quòd in hoc facto, ipsi D. nostro regi Erico memorato, nullatenùs coadiutores erimùs, aut fautores. Et si contingat, quòd vterque dictorum fratrum, vel eorum alter, contra promissum patris eorundem, & nostra facta venire voluerit, & alienigenarum, seu extraneorum ad hoc auxilium adduxerit, & per hoc regnorum prædictorum aliquod inuadere hostiliter, seu subintrare attentauerit, extunc regnum vtrumque, scilicet Noruegia, Suecia, & Scania vnanimiter, & simul totis viribus, & posse, huic eorum voluntati resistere efficaciter laborabit, quodcunq; regnorum prædictorum prius, vel pluries, circa talia fuerit necessitatum, ad hoc finaliter, & intentè, vt eorum paterna, tàm prouida pacis simul, & concordiæ præordinatio, in suis viribus, & pleno robore irrefragabiliter perseueret; & si memoratum dominum nostrum regem Magnum illustrem, contingat habere liberos, pro tunc promittimus, vt superius, quòd ipsorum quemlibet, vtriusq; sexus, in suo iure, & honore iuuabimus, prout ipsis, & eorum statui, conditioni simul, & sexui congruerit, & competierit, secundũ leges, & statuta regnorum prædictorum,

tàm

tàm Sueciæ, & Scaniæ, quàm Noruegiæ, & iuxta consuetudines, in eisdem regnis approbatas. Verùm si quis cuiuscunque conditionis, aut status, contra præmissa, vel eorum aliquà in parte, vel in toto se opponere, aut ea adnihilare, vel infringere quomodolibet nostris temporibus attentauerit, promittimus firmiter sicut suprà, quod eidem, quominùs id efficiat, totis viribus, & posse nostro viriliter, & vnanimiter resistemus consilijs, & auxilijs, quantùm possumus, iure ecclesiæ, ordine, & officio nostro saluis: Quamuis autem liberâ, & spontaneâ voluntate, ac affectanti animo, huiusmodi negotium, prò bono pacis fecisse dignoscimur; Per hoc tamen iuribus, & consuetudinibus in regno Sueciæ, & Scaniæ, ab antiquo tempore, de regum electione obseruatis, in nullo penitùs voluimus derogari, quin ad nos, & successores nostros, regum electio, cum iuribus suis omnibus, post mortē dicti Domini nostri regis Erici, vel alterius Domini nostri, Domini Magni filij, quem, ipsô D. N. Erico rege prædicto, sine liberis (quod absit) mortuo, in regem, vt præfert, eligemus, liberè reuertatur: Vt autem præmissa omnia, & eorum quodlibet maiorem habeat firmitatem, sigilla nostra præsentibus duximus opponenda. Datum Varburgi, Anno Domini 1343. octauâ beati Martini Episcopi.

PErſimili tenore ordo Equeſtris, hereditariam vnionem, eodem tempore cudit, & conſenſit, vt ex peruetuſtis Sueonum annalibus, euidens licet colligere teſtimonium. Præterquam verò quòd Ordines Regni Sueciæ, priſcorum Exemplis, & maiorum veſtigijs inhæſerint, ut recitata vnio locuples nobis teſtis, etiam, prô dolor, non ſine ingenti cruciatu, & ærumnis maximis probè cognouerunt, atq; experti ſunt, in quibus damnis, inteſtinis ſeditionibus, ſanguinis profuſionibus, & multifarijs detrimentis, incommoditatibusq;, Regnum Sueciæ ſusq; deq; ferebatur, cùm fuerat Eelogicum; Illam verò maximè ob cauſſam, quòd Senatorium collegium, reliquusq; indigenarum ordo, ſententijs, & votis non conſpirantibus in Rege deſignando, certaret; quemadmodùm cùm peruetuſta, & inclyta Regum Sueciæ proſapia, de Regali ſolio, importunâ mortis violentiâ foret ſublata, (quæ terminum ſortita eſt, omnibus mortalibus præfixum, de viuorum numero ſublato Magno cognomine Smeek, Rege Sueciæ) vſu veniſſe conſtat: Quippè, eâ tempeſtate, multa infœlicitatis radix agi cæpta, vnde multa rerum metamorphoſis, atq; perturbatio, fœcundò exercuit prouentu; quòd conſpirare non poſſent in Regiâ perſonâ deſignandâ; atq; ità de electione fuerunt votis, & animis diſcordantibus, ac vnusquisq; in venando Diademate Regali, conabatur alterum præuertere; Sicut etiam quidam, indigenam, quidam verò alienigenam Regem expetierunt: Quæ ſanè votorum variatio, anſam præbuit perniciosis diſſenſionibus, inter Regni ordines exortis, vndè ſanguinis ingens eluuium, et Regni penè totius ruina ſubſequuta eſt.

Inſuper Regni Ordines, præter allata rationum momenta, præmaturo iudicio, atq; ratione, ſibi in mentem reuocarunt, ineffabile illud beneficium, quod Sereniſſimus Rex GVSTAVVS illis, & vniuerſo Sueonum Regno, in urgentiſſimâ, & planè extrema neceſſitate, paterno contulit affectu: Quippè S. M. (piæ recordationis) non ſolùm vitam ipſam, opes atq; poſſeſſiones vniuerſas, pro Regni Sueciæ ſalute, & incolumitate promptiſſimè deuouit; Verùm etiam, Secundum Dei præpotentis præſentiſſimum auxilium, non ſine certiſſimo vitæ diſcrimine liberauit ex crudeliſſimi illius, & omnium mortalium iniquiſſimi Chriſtierni Regis Daniæ, immani tyrannide, cæde proborum Regni ciuium, bonorùm rapinâ, atq; ædium incendijs, alijsq;

aliisq; crudelißimis, & inhumanißimis violenti e facinoribus, quibus Suecana Respub. illiusq; indigenæ, absq; omni hominum auxilio, & subsidio miserrimè obruti premebantur; Quo grauißimo proindè subtractos iugo, pristinæ libertati, potentiæ, iustitiæ, æquitati, atq; gloriæ restituit.

Præterea quod maximè concelebrandum, primus Rex GVSTAVVS fuerat, celitus planè delapsus, qui auxilio, gratiâq; diuinâ roboratus, ex Pontificiorum horribili caligine, quâ vndequaq; circumfusum Regnum Sueciæ, benignißimè eductum, luce immensâ diuini verbi illustrauit. Neq; minori erant Serenißimo Regi curæ, iura Regni, atq; statuta, optimaq; politia; imò noctu, diuq;, pro salute, & incolumitate subditorum, eorum agriculturâ, ædificiorum structurâ, aliisq; mechanicis emolumentis, vndè vberrimâ, pro tempore, plurimi reportant commoda, mirisq; industriam, & paternam solicitudinem S. M. laudum encomiis efferunt, iugiter excubabat. Similiter non minus molestiæ dignata est R. M. suscipere, in peruestigandis metallorum fodinis, cuiusmodi mineræ argenteæ, cupreæ, ferreæ, calybeæ, sulphureæ, atq; nitreæ, quarum (Deo æterno gloria) ingens nunc in Regno Sueciæ copia: His autem expeditius, & commodius pertractandis, artificiosas fabricas, malleos prægrandi pondere libratos, dexterrimos aquæductus, & alia perutilia montanis operis, imò toti Regno Sueciæ, adinuenit industriâ Singulari, ergastula. Neq; solùm præsentium rerum gessit curam, & quæ, illo inter viuos agente, contingere poßent, multa dispposuit solicitudine; Sed etiam eorum tangebatur Regium pectus Solicitudine negotiorum, quæ ex hac vitæ statione, spiritu Regio vocato, charißimæ patriæ obuenire poterant. Ideircò ut omni rerum perturbationi, in Regnum, & Rempub. Sueonum aditum præcluderet, potißimum ut seditionis ansam, ab illustrißimis filiis declinaret, quæ succedente tempore, & instantibus annis facilè porrigenda, laudabile prorsùs, atq; Christianum condidit testamentum; Quod profectò non tantùm illustrißimæ soboli; verùm etiam cunctis Regni Ordinibus, instar normæ, amußisq; fuerat obseruandum, à quo ne latum quidem vnguem esse digrediendum, obligationem Regni Statibus seuerè imposuit. Huius verò præcipuus testamenti scopus, vt R. M. liberi, (Testamentum R. Gustaui.)

& illo.

& illorum posteritas inclyta, atq; vniuersa regni Corona, inprimis honorem diuinum, & sacrosanctum Dei verbum colerent, & venerarentur, pro viriliq;, & pietatis zelo tuerentur; Atq; idipsum, quod R. M. diuinâ ope subnixa, suffultaq; ad opus fæliciter perduxisset; Hoc ipsum porrò in purâ Religione, nihil superstitionis, & humanæ traditionis admiscentes, continuare ità firmum, atq; fixum enitentur, vt cælestis premij, & hæreditatis æternæ iacturam sustinere refugerent. Deinde eò etiam vergit R. M. pientissima admonitio, vt Serenissimi liberi, sese fraterno complectantur amore; Nec minùs regni emolumenta, & incrementa quærant, paternis, in hoc instantes, contento gradu, vestigijs, omniq; fidelitate, summâ diligentiâ, regni, regnicolarumq; habeant sibi commendatam vtilitatem, paci, & tranquillitati summum impendant studium, suspicionum fomenta, & quæ inde mala, largo profluunt gurgite, veluti dissentiones; tumultus, non secùs ac venenum respuant, & detestentur.

Scopus testamenti.

Deniq; seuerè R. M. suos cohortatur filios, ne regni Sueciæ limites, à maioribus multo sanguine designatos, imminutum eant, aut diminui ratione vllâ patiantur; Sed potiùs eosdem proferre multis parasangis, & tutari, omni industriâ, robore, & conatu, identidem adnitantur. Tanto amoris affectu, & sollicitudinis æstu, ad patriæ ferebatur incolumitatem S. M.! tantos expansis, vt aiunt, vlnis, in patriam beneficiorum cumulos, lârga contulit dexterâ! Quamobrem duræ ceruicis eos reputo mortales, imò non hominum, sed bestiarum coborti adnumerandos, quos tantus beneuolentiæ regiæ ardor, non inflammaret, ad aliquam vicissim mentis gratitudinem rependendam S. R. Gustauo, verè patriæ parenti, eiusq; liberorum propagini. Proindè, non postremis tollendi laudibus, regni Sueciæ amplissimi status, quòd præfatos beneficiorum inprimis vberes cumulos, obliuioni minimè tradiderint; sed vt aliquam mentis suæ gratitudinem S. M. dimetirentur, eiusq; progeniei, vltrò & vnanimiter, in solennitate comitiorum Arosiensium statuerunt, & firmissimè concluserunt, vt clarissimo Rege Gustauo, ex hoc mortalitatis diuersorio; ad cæleste illud, & sempiternum translato gubernaculum, maior natu filiorum, regni Sueciæ sceptra capesseret, & post illum, eius primogenitus, regaliq; lineæ masculæ legitimi heredes,

vno

vno immediatè alteri succedente: Sin verò contingeret maiorem natu filium S. M. sine legitimo herede masculo de viuis excedere, Reipub: fasces ad proximum natu, eiusq; legitimos heredes deuoluendi, & gestandi ab illis, quousq; vel vnicus inter viuos superesset; Deinceps ad tertium, & quartum, secundum vnionis hereditariæ tenorem, atq; rigorem transmittendi, qui eiusmodi est:

Vnio hæreditaria Arosiensis.

Nos subsequentes, potentissimi Principis Domini Gustavi, Suecorum, Gothorum, & Wandalorum Regis, omnium nostrûm dilectissimi, & clementissimi Domini, regni, & regiminis Consiliarij, Equites, & Nobiles, Laurentius Siggonis de Sundby, regni Sueciæ Marschalcus, Steno Erici de Loholm, Ericus Flemmingius de Suidie, Iuarus Flemmingius de Sundholm, Iohannes Turonis de Lindholm, Canutus Andreæ de Öckne, Turo Trolle de Berquara, Gustauus Olaj de Torpa, Magnus Iohannis de Bro, Birgerus Nicolaj de Vines, omnes equestris ordinis; Ionas Olai de Hakesta, Suanto Sture de Ekesiö, Abrahamus Erici de Ekeberga, Petrus Brahe de Rydboholm, Axelius Andreæ de Lenna; Nicolaus Krumme de Örboholm, Georgius Norman, Bero Claudij de Leppos, Laurentius Turonis de Penningeby, Gabriel Christiernj de Möreby, Armigeri, & Senatores Regni; Axelius Erici de Heredzseter, Georgius Erici de Foglewijk, Nicolaus Petri de Okerö,

Turo Petri de Krokerum, Benedictus Nicolai de Bergzhammar, Bero Petri de Follenes, Axelius Nicolai de Diursholm, Aruidus Trolle de Ængzsiö, Petrus Iohannis de Valesta, Henricus Claudij de Kankas, Iohannes Petri de Heringe, Nicolaus Grabbe de Grabbacka, Seuerinus Kijl de Hofznes, Torstanus Brantonis de Förstena, Magnus Suenonis de Vesterby, Germundus Suenonis de Göderberg, Iohannes Olai de Siösa, Christiernus Laurentij de Fletna, Theodoricus Bonde de Traneberg, Steno Benedicti de Stösla, Axelius Posse de Hellikis, Petrus Andreæ de Branstorp, Nicolaus Ribbing de Suensryd, Sueno Ribbing de Festeryd, Olaus Patri de Biuram, Laurentius Kasle de Hallerne, Lindormus Kasle de Rosendaal, Olaus Kasle de Rodill, Ericus Boije de Mule, Nicolaus Boije de Gennes, Georgius Achacij de Tidhön, Nicolaus Ryning de Töresö, Carolus Holgeri de Biörkewijk, Iohannes Canuti de Lauko, Axelius Antonij de Berga, Ericus Antonij de Berga, Benedictus Gylte de Potorp, Claudius Christierni de Ominne, Vlpho Henrici, & Nicolaus Henrici de Fyllingerum, Laurentius Petri, & Krabbo Petri de Segerstad, Haraldus Lake de Vesztorp, Canutus Ribbing de Torestorp, Mauritius Olai

us Olai de Rabeck, Ericus Aruidi, Andreas Bonde, & Ericus Bonde, Sueno Kart de Omot, Bothuidus Laurentij, Iacobus Vestrogothus de Vexiö, Magnus Petri de Eskilstorp, Ionas Olai de Asa, Isacus Birgeri de Elmterydt, Georgius Iohannis de Hammar, Nicolaus Iesperi de Hoberg, Laurentius Iesperi de Girkelsbod, Turgillus Andreæ de Raffznes, Ericus Georgi de Tuna, Ionas Suenonis de Vonga, Petrus Laurentij de Halqui, Ericus Laurentij, Iohannes in Haleby, Andreas Vestrogothus de Vijk, Ericus Olai de Kiala, Petrus Spore de Genarby, Ericus Spore, Mathias Körning de Almby, Ericus Magni de Brogzwijk, Engelbertus Laurentij de Ekenes, Olaus Galle de Tanoker, Nicolaus Olaij de Ierna, Georgius Olai de Hokanetorp, Ionas Scriba de Högzrum, Laurentius Bröms de Barneholt, Vilhelmus Tysk de Giötala, Iohonnes Kyle de Erstawijk, Torchillus Andreæ de Hinsekind, Thomas Iohannis de Gesterby, Mathias Petri de Vbsala, Aruidus Claudij de Siögord, Petrus Nicolai de Fly, Nicolaus Fubb de Berga, Ericus Iohannis de Torkelstorp, Broderus Erici de Rijsa, Esbernus Torchilli de Beck, Nicolaus Hard de Hendelunda, Benedictus Scriba, de Karstada, Sueno Biug de Nesby, Holstanus

mus Bagge de Skellenes, Dn̄us Erlandus in Sorunda, Astridus Iohannis de Ekeby, Petrus Iohannis de Ekebacka, Petrus Ingonis de Ekenes, Ericus Laurentij de Hamra, Petrus Erici de Skendinge, Laurentius Erici de Skelby, Carolus Benedicti de Seglinge, Olaus Erici de Vesby, Olaus Iuari de Eneköping, Erasmus Kloot, Birgerus Budde, Nicolaus Laurentij de Horneby, Nicolaus Erici de Beck, Petrus Laurentij de Kyrkesetra, Ionas Andreæ de Brottensby, Ericus Andreæ de Hedoker, Georgius Canuti de Diula, Nicolaus Laurentij de Sparsta, Ericus Aruidi de Sledehammar, Dn. Paulus in Floda, Andreas Petri de Hoffgorda, Nicolaus Hogenschildi de Wij, Nicolaus Slatte de Söderby, Bartollus Iohannis de Regne, Nicolaus Petri de Roda, Petrus Flemmingius de Frischala, Ericus Ionæ de Torchelstorp, Magnus Canuti de Blomeberg, Andreas Benedicti de Hoff, Andreas Boëtij de Sileby, Mathias Kagge de Biörnes, Birgerus Andreæ de Ongerijd, Iohannes Petri de Rödenes, Petrus Canuti de Malma, illustris Regni Sueciæ, Gothiæq; nobilitas, nomine nostro, & eorum omnium, qui nunc præsentes, aut absentes sunt, Pro nobis, & nostris successoribus, hæredibusq;, vigore harum litterarum fatemur, & testamur, nos omnes vnanimiter,

Primaria Regni Nobilitas.

ter, & peculiariter (in noſtro arbitrio relicti, non coacti, aut compulſi) cum generali congregatione, & adunatâ Senatorum Regni Sueciæ Coronâ, Equitum, Nobilium, Epiſcoporum, Prælatorum, Indigenarum, Ordinum, & promiſcuorum ſubditorum frequentiâ, adhibitâ in conſilium ratione, diligenter perpendiſse, quòd nobis, qui vniuerſæ patriæ noſtræ, & Coronæ Sueticæ velut membra, et fulcimenta ſumus præcipua, non ſolùm præſentia commoda, ſed etiam futura (adiuti gratiâ, & auxilio diuino) ſummo ingenio, ſapientiâ, & prudenti conſilio, ad opus glorioſum perducere, atq; illa negotia, quæ Coronæ, & omnibus regni indigenis ſunt emolumento, incremento, vtilitati, paci, & tranquillitati, conſiderare, & ſtudioſè perpendere, incumbat; Inſuper quibus adminiculis, regni, & omnium noſtrûm detrimenta, ac ſuppreſsiones præueniri, atq; protelari, propenſa voluntas, amicitia, amorq; implantari, mutua concordia, certa fiducia, & iugis conſpiratio, vndiq; prouenire valeant; Et aliâs, omnium ſeditionum, malarum ſuſpicionũ, ſimiliumq; paßionum radix, ex quâ periculoſæ ſimultates pullulare ſolent, funditùs euelli queat, illa ſeriò procurare; ſicut etiam nunc, pro ingenij noſtri facultate, ſtudioſiſsimè factitatum: Enimuerò ex vetuſtis,

 recenti-

recentibusq́; in memoriâ hominum adhuc vigentibus historijs, exemplisq́; liquidò perspicuum euadit, omnibus retrò sæculis, potissimùm per capitis, id est, regiminis, & membrorum, videlicet subditorum dissensionem, plurimas in Rebuspub. illasq́; periculosissimas metamorphoses, derepentè contigisse; Sicut etiam sæpenumerò, ex talibus scintillis, perniciosa erupisse incendia, vndè rapinæ, cædes, tumultus, sanguinis copiosa profusio, aliaq; detrimenta innumera, progressu temporis extiterant. Quocircà vbi regionum, his contraria remedia, per Dei gratiam, & maturam Incolarum prouidentiam, consilium, & eutaxian inuestigantur, vt inter Dominos, & subditos, firmus amicitiæ nodus stringatur, fides, sincera confidentia, & obedientia animis inseratur, & multa vigeat prouidentia, atq; circumspectio, hactenùs, & ab ipsis propemodùm surgentis mundi incunabulis, testantur monumenta historiarum, ejusmodi regnorum incrementa singularia, celsitudinem, & constantiam, pacem, tranquillitatem, atq́; fælicitatem inusitatam. Quamuis verò hujusmodi regionibus, nonnunquam grandes tumultus, hostium impressiones, & alia infortunia acciderint; Nihilominùs tamen plerumq́; sub Indigenæ alicuius regimine, optimè sunt gubernatæ,

natæ, protectæ, & proprijs priuilegijs conseruatæ. Verùm quandoquidem majorum exemplis, & facinoribus, vndequaq; satis perspectum, atq; cognitum, ex quo fonte, tot calamitosissima, juxtà ac periculosissima dissidia, regnorum ruinæ, & interitus profluxerint, nimirùm ex dissensione, & litigio, in Regum inauguratione oborto, in Rege designando, certantibus suffragio Regni ordinibus; Econtrà vndè, & quibus adminiculis, pax interna, concordia, & fælicitas rerum omnium introducta, & constabilita semper fuerint: Nā si rem suo mometo examinauerimus, inueniemus profectò, enumerata vbertim indè pullulare cōmoda, quandò in ejusmodi Regum designationibus, æquas sanciones, atq; patriæ leges, nec non genuinam sanguinis lineam comitamur, vndè talibus in regno dissidijs, obstacula petuntur, & optimus animorum consensus, conspiratioq; firmius, & profundius implantantur: Ideò ingenuè fatemur, nos teneri, obligatosq; esse, veluti synceros, & primarios huius regni indigenas, dùm vita nobis munere licuerit frui, vnà cum reliquis incolis regni, pro tempore, Suecanæ Reipub. & liberorum nostrorum, hæredum, & posterorum sempiternum subsidium, fælicitatem, pacem, atq; vnionem arctissimam, ad effectum gloriosum perducere; imò omne pericu-

lum,

lum; & vndè aliqua dißensio, aut perditio, futuris temporibus sensim suboriri poßet, de medio prorsùs tollere, & remouere, ne ad illa offendat, velut obstacula, posteritas. Itaq; vnanimi Senatorum consilio, Equitum, Nobilium, Episcoporum, Prælatorum, Ciuitatum, Incolarumq; omnium, & subditorum consensu, voluntateq;, principiò apud animum nostrum, sicut fideles, & rectè consulentes subditi, secundum præceptum diuinum, Regni huius peruetustas, laudabilesq; consuetudines, statutaq;, sedulò ponderauimus, & iustâ trutinâ examinauimus, quòd S. R. Gustauus, noster, à præpotente Deo destinatus Dominus, & à nobis, vniuersisq; Regni Sueciæ inhabitatoribus vnanimiter electus, & coronatus, ad hoc regni fastigium, dignitatem, & laboriosum regimen, non velut externus quispiam, aut per vim, & arma euectus sit; sed secundùm regalis lineæ propaginem, & sanguinis scaturiginem illustrem ascenderit; ac velut is, qui ad ejusmodi honorem, & regium solium, proximus hæres extiterit; Nec minùs ob deperditi prorsùs regni hujus, & incolarum vindicationem, liberationem, consolationem, & prosperitatem, grauißimo regni, & regiminis oneri, humeros promptè submiserit; Et quidem eâ tempestate, cùm patria charißima (nullo

jure,

jure, caussâ, titulo, aut legitimâ expostulatione præmissis) in maximi, & perniciosissimi hostis, Christierni secundi Regis Daniæ violentas manus, tyrannidem, & extremam necessitatem incidisset, atq; hinc rapinis, cædibus, incendijs, sanguinis profusionibus, & alijs permultis tribulationibus iniquissimè pergrauata, afflictaq; diu fuisset; Regni quoq; Indigenæ, sine libertatis assertore, vindice, & protectore prorsùs ad extremam perniciem, suppressionemq; omnes derelicti essent: Deindè non secùs ac Princeps verè christianus, fidelis Patriæ defensor, pro nobis, & liberis nostris, inclyto Sueciæ Regno, præsentibus, & subsequuturis Regni inquilinis, & in nostram consolationē, atq; rerum augmentum, & quidē pro ingenito amore erga tellurem suecanam, suosq; sympatriotas, & subditos, opibus, sanguiniq; nequaquam pepercerit, vt nos, & nostros posteros pristinæ libertati restitueret, multis tribulationibus, & ærumnis maximis benignè ereptos: Proindè vt præpotens Deus, pro tàm ineffabili suâ gratiâ, laudem, atq; gloriam consequatur; clementissimus Dnus noster, atq; Rex Gustauus, nec non S. M. illustris filiorum posteritas, nata, & nascitura, animi quampiam gratitudinem, & officiorum promptitudinem, in nobis subditis, & velut membris Regni primarijs

deprahendat, Regnum quoq; vniuersum, & nos illius Incola, in pace, & tranquillitate (diuino opitulante auxilio) confirmemur, & conseruemur; Prætereà ne periculosa dissensiones in hoc Regno (vndè armorum tumultus, & alia Regni detrimenta gliscere consueuerunt) denuò emergant; Sed potiùs Regni Moderatores, & subditorum frequentissimus cætus, eò firmius stabili, & inexpugnabili concordiâ colligentur, & velut incorporentur; Idcircò nos vnanimiter, & specialiter, cum singulis, & vniuersis Nuncijs terrestribus, in hisce, & alijs Regni negotijs plenipotentibus, potissimùm verò, et ante omnia, in hoc magni momenti, & summo penè articulo, ad communitatis, & nostrûm omnium instantissimam petitionem proposito, ut videlicet tempestiuè, omnium consensu illud studiosè perpendatur, & tractetur, cuius beneficio hæc Regna, si fortaßis quæpiam deceßio, aut animorum perniciosa fieret perturbatio (quam Deus Opt: Max: quàm diutißimè clementer auertat) de legitimo Rege, atq; Domino secura, & certificata existerent: Insuper ne in tali casu, fortè fortunâ, in suffragio electionis ferendo; aut aliâs, quæpiam dißensio, vel tumultus, non sine summo Regni discrimine suscitentur, & incendantur; Nos, inquam, vnà cum illis,

illi-

illiq; nobiscum, in nomine sanctissimæ, et indiuiduæ Trinitatis, Communitatis totius nomine, votoq;, secundũ Incolarum omnium transmissam, & nobis exhibitã plenipotentiam, desideriũ, & petitionem flagrantissimam, tempestiuo consilio annuimus, vnanimi consensu conclusimus, et consensimus, elegimus, promisimus, & jurauimus, Quòd cùm Serenissima, pro tempore, apud nos rerum potiens R. M. clementissimus Dnus noster Rex Gustauus, velut naturalis secundum lineam, & hæreditarius Sueticæ Coronæ Moderator, & aliâs, in Regno præuisus, electus, & inauguratus, confirmatusq; Rex existat; Et apud Suecanam Rempub. omnesq; Regni Indigenas, summa, & innumera propemodùm fidelitatis officia, (qualia hisce Regnis vix anteà, vel ab ipsorum primis exordijs, ab vllo eorum Rege, & Domino collata) benignè deposuerit; Nimirùm ad pacem, & rerum fælicitatem nos collapsos erexerit, atq; ab extremâ necessitate vindicauerit, et nunc R: M. prole hæreditariâ (quæ nobis, et vniuerso Regno futura consolationi, & gaudio) decorata sit, Nos eandem R. M. teneram progeniem hæreditariam, natam, & inposterùm nascituram, velut etiam nos, secundum naturam, & leges christianas decet, ac ratione familiaris lineæ conuenit, oportetq;, pro nostris le-

 gitimis

gitimis Moderatoribus, & proximis Sueticæ Coronæ hæredibus, prorſus velut poſthac efficaciter exprimetur, electuros; velut hiſce etiam promittimus, eligimus, et acceptamus; Atq; vt in transactione örebrogianâ, à Senatorio ordine obſignatâ, juramentoq; confirmatâ, in omnibus ſuis articulis, vti par eſt, quàm diligentiſsimè, et ſolidiſsimè de hac re aſſeritur; ità hiſce denuò confirmetur, & ſtabiliatur, cuius vigore, atq; huius præſentis obligationis, et literarum robore, eiusmodi vnionem, promiſsionem, & obligationem, ſecundum iusiurandum à nobis omnibus depoſitum, ſtabilimus, & renouamus;

Renouatio vnionis örebrogensis.

Nec minùs vnanimiter, & ſpecialiter hiſce, pro nobis, & noſtris ſucceſſoribus, coram Deo, eiusq; ſacratiſsimo verbo pollicemur, (quòd ſiquidem hæc electio, & inauguratio, ſecundum diuinã ordinationem, et prouidentiam, peruetuſta inprimis, et laudabilia jura regni Sueciæ, Senatorij ordinis, Nôbilium, Ciuium, & promiſcuæ Communitatis conſilium, aſſenſum, deciſionem, ligitimè, dignè, vtiliter, & nobis omnibus, Regnoq; vniuerſo in ſempiternam fælicitatẽ, et auxilium facta ſit circa potentiſsimum Principem, & Dominum Guſtauum, Suecorum, Gothorũ, & Wandalorum Regem electum, coronatum, & à Deo nobis præordinatum,

natum; atq; circa S. M. hæredes, natos, et nascituros, non secùs ac superior illa designatio, iuramentū, et promissū suadēt, quibus S. M. et Diademati suetico obstricti sumus,) nos fideles, et obedientes R. M. futuros, eamq; promptitudinē, securitatem, & magnanimitatem, quæ fidos subditos, Dei, omnium mundanarū, & Regni huius priscarum, laudabiliumq; consuetudinū ergò condecet, atq; conuenit, firmiter, inuiolabiliter, et irrefragabiliter, nunc, & perpetuis temporibus, sine intermißione præstituros, atq; omnia diligentißimè facturos, ad quæ, vt fideles erga Regem, & Dominum nostrum subditi sumus obligati, vitæ, opibus, coniugibus, liberis, & omnibus quæ poßidemus, minimè parcendo, pro S. M. et Patriæ vtilitate, in neceßitate constitutâ, ità ut cùm R. M. hæc exegerit promißa, fideliter sumus exequuturi, cumq; R. M. vitæ, ac mortis stadium æquale ingreßuri. Deindè, (cùm æquè Magnatum, ac omniū hominum vita, mortis sit periculo exposita) ubi Serenissimus Rex Gustauus Dnus noster clementißimus, ex hac vitæ statione, ad æternam accitus fuerit beatitudinē, pollicemur, nos obligamus, iuramēto confirmamus, & hisce eligimus quàm firmißimè, perfectißimè, & irreuocabiliter, vnanimiter, & specialiter, quemadmodum sæpenumerò commemoratum,

ratum,

ratum, S. M. maiorem natu filium, Illustrißimum Principem Dominum Ericum, pro nostro proximo, à Deo deputato, & nunc inaugurato Rege, qui immediatè post Serenißimi Parentis sui, ex hac mortalitate, ad Superos fælicem migrationem, ad regimen, & regale fastigium ingreßurus, ac Rex noster indubitatè futurus; veluti nos pro nobis, & nostris successoribus consentimus, confirmamus, et illum pro nostro Dno, & Rege nunc acceptamus; Ideòq; illi fidelitatem exhibituri, & salubria præbituri consilia; Nec minùs etiam, vt præfatum est, moderno Regi Domino Gustauo superstiti, tùm temporis, perindè ac modò fidelitatem, firmiter, constanter, & inuiolabiliter exhibituri, et conseruaturi, vitamq; ipsam, cum S. M. in discrimen (neceßitate vrgente) posituri: Quid multis? in omnibus, consolationi, & subsidio affuturi, idq; facturi, & intermißuri, vt fidis, & rectè consulentibus subditis, pro tenore iurisiurandi conuenienter incumbit, quod è commodo S. M. eße iudicauerimus.

Inauguratio Erici XIIII

Sin uerò talis fortè obtigerit casus, quòd Illustrißimus noster proximus Rex futurus Princeps Ericus, Deo ità disponente, Regiæ familiæ, & Ducalis hæredes masculos nancisceretur, qui morti illius supereßent, primogenitus illius, Regni guber-

naculo

naculò admouendus; & ità per sequelam, de lineâ ad lineam, vt decedunt, & accedunt, vnus post alterum, ad regiminis apicem penetraturus, Regnumq; gubernaturus. Hoc pacto S. M. inclyti filij, nati, et nasciturì, à nobis, et nostris successoribus, pro legitimis Regibus, hæreditarijsq; Dnis, ad sceptrũ Suecanum inaugurati, designati, & iureiurando confirmati. Quòd si verò Princeps Ericus, qui noster proximè futurus, et iam designatus Rex est, ex voluntate diuinâ, sine Regalibus, & Ducalibus masculis hæredibus naturæ debitũ compleret, proximè genitus benignißimi Dni nostri Regis filius, Illustrißimus Princeps Dnus Iohannes, qui secundum iustam genealogiæ seriem, Secundogenitus est, omninò eâdem ratione, & modo, qui in Duce Erico inaugurando absolutè expreßus est, Regales fasces, veluti designatus, iuramẽtoq; confirmatus Rex capeßet; Quem volumus, et tenemur prædicto modo, & ratione, pro nostro Rege, & Domino, prorsùs irrefragabiliter, et irreuocabiliter aßumere, designare, illi promittere, et iurare fidelitatem, & securitatem, quæ sanctè in perpetuum, sine omnibus effugijs dolosis, aut contradictionibus seruaturi: Pari modo, fidi, propensi, morigeri, subsidio, consolationi, & auxilio eße, & perseueraturi, promptè vitam, & salutem nostram cuiuis cum

Designatio Iohannis Tertij R. S.

illo

illo diſcrimini expoſituri; Imò cum illo, (velut fideles, & rectè conſulentes decet eſſe ſubditos erga legitimum Dominũ, & Regem,) nullam detrectaturi fortunam: Eâdem ratione, ſi Ducis Iohannis Regales, & Ducales hæredes aliqui fatis ſupereſſent extremis, maior natu filiorum, Clauo Regni potietur; & deindè, quâ præfatum ratione, & modo, de lineâ ad lineam, vno ſuccedente alteri, quemadmodùm in articulis electionis proximè futuri Regis Dni Erici, verbotim eſt expreſſum, ſeruandum, & perficiendum eſt, regiumq́ Diadema apud illum, aut illius natum, vel naſciturum filium, à nobis, & noſtris poſteris, pro hæreditario Sueciæ Rege deſignatum, electum, & iureiurando confirmatum, permanſurum.

Inauguratio Dni Magni, Oſtrogothiæ Ducis.

Etſi autem contingeret Dominum Iohannem, hac deſignatione, & electione ſecundò electum, & deſignatum Regem, ſine maſculis hæredibus mortem oppetere, tùm deinceps Regalis dignitas, & ſceptrum ad Sereniſſ: R. Guſtaui clementiſſimi Dni noſtri iuniorem filium, Illuſtriſſimum Principem Dnum Magnum iure deuoluetur, ac iiſdem cõditionibus, & rationibus, ſicut de verbo ad verbum, de duobus præmemoratis S. M. filijs; Dno Erico, & Dno Iohanne fratribus expreſſum, & enucleatum eſt, Sueonum imperium, velut deſignatus,

natus,

natus, iuramento confirmatus, & stabilitus Sueciæ Rex acceptabit, illumq; pari modo, proximè secundum alios, pro Rege, & Domino nostro firmiter, et irreuocabiliter suscipiemus, designabimus, spondebimus, & iurabimus promptitudinem, fidelitatem, & subsidium virile iugiter, firmiter, constanter, & irreuocabiliter sine omni tergiuersatione, atq; subterfugio, illi fideles, addicti, rectè consulentes, auxilio, et consolationi semper futuri, vitam, et salutem nostram, cuiuis periculo illius caussa exponere nihil dubitantes, velut fidelibus, & rectè consulentibus subditis, erga suum legitimum Dominũ, Regemq; sese gerere conuenit: Vbi etiam eiusmodi casus, Duci Magno humanitùs acciderit, vt vniuersæ carnis viam ingrediatur, maior natu filiorum eius, in regimine, & dignitatis Throno succedet, eòq; modo, quo de vitâ decedunt, de lineâ ad lineam propagationis (quemadmodùm in Erici, & Iohannis designationis articulis, de verbo ad verbum commemoratum est) obseruandum; Atq; ità eum, qui tùm temporis proximus, secundum lineam dignoscitur, acceptabimus, & confitebimur pro nostro, & Regni designato, ac electo Rege, illiq; iusiurandum, fidelitatem, opemq; præstabimus, & cum illo vitam, salutemq; nulli subducemus discrimini; Et vt multa paucis complectar,

 ea mo-

eâ moliemur, quæ fidis, & benè consulentibus subditis iure conueniunt.

Quòd si deniq; secundum Ducis Magni de vitâ migrationem, nulli Regales, & Ducales forent filij hæredes, is designatus, & iuramento confirmatus Rex Sueonum censebitur, qui deinceps per Dei prouisionem, ex Regio sanguine, & filijs hæredibus, maior natu in eiusmodi Regiâ progenie superstes fuerit, & illo pacto, de lineâ ad lineam, vt decedunt, vnus secundum alterum in Regiâ prosapiâ, non secùs ac de tribus præfatis R. M. Dni nostri clementißimi hæredibus filijs masculis, illustrißimis Principibus, & fratribus, Dno Erico, Dno Iohanne, & Dno Magno dictum, ac in eorum expreßum est designationis articulis; Atq; illo modo sine subterfugio, aut dolo, illustrißimâ hac familiâ superstite, iugiter procedendum; Quocircà nos obligamus, promittimus, & iuramus, quòd designationi huic stirpis Gustauianæ, velut illa de verbo ad verbum hîc expreßa, & confirmata est, quamdiu S. M. Dni nostri benignißimi Regalis mascula progenies, & filij hæredes in viuis extiterint, constanter, firmiter, & irreuocabiliter adhærere velimus; ac quoad præfata Regis Gustaui familia perseuerauerit, illam pro legitimis, & naturalibus Regni nostri Principibus, atq; Dominis

minis, de lineâ aut progenie, ad lineam seu progeniem, velut in hac Regiâ designatione commemoratum est, obseruaturi simus; Prætereà vitam, bona, famã, salutem, vxores, & liberos, omnemq́; possessionem nostram, vnà cum illâ obijcere, viuere, & mori, ac quemuis fortunæ ictum simul præstolari velimus esse parati: Nec minùs aduersus externos, & internos Regni, Regisq́; hostes, qui pro tempore sunt, aut inposterùm futuri) neminem prorsùs, aut vllam Nationem, Regionem, eminentioris, aut humilioris conditionis Magnatem excipientes) conabimur insurgere, cuiq́; nos alacriter obijcere, ipsisq́; factis declarare, & perficere illud omne, quod nos erga legitimos, Indigenasq́; Reges, & Dominos nostros, ob patriæ nostræ libertatem, sicut fideles nationis Sueticæ viros, & rectè consulentes subditos oportet, atq́; expedit, & nos diuino præcepto, & iuramenti, obligationisq; nomine obstricti sumus; Neq́; posthac quemquam alium, externum, aut internum (quacunq́; tandem ratione id vnquam fieri poterit, nihil excipientes) pro Domino, aut Rege nostro sumus agnituri; Sed potiùs eum persequuturi, viriliterq́; suppressuri. Nam quousq́; Serenissimus Rex Gustauus, & eius prosapia viget, illam pro nostris, et vniuersi Regni naturalibus, et electis Regibus,

 gibus,

bus agnoſcimus, et deligimus, in contrarium, neq; inimicitia, amicitia, fauores, munera, conſanguinitas, odia, ſimultas, aut cuiuscunq; generis cauſſæ, vel hominum fraudes, inſuſurrationes, vel minæ nos vnquam permouebunt.

Sed ſi fortè acciderit aliquem Indigenarum, aut aliquam Prouinciarum, vnam vel plures, nunc vel futuris temporibus (quod tamen Deo auxiliante non fiet) ſeceſſionem à nobis facere, aut aliás tumultum, vel rebellionem ſuſcitare velle, tùm nos obſtringimus, arctiſſimè colligamus, ſanctè promittimus, & adſtipulamur, quòd vigore huius iuramenti, & obligationis, eiusmodi tumultum pro voto R. M, atq; poſtulatione, ſyncerè ſupprimere, & vindictam à ſontibus repetere ſimus adiuturi; Nec ijs palàm aut clàm, conſilio vel auxilio, hoſpitio, aut alimentis, armis, alijsue rebus neceſſarijs ſuccurſuri; Sed potiùs eoſdē, etiam vitâ noſtrâ in periculum adductâ, perſequuturi, ac ad internecionem deleturi, tantâ quidem potentiâ, & multitudine, quantam S. M. exigere voluerit, ſine ſubterfugijs auxiliando: Non abſimili promptitudine nos aduerſus alias, ab externis imminentes impreſſiones, & arma, neceſſitate ità vrgente, opponemus, pro S. M. & liberorum incolumitate, vitam fideliter, & viriliter, cuiq; telo exponen-

ponentes: Quod si contingeret etiam (id Deus clementer diu auertat) R. M. Dominum nostrum clementissimum Regem Gustauum, lucis huius vsurâ priuari, antequàm proximè successurus Rex, ad annos legitimos peruenerit, protinùs post obitum R. M. quatuor, aut pluribus ex Equestri ordine, & ad hoc munus aliàs praeordinatis, qui vnà cum Serenissimâ Dominâ Margaretâ Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Reginâ, Regnum quàm optimè in tranquillitate, intereà temporis moderentur, regimen committemus; Quibus, atque Serenissimae Dominae nostrae Reginae obedientes, subiecti, consolationi, auxilio, subsidioque futuri sumus, quousque proximè gubernaturus Rex, Dominus Ericus, ipsemet regimini dexteram admouere poterit, perindè atque ille in gubernatione foret constitutus, nosque omni pacto fideles, & rectè consulentes subditos deprahendent.

Sin etiam R. M. Dominus nôster benignissimus Rex Gustauus, alijs S. M. filijs, natis & nascituris, qui ad Regale culmen transcendere non possunt, secundum conditi testamenti, & Ducalis sustentationis tenorem, ac vigorem (quemadmodùm litterae, & sigilla vltimae voluntatis, super hoc conficienda, & confirmanda expresserint) quasdam Ditiones in hoc Regno, vndè pro dignitate fa-

milia viuent, cum consensu ordinum Regni assignauerit, præfatis Principibus, Moderatoribus, & Dominis nostris, sine omni tergiuersatione, velut naturalibus assignatæ Ducibus Prouinciæ, & electis Dominis fideles, addicti, & æqui consultores inueniemur; Atq; cum illis aliud nihil actitabimus, quàm quod fideles, & probos perdecit subditos: Similiter Sueticæ Coronæ, eiusq; Regi debitam obedientiam, & obsequium præstabimus, perindè ac fidelibus incolis, atq; subditis conuenit, & vt in testamento regio comprahensum fuerit. In summâ, aduersus hæc præmemorata, & præsentem inaugurationem, sempiternamq; vnionem, nihil vnquam moliemur; Sicut neq; ab internis, aut externis, vt quidquam in illius præiudicium fiat, permittemus; Verùm vnanimiter præsentibus, & futuris temporibus, eiusmodi inaugurationibus promissa, omnium nostrûm beneplacito, velut expansis accepta vlnis, seruabimus, illa magnanimiter protegentes; insuper R. M. & vniuersi Regni salutem, pacem, atq; tranquillitatem promouebimus. Si autem casus ità ferret, fortunæq; inclementia (quod Deus clementer prohibeat) R. M. illiusq; masculos hæredes, sine Regalibus, & Ducalibus masculis hæredibus fatis concedere, filiabus, vnâ aut pluribus de hac familiâ superstitibus, tùm temporis

poris electio ad vniuersos Regni Senatores, reliquosq; fidos Sueciæ Incolas deuoluetur, in quibus conquiescet, neq; ad quemquam externorum, & peregrinorum deriuabitur, iure reluctante patrio.

Similiter etiam ex vniuerso Regno (velut eiusmodi Magnatum derelictis filiabus facere par est, & secundum regalis codicilli tenorem, R. M. & hæredum regalium soboli fæmineæ præstare tenemur) de honestâ, & dignâ dote prouidebimus, matrimonioq; illustri elocabimus, atq; alios testamenti regalis articulos irreuocabiliter, fideliterq; adimplebimus, & irrefragabiliter exequemur: Deindè quidquid hac inaugurationis obligatione, aut nuperâ, vt etiam in Transactione Ørebrogianâ, & in omnibus alijs decisis, scriptoq; comprahensis Transactionibus, R. M. eiusq; hæredibus, per nos, & alios Regni Senatores, Equites, & plebeios, viuentes aut mortuos promissum, & subscriptum est, ac quidquid in Regio testamento, de verbo ad verbum articulatim, & perspicuè comprahensum est, illis omnibus quàm fidelissimè sine dolo malo, morâ, nouis inuentionibus, quacunque humanâ astutiâ satisfacere, & ea inuiolabiliter, irreuocabiliterq; exequi conabimur; Simili modo vnanimiter, & peculiariter, vigore nostri juramenti, ratione famæ, conscientiæ, vitæ, fortuna-

tunarumq́; in verax, & sempiternum testimonium, illa stabilimus, et confirmamus; A quibus proindè neq; gratia, munera, simultates, consanguinitates, amicitiæ, aut inimicitiæ, vel aliæ hominum passiones, instantiæ, vel adinuentiones nos vnquam remorabuntur, aut dimouebunt, ità nos Deus adiuuet, & suum sanctum Euangelium. In cuius rei vberiorem certitudinem, maiorem securitatem, & confirmationem, quod hæc Transactio, perpetuus consensus, & vnanimis decisio, ac quidquid prætereà litters his commissum, secundum nostrûm omnium, nempè vniuersi Senatus, Equitũ, Episcoporum, Prælatorum, Ordinum, Ciuitatum, Communitatis in toto Regno, vnanimes, & diligentes obsecrationes, petitiones, consensus, in liberâ nostrâ relicti conditione, non coacti, neq; compulsi, pro salute totius Regni Sueciæ, et Inhabitatorum prosperitate, tranquillitate, commodo, et emolumento peractum est, inuiolabiliter sit seruandum; idq́; ipsum esse promissum, juramento confirmatum, & stabilitum constet, Nos R. M. & Regni Consultores, Nobiles, et plebeij vnanimiter, & peculiariter, nomine omnium confratrum nostrorum, & Ordinum Regni, cunctarum Ciuitatum, & Communitatis, præsentium, et absentium, quisq́; pro se, et suis successoribus, hæredibusq́;

Iuramentum Electionis.

dibusq; in perpetuum testimonium, quòd scilicet præmemorata vniuersa firmiter, & inuiolabiliter obseruaturi simus, nostra propria, & agnata sigilla, scienter hîc infrà appendere curamus. Datum, & exaratum Arosiæ, in octauâ Epiphaniæ Domini, quæ incidit in 13 Ianuarij, anno 1544.

HVius vigore, & tenore Vnionis hæreditariæ, secundum Serenissimi Regis Gustaui postrema fata, Regi Erico velut proximo, & primogenito Regni Diadema impositum. Verùm cùm longè secùs rerum in Sueciâ potiretur, quàm Parentis (piæ memoriæ) testamento cautum erat, in quo Vnio hæreditaria fundata, iure meritissimo regali eminentiâ, atq; dignitate exutus est: In eius deindè locum (quandoquidem Rex Ericus legitimos hæredes masculos nullos reliquerit) Regni Sueciæ Ordines, Ducem Iohannem subrogarunt, veluti proximum ratione Vnionis hæreditariæ ad Coronam Regni capessendam: Cui proindè Sereniss: Regi Iohanni, vniuersi Regni Sueciæ Ordines, eminentioris, & humilioris conditionis, toto S. M. vitæ decursu, fidele, atq; virile subsidium, aduersus plurimos externos hostes potentissimos, vsq; ad ipsum agonis momentum, ut toti mundo probè cognitum, exploratumq; est, præstiterunt: Sicut etiam diligentissimè obseruarunt, ne ab Vnione hæreditariâ, in Regis Gustaui (diuæ recordationis) filios, atq; posteros ordinatâ, deq; hærede ad hæredem translatâ, vel minimùm exorbitarent. Quocircà Rege Iohanne adhuc superstite, S. M. vnicum eo tempore filium Ducem Sigismundum, in Regem, & Gubernatorem proximum, vt ex inauguratione liquidò constat, designarunt, cuius tenor eiusmodi:

NOs subnotati Senatores Regni Sueciæ, Equites, & Nobiles, qui hisce interfuimus Comitijs, Stocholmiæ septimâ Martij anno 1590. celebratis fatemur, & palàm te- Inauguratio Regis Sigismundi.

 stamur.

*stamur pro nobis, & nostris successoribus, hæredi-
busq́;, harum patentium litterarum vigore, & ro-
bore, quòd postquam peruetusta illa, & indigena
Regum Sueciæ prosapia, hoc celeberrimo Regno
penè interijsset, è viuis sublato Magno cognomine
Smeek, Rege Sueciæ, externiq́; Dominatus perni-
ciosâ quâdam curiositate, & desiderio introduci
occepissent, ac ad Regni Thronum sublimati Alie-
nigenæ, in detrimentum subditorum contemptis
Indigenis, ducentis propemodùm annis, à Ger-
manis, & Danis hæc Sueonum Respub. miserri-
mè afflicta, atq́; velut rapina, & spolium externis
prostitisset, & patuisset; Etiamsi Maiores nostri,
eâ tempestate sæpenumerò pro virili desudarint,
maximèq́; conati sint libertatum suarum iura de-
fendere, vt externorum tyrannidi caput subduce-
rent; Nihilominùs tamen, in cassum conatus om-
nis cecidit, incideruntq́; in Scyllam cupientes
vitare Charybdin; Atq́; eousq́; Peregrinorum Do-
minatus ad extremum progressus, vt nisi diuina
bonitas Sueonum Rempub. clementi intuitu re-
spexisset, & in extremâ necessitate, in quâ tùm
temporis fuerat constituta, potentissimum Prin-
cipem Dominum Gustauum Suecorum, Gotho-
rum, & Vandalorum Regem (inclytæ memoriæ)
in auxilium submisisset, dubio procul immitissi-*

mus

mus ille Tyrannus Christiernus secundus quondam Rex Daniæ, charissimam nostram patriam ad sempiternam, & intolerabilem seruitutem perduxisset, ; ità vt nunquam pristinæ libertati restitui potuisset: Præsertim verò cùm nullus eo tempore repertus fuerit in amplissimo Senatorum, Equitum, & Nobilium collegio, qui vitam paratus esset in discrimen adducere, vt patriæ nostræ dilectissimum solum, ex tantâ, & tàm immani vindicaret tyrannide, præter vnicum Regem Gustauum duntaxat, qui singulari prouidentiâ Dei, hunc laborem subiuit, molestiâ, & sollicitudine plenissimum, non solùm hoc Regnum consuetis Prærogatiuis, tranquillitati, et optimo regimini restituens; verùm etiã ab ipso Regni sui primordio, ad id sedulâ mente incubuit (licet non sine quorundam maleuolentiâ, & insidiatione) vt sacrosanctum Dei verbum, quod multis sæculis in hoc Regno, sicut etiam in alijs Regionibus, (quod Deus inposterùm conseruet) operâ Pseudodoctorum, doctrinæ cimmerijs obrutum tenebris, & propè extinctum, in lucem denuò, & diem apertum produceretur; velut quoq; R. M. laudabili industriâ, & auxilio peruenit, atq; in hunc vsq; diem (æterno Deo laus) exindè purum in hoc Regno permansit.

Quandoquidem verò nostri parentes, & proaui gra-

ni gratitudinis ergò, pro tanto amore, & beneficio patriæ nostræ, unà nobiscum, & nostris successoribus præstitos, tempore sospitatis ex liberâ voluntate, maturo consilio, vnanimi decisione consenserint, promiserint, & iurauerint sese potentissimi Regis Gustaui filios natos, & nascituros, de hærede ad hæredem, quàm diu vllus de Suæ Maiestatis masculâ progenie superesset, pro eorum naturali, legitimè designato, & hæreditario Rege, Principeq́ accepturos, & cognituros; in cuius rei fidem euidentiorem, efficaces litteras consensu publico confecerunt, quas maturis consilijs stabiliuerunt, veluti primò accidit Örebrogiæ anno salutis 1539; & deinceps in Comitijs vniuersalibus Arosiæ propositis, & inaugurationis solennitate, à Regni Sueciæ Senatu, Equestri ordine, & Nobilitate anno 1544. renouatum, pari ratione à clericali collegio, Ciuitatum, & Communitatis vniuersæ plenipotentibus ex toto Regno approbatum, litterisq́, & sigillis, extimis Comitijs à Serenissimo Rege Gustauo Stocholmiæ anno 1560. peractis confirmatum est; Cùm autem intereà prolixa temporis mora intercesserit, atq́, Maiores nostri ex coronâ Senatoriâ, Equestri, et Nobilitatis tùm temporis superstites, mortis imperio iam succubuerint; Idcircò vt vniuersi Sueciæ Inhabitatores,

tores,

tores, nunc viuentes probè cognoscant, & intelligant, quid à nostris Antecessoribus actum, & conclusum de præfatâ Vnione hæreditariâ, & inauguratione, nobis eiusmodi Transactiones denuò publicè, & articulatè ex ipsis autographis prælectæ, & prælo excusæ Typographico cuiq; nostrum fuerunt communicatæ, vt absentibus, & nostris posteris sint instructioni, & directioni, qualiter præfata Vnio hæreditaria, ab omnibus vnanimi consensu approbata in veritate sese habeat: Siquidē verò nostri Maiores, pro se, et suis successoribus, memoratam hæreditariam Vnionem concinnauerint, & approbauerint, vt tempestiuè obstaculum cuiuis seditioni, & detrimento ponerent, in quod Sueciæ Regnum sæpenumerò, ob Regum designationes præceps est prolapsum, & ideò certæ familiæ, atq; progeniei adhærere voluerint, quæ Sereniss. Regis Gustaui masculos hæredes comprahendit: Sicut etiā iura Suetica Regum filios, præ reliquis ad regalem apicem suadeant sublimandos; Itaq; nostrûm quilibet, nunc idipsum duxit consultissimum esse, illamq; ob caussam prāememoratam Vnionem hæreditariam denuò, & maturo consilio, liberâq; voluntate confirmare, ac stabilire nostris litteris, & sigillis decreuimus.

Proindè nostrûm quilibet manu stipulatâ promisit,

misit, & per sanctissimam fidei Christianæ veritatem, nobilitatis nostræ decus, & honestatem, pro nobis, & nostris posteris vnanimiter, & sanctè jurauimus, nos quàm fidelissimè præfatæ Vnioni hereditariæ, (velut ad litteram sonat, de verbo ad verbum articulatim, & manifestè composita, compræhensaq; est) sine malo dolo, contradictione, et peruersis interpretationibus, etiam appositissimè ad veritatis imaginem, ab aliquo hominum, modò aut temporis progressu excogitatis, firmissimè adhæsuros; Neq; hac obligatione contenti, sed nostra promissa hisce litteris porrò exprimere, & exactius declarare hoc pacto decreuimus; Nempè cùm Deus omnipotens (in cuius manu Regum, ac Principum, sicut etiam omnium mortalium vita collocata) serenissimum Principem, & Dominum Iohannem tertium, Regni Sueciæ, & omnium nostrûm Regem Clementissimum, ex hoc turbulento mundi pelago, ad æternam requiem (cuius tamen vitæ tempus ex corde optamus, vt Deus in multos prosperos, & quietos proroget annos) vocauerit, firmissimè promittimus, nos arctissimè obligamus, et juramus quàm religiosissimè, quòd Potentissimum Principem Dominum Sigismundum, prò tempore in Poloniâ rerum potiuntem, ceu proximum Regni Sueciæ Principem hæreditarium,

Electio R. Sigismundi

um, secundum fata serenissimi sui parentis, pro nostro legitimo Rege simus accepturi, atq; cognituri, S. M. fidelitatem, & subsidium virile, omninò secundū jura Suetica in omnibus præstantes: Simili modo S. M. hæredibus masculis, qui S. M. de hac vitâ migrationi superuixerint: Verùm Serenissimi Regis Iohannis minor natu filius, Illustrissimus Dnūs Iohannes, Regni Sueciæ Princeps hæreditarius, pro se, & suis masculis hæredibus paternum, ac hæreditarium Finlandiæ Principatum totum, aut maiorem illius partem consequetur, & securè possidebit; Aut certè illius loco aliam quampiam Ditionem, reditibus annuis non inferiorem, prout R. M. inter viuos agenti, super hac re statuere visum fuerit. Atqui si Sigismundo Regi, proximo nostro Dno, nullis hæredibus masculis relictis, mortem contingeret oppetere, regale Sueciæ Sceptrum, benignissimi Domini nostri, & Regis juniori filio, Illustrissimo Duci Iohanni, & S. C. hæredibus masculis, quousq; eorum quispiam inter viuos egerit, porrigetur. Quòd si autem nulli hæredes masculi Serenissimi Domini Regis Iohannis, aut etiam S. M. Nepotes præ manibus essent, per mortem sublati, tùm Sueciæ imperium Illustrissimo Domino Carolo, Regni Sueciæ hæreditario Principi, Sudermanniæ, Nericiæ, & Wer-

Designatio D. Iohannis in R. S.

Inauguratio Regis Caroli IX.

& Wermelandiæ Duci certißimò committetur, qui velut designatus, & iuramento confirmatus, Regni Sueciæ Solium ingressurus, atq; S. C. postmodùm masculi hæredes, (si clementia superna quospiam S. C. largiretur) quousq; vel vnicus vspiam inueniretur: Si autem plures haberet S. C. filios, qui secundum fata Illustrißimi Parentis extrema, regimen affectarent Sueticum, primogenito proximus, vigore litterarum super hac re datarum, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ, velut serenißimus Parens illius anteà extitit, futurus est.

Sed si Illustrißimus Dux Carolus, sine masculis hæredibus de vitæ statione abiret, & Diuina benignitas, præfato Regi Sigismundo plures quàm hactenùs concesßißet filios hæredes, ità constitutum est, & à nobis omnibus vnanimiter approbatum, vt eorum vnus, qui iure vnionis hæreditariæ arcetur à Suecano Regimine, Illustrißimi Ducis Caroli derelictum Principatum Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ meritò possideat; Nisi Serenißimo eius Parenti secùs visum fuerit consultum hac super re agere. Sin verò neq; illi suppeterent, & Illustrißimus Dux Iohannes foret in viuis, pluribus auctus filijs, S. C. maiori natu proximus filius, hac occasione, aut paternum hæredi-

hæreditarium Principatum, aut certè Patrui sui Ducatum, prout S. C. Dominus parens, aut etiam Dux Carolus tempore vitæ suæ, tenore suarum litterarum hac de re ordinauerit, consequetur: Semper tamen trium annorum integris, ex memorato Ducatu reditibus præretentis de fodinis, alijsq; annuatim prouenientibus, quos Illustrißimi Principis D. Caroli dilectißimæ filiæ, post mortem Parentis, euestigiò tùm temporis ex Ducatu colligendos, iam litteris efficacibus promissum est: Intereà autem temporis, donec S. C. digno cuipiã locetur matrimonio, pro Ducali sustentatione, reditibus defunctæ Dominæ Matris (gloriosæ memoriæ) ex dote, et bonis hæreditarijs immobilibus prouenientibus, secundum vigorẽ litterarum hac super re obtentarũ, integrè fruetur. Prætereà vt ab vniuersis Regni Sueciæ Ordinibus, anteà in generalibus Comitijs vnanimiter statutum est, defuncti Regis Erici (cuius animæ Deus misereatur) Liberi, & vniuersa illorum progenies, in perpetua tempora omni aditu ad Regni Sueciæ Coronam excludenda; Eâquidem de caußâ, quòd præfatus Rex Ericus, præter inconueniens, & indecorum quod contraxit matrimonium, suæ inclytæ familiæ, & prosapiæ in dedecus maximum, & omnibus antiquis, Equestribus, & Nobilibus in hoc Regno Prosapijs

incon-

in contemptum insignem vergens, etiam primarias Nobilitatis familias extirpare, per summum scelus meditabatur; Nam à prauis hominibus, & propriæ naturæ maliciâ, eò se perduci passus est insaniæ, ut immanem illam tyrannidem, eandemq; crudelissimam Vbsaliæ perpetraret: Quod proindè iudicium omnimodè nos etiam approbatum, & confirmatum esse cupimus; Atq; imposterùm omnem defuncti Regis Erici propaginem, nunc existentem, aut futuris temporibus emersuram, ex Suecano regiminis fastigio in omnem æuitatem excludimus, ac indè relegamus, vt neq; in hoc Regno, Ducali nomine, titulis, vel insignibus sit gauisura, ne si secùs fieret, vindictæ cupiditate, copiosior fortè in Regno sanguinis profusio contingere posset. Neq; minùs à nobis vniuersis consensum, & conclusum est, si cuipiam minorenni Domino ex hac familiâ, Dignitas regia secundum Vnionem hæreditariam contingeret, vt senior semper, et sanguine propinquior in familiâ eâdem regali, & potissimùm ex lineâ paternâ si quis superstes fuerit, minorennis Domini hæreditarij Tutor constituatur, illiq;, & Regno vniuerso, cum pluribus alijs viris probis, vigore testamenti ad hoc deputandis, fideliter, & secundum Iura Suetica, cum

autho-

authoritate præsit: Ideò Tutor, & eius Aßistentes iuramentum scriptis comprahensum, & in propriâ personâ pronunciatum doponent, quòd minorennis Domini commodum, sint eâ fidelitate curaturi, prout omnes, & singuli volunt, & possunt securè coram Deo, & quolibet honesto viro rationē reddere, donec memoratus iuuenis Dmus, ad iustos annos, & ætatem regimini idoneam peruenerit, per quam ipsimet illud præstare liceat, & valeat (intelligendo annum vicesimū) tùm Regnum, regimenq; illi resignabitur liberè; & sine impedimento, in meliori, & non deteriori rerum cardine positum. Verùm ab anno decimo quinto ætatis suæ, ad vigesimum vsq;, Illustriss. minorennis Dominus dimidium regiminis cum Tutoribus sibi vsurpabit, ità vt neq; illi sine minorennis Dni, aut ille sine Tutorum consensu quidquā maioris momenti concludat. Insuper vt præmemoratum est de dote Illustrißimi Ducis Caroli filiæ, quænam illa futura, si Parentis Serenißimi vitæ tempori superuixerit, & intereà de condigno non fuerit illi matrimonio prouisum; Eâdem ratione, vnanimi consensu conclusum, & approbatum eße volumus de aliarum Ducalium virginum dote, quibus tempore Parentis, aut Fratris de connubio circumspectum non fuerit; De aliarum verò dote ità sentiendum, vt

 in lit-

 in litteris donationis commemoratum est: Sed de dote Illustrissimæ Principis Annæ statuendum, vt iam aliàs comprobatum est, vt scilicet S. C. velut vnica filia, satis dilectissimæ Dnæ Matris (beatæ recordationis) superstes, primo anno centum millia thalerorum, ex contributione omnium Regni Ordinum collecta, tàm ex Prouincijs nuper Sueciæ finibus adiectis, quàm etiam ex alijs, quæ ab antiquis temporibus Sueticæ Coronæ subiectæ fuerunt, consequatur; Altero autem anno centum millia thalerorum ex Coronæ prouentibus, & Regni ærario, illo quidem anno (si ità possibile foret) quo contrahit matrimonium, aut ad summum, citra triennium proximè nuptiarum sollennitatem subsequens, illaq́; ex certis quibusdam Regni prouincijs numerabuntur.

Deindè velut frequenter inculcatum est, quòd Maiores nostri Regni Sueciæ Senatores, Equites, & Nobiles in emolumentum, & diuturnam prosperitatem patriæ nostræ, similiter in argumentum promptæ submissionis, & gratitudinis Serenissimo Regi Gustauo exhibendum pro omnibus, et quidem summis beneficijs, à S. M. benignè præstitis, præfatam Vnionem hæreditariam, S. M. Regalibus, & Ducalibus masculis hæredibus sponte, & vnanimiter pro se, & suis successoribus

ribus

ribus fideliter velut ad vnguẽ conseruandam decreuerint, approbauerint, et consenserint; Cui proindè Vnioni hæreditariæ, pari modo nos, et nostros posteros inuiolabiliter, & irreuocabiliter adhæsuros ingenuè spondemus: Siquidem autem modernus Rex noster, & Dnus clementissimus, nobis & vniuersis Regni subditis, Indigenisq; plurima exhibuerit beneficia, illaq; prorsùs Regiâ liberalitate in hoc, quòd S. M. ex diuinâ prouidentiâ, vnà cum Illustriß. Principe Domino Carolo, nos ex duro, rigido, & immiti Regis Erici regimine liberauerit; vt etiam ab illâ, quâ nonnulli hominum alij, eâ tempestate in nos dominabantur tyrannide: Similiter quòd S. M. in ipso regiminis sui primordio plurimùm auxerit, & confirmauerit Nobilitatis nostræ priuilegia, & prærogatiuas plurimis vtilibus, et necessarijs adiectis articulis; Velut etiam quosdam nostrûm bonis, et possessionibus ornauerit amplissimis, multoq; plus regiminis sui tempore, quàm vllus Antecessorum, Nobilitatem Suecanam heroicè expoliuerit, & illam insigniter multiplicauerit; vndè ad nostros successores, sicut quoq; ad nos, non exiguum emolumentum, & vtilitas deriuantur, materiesq; copiosa læticiæ, et gratitudinis porrigitur: Itaq; nos etiam ex liberâ, & promptâ voluntate, maturo consilio promittere,

 addi-

addicere, & iurare decreuimus; velut etiam hisce vnanimiter, & consentienter, peculiariterq́; pro nobis omnibus, & singulis, absentibus, & præsentibus, vt quoq; pro vniuersis nostris successoribus, quàm firmissimè id vnquam fieri poterit, & decuerit, liberè, & vltrò pollicemur, addicimus, & iuramus per fidem nostram christianam, Nobilitatis decus, honestatem, & veritatem, nos si contingeret (quod tamen omnipotens Deus diu clementer prohibeat) vniuersam Regalem, & Ducalem masculam progeniem, familiamq́; interitum subire, hæredibus de lineâ fæmineâ in R. M. prosapiâ Regali, & Ducali superuiuentibus, eandē Principem, & regiam Natam, si suppetit illa, aut etiam Ducis filiam maiorem natu tùm temporis, & non dùm elocatam matrimonio, ex præfatâ Illustriss. prosapiæ lineâ fæmineâ, in Reginam Sueciæ electuros, & confirmaturos: Non tamen S. C. virum vllum citra beneplacitum, & consensum proprium obtrudemus; & potissimùm ex eo populo, Regno, aut Regione, quæ Sueticam Nationem despicatui, & contemptui ducit, aut Regni Sueciæ periculo, detrimento, & ruinæ inhiauit, desiderauitq́;, neminem vnquam prouidebimus; Sed potiùs, & præcipuè quempiam ex familijs illis Germaniæ, quæ ex Sueciâ ab Illustrissimâ Gustaui

Regis

Regis familiâ ducunt originem; nisi præfatum Connubium propinquitas sanguinis impedire videretur; Alias verò Regum, & Ducum filias, quæ eo tempore supersunt, honesti, atq; liberali dote sponsali impertiemur, aliaq; ducali expeditioni necessaria diligenter procurabimus.

Tamen his conditionibus præmissis, ne Illustrissimæ Regum, aut Ducum filiæ, vllum contrahant matrimonium cum Domino quopiã externo, aut interno, nisi fiat cum consensu Ordinum Regni vnanimo, & liberâ approbatione. Hæc, & alia omnia, in hac nostrâ obligatione scriptis compræhensa, sine omni subterfugio, contradictione, aut exceptione irrefragabiliter conseruabimus, & consummabimus, omniq; tempore, clàm, & palam, absentes, & præsentes, vniuersæ huic Regali, & Ducali prosapiæ, propaginiq;, quousq; vel vnica superest persona (Regis tamen Erici progeniem modò, & futuris temporibus prorsùs repudiamus) addicti, fideles, & obedientes subditi sumus futuri: Vbi verò factio, & conspiratio quæpiam inuestigari posset, quæ iàm facta esset, aut postmodùm subuerẽda, huic nostræ obligationi scriptis comprahensæ, & erectæ Vnioni hæreditariæ contraria, omnibus modis, quouis tempore, & vbiq; extinguenda, et penitùs adnihilanda. Pro his autẽ spon-

spontaneis nostris pollicitationibus, & obligationibus, Serenissimi Regales, & Ducales Suetica Corona, & Regni hareditarij Domini vicissim promiserunt, seq; obligarunt pro regiâ, & ducali suâ authoritate, veritateq; pro se, et suis Successoribus, quòd nobis inuiolabiliter, et irrefragabiliter Regni Suecia Senatoribus, Equitibus, & Nobilibus, atq; vniuersis Regni subditis, pauperibus, et diuitibus, Ecclesiasticis, & Politicis, secundum jura suetica scripta, & comparata ab antiquo tempore, dataq; priuilegia viuere sint permissuri; neminemq; vnquam coacturi, aut in conscientiâ ad vllam Religionem amplectendam molestaturi; Quæ Regales, & Ducales obligationes semper renouandæ, quoties aliqua in regimine fit mutatio, vt alter alteri legaliter, & secundum Vnionem hæreditariam, præsentemq; nostram Obligationem, in Throno, et Dignitate regiâ successisse dignoscatur; Sicut etiam Regni Ordines eâdem operâ, confirmationem præfatæ Vnionis hæreditariæ, prout nunc in omnibus articulis hîc recensita est, renouabunt. Ad vberiorem verò certitudinem, & maiorem securitatem, quòd hæc vniuersa â nobis, & nostris successoribus firmiter, & inuiolabiliter sint seruanda, hisce litteris scienter nostra propria, & agnata appendimus sigilla, proprisq; manibus subscripsimus. Datum, & exaratum vt suprà.

Proinde

PRoindè cùm Rex Iohannes (gloriosæ recordationis) vitæ defunctus esset munere, illud Regni Sueciæ Ordines obliuioni minimè tradiderunt, quod in hac præmissâ Vnione, & Inauguratione hæreditariâ promiserunt; sed Internuncijs, atq; litteris, magnificisq; legationibus (quæ maioris informationis gratia subnectentur) à Serenißimo Sigismundo Rege efflagitarunt, vt S. M. vigore Vnionis, & Inaugurationis hæreditariæ, sese in Regnum Sueciæ quantociùs conferret: Etsi Rex Sigismundus, Regni Sueciæ Ordinibus prorsùs inscijs, & quidem eiusmodi conditionibus, quæ Coronæ Sueticæ penitùs intolerabiles erant, Diadema Poloniæ acceptaßet; imò etiam contra consensum, & assensum Regis Iohannis (piæ memoriæ) Rex Sigismundus illud capeßiuisset: Nam Serenißimus Rex Iohannes Filio prorsùs inhibuit, ne sub ali quibus condicionibus, se actionibus immisceret illis, quæ Regno Sueciæ perniciosæ, aut in præiudicium aliquod existere poterant, vt Instrutio Legatis tradita, qui super eâ regali electione cum Polonis acturi fuerant, testatur, & huic historiæ postmodùm inseretur. Quâ in re profectò Rex Iohannes laudabiliter egit, Serenißimi Dn̄i parentis sui non immemor admonitionis, in quâ (inclytæ recordationis) Rex Gustauus suos successores vniuersos seriò admonitos cupit, & demandat, ne Regni Sueciæ limites diminutum eant; sed potiùs eos tueantur: Quamobrem Serenißimus Rex Iohannes nullâ ratione permittere voluit, vt Filius externo potiretur Diademate, cum detrimento, & decremento Regni Sueciæ. Quamuis autem Rex Iohannes pro desiderio, & petitione Polonorum, Ericum Sparre, & Comitem Ericum Brahe, super hac electione Polonicâ tractatum expediuerit, vt testis illorum Instructio; Nibilominùs tamen ne de tali actitarent electione, quæ Suecanæ Reipub. perniciosa foret, seuerè prohibitum est: In præiudicium autem Instructionis, præfati nimiùm actitarunt Legati, illamq; turpiter præuaricati sunt, id proprio iuramento sanctè promittentes, & confirmantes, quod nunquam in mandatis habuerunt, velut ex Instructione patet, cuius hic genuinus tenor:

Instructio Erici Sparre, & Comitis Erici Brahe.

INprimis conuenienti modo, Illustrißimæ Reginæ Poloniæ, Legati nostro nomine fraternam nostram propensionem, amorem, atq; ea bona quæ Sua Dilectio ab affine, & fratre propenso expectare poterit, deferent, non prætermittentes promeritam gratiarum actionem S. D. per-

 soluere

soluere pro singulari illâ solicitudine, quam S. D. in charißimis nostris Liberis promouendis gesßit, & adhuc sese gerere, non obscuris argumentis indices declarat. Deindè Sereniß imæ Reginæ caussas patefacient, propter quas ad Senatum, & Ordines Regni Poloniæ sunt destinati; nimirùm vt postulent, exigantq; solutionem illius pecuniæ, quæ nobis & dilectißimis Liberis nostris iure ex Aerario Regni Poloniæ refundenda, sicut ex Instructione nostris Legatis ante biennium traditâ euidenter patet; Quod negotium S. D. non solùm multis annis probè fuerat exploratum, sed etiam nobis tædiosum, & odiosum quòd nullam prorsùs soluendi promptitudinem experiamur: Etenim quanquã annis 35. fermè per nostros Legatos, & plurimas litteras, tàm Regibus viuentibus, quàm etiam Interregni tempore, non sine maximis sumptibus debitum illud exegerimus, tolerabilesq; conditiones Polonis monstrauerimus, quarum adminiculo sine vllo grauamine nobis persoluere poßent; illorum quoq; diuersas procrastinationes, & prætextus futiles patienter, & non sine proprio detrimento tolerauerimus, quibus nostram compellationem prorogare, & caßare consueuerunt; Attamen ne in hodiernum usq; diem ab illis perfectum, certum, & absolutum responsum obtinere potuimus. Quamobrem Serenißimam Reginam Legati solicitabunt, vt S. D. omni diligentiâ, consilio, & auxilio apud Regni Ordines elaboret, quò tandem aliquandò sine vlteriore morâ, cuius dudùm pertæsi sumus, plenè mutuum persoluant: Interim tamen nostri Legati Serenißimæ Reginæ illud negotium suggerent, de quo nuper S. D. nobiscum, & cum nostro filio non solùm per litteras, sed etiam proprium Internuncium egit, videlicet de illâ singulari propensione animi, quam præcipui, & primarij ex Nobilitate Polonicâ, Lithuanicâq; erga nostrum filium gerunt, quorum maior numerus illum in Regem Poloniæ suo calculo designauit. Quarè se in mandatis habere affirmabunt, ut nostro & filij nostri nomine ex S. D. cognoscant, vtrùm Ordines Regni Poloniæ in eâdem adhuc sint opinione, an verò sententiam mutauerint; Proindè nostro nomine S. D. obnixè rogabunt, ut quidquid S. D. existimauerit in hoc negotio nobis, & nostro filio vtilißimum, aut ad exigendum seriò debitum, vel ad tractandum cum Regni Ordinibus de electione filij nostri, vt S. D. nostros Legatos, velut promisit, dirigat, & suo consilio informet.

Dicent

Dicent preterea sibi demandatum esse, vt in hoc negotio se prorsus disponant, atq; faciant secundum voluntatem, & consiliũ S. D. Sed primùm & ante omnia diligenter inuestigabunt, quibus conditionibus Poloni filium nostrum in Regem expetant; quas vbi cognouerint, existimauerintq; tolerabiles esse, & vtiles Regno vtriq;, honorabilesq;; quæ etiam Regio filio conueniant, insinuabunt id per nostram voluntatem non difficulter fieri posse, quòdq; nobis, & nostro filio non displiceat. Attamen in hoc negotio, illud Polonis probè considerandum, longè alterius esse conditionis filium nostrum, quàm sunt alij principes, vnius solùm Ducatus possessores, ideò qui scunq; conditiones acceptare non grauantur, dummodò illorum authoritas, nomen, atq; dignitas hoc pacto crescat, & augeatur; Sed nostro vnico filio, qui paternum Regnum Iure hæreditario sperat, in Regemq; Sueciæ iam designatus, non opus esse externum aliquod Regnum precio, aut precibus venari, multò minùs per intolerabiles quasdam conditiones illud acceptare: Quandoquidem Maiorum beneficia suorum erga Polonos, tot & tanta fuerint, vt si vnicum filium nostrum Poloni, sanguinem ab Illustrissimâ, & Potentissimâ Iagellonum familiâ ducentem Regno Poloniæ, & Lithuaniæ Regem præficerent, non tantùm illius dignitatem augerent, ac propagarent; quantùm ad seruandum fideli, & perpetuâ memoriâ ea beneficia, quæ illis copiosè exhibita, atq; declarata. Quod cùm ità sit, Polonorum, & Lithuanorum propria authoritas, honorq;, iure quodammodò suo exigit, vt si grati existere velint, tantam animi propensionem erga vetustam propaginem Regiam declarent, quantùm erga Maiores suos virtute, multisq; beneficijs in communem vtilitatem, suorumq; successorum decus immortale, ratione consanguinitatis obstrictos, & obligatos sese agnoscunt; Insuper perpendentes quàm nobis molesta sit vnici filij nostri absentia.

Idcircò si Potentissima Poloniæ Regina affirmauerit, hanc actionem eiusmodi conditionibus transigendam (videlicet filio nostro nihil à Polonis propositum iri, quod Regiæ suæ familiæ sit indecens, aut iusticiæ, Regniq; Sueciæ dignitati, & emolumento contrarium,) protinùs S. D. Legati insinuabunt, nos omnem iurisdictionem quam debitorum quorumcunq; nomine habemus apud Polonos, filio nostro tradituros, illiq; permissuros pro beneplacito suo in eâ procedere: Similiter

liter quemadmodùm hactenùs consilio, atq; auxilio Polonis fideliter assistimus, Ità inposterùm nihil sumus prætermissuri, quod ad eorum vtilitatem, & diuturnum fortunæ incrementum spectare cognouerimus, dummodò filium nostrum tolerabilibus conditionibus Regem proclament, & constituant: Verùm si Regina animaduerterit Polonos sententiam, & animum mutasse, aut alio modo filium nostrum in Regem postulare, ideòq; intolerabiles conditiones proponere, aut hanc actionem duntaxat propter munera, & Feuda maxima transigere velle, in perniciem, atq; detrimentum Regni nostri, mox Legati nostri Illustrissimæ Reginæ manifestabunt, nos ex hac parte nihil prorsùs facturos, neq; velle vt noster filius peregrinum acceptet Regnum, cum Patriæ suæ pernicie, & detrimento. Hinc Reginæ consilio facilè manifestum euadet, vtrùm Regno inhiandum, aut debitorum persolutio vrgenda: Atq; si intellexerit Regina, Polonos aut à filij nostri electione alienatos esse, aut certè in illo eligendo intolerabiles ostendere conditiones, illam consulent Legati, quâ ratione debitorum persolutio sit exigenda.

Verumenimuerò si Polonos ad hoc promptos, & tolerabeles aduerterint, præcipuos Regni Ordines, Senatores, & Nuncios terrestres nostro nomine salutabunt officiosè, cùmq; nostram gratiam, & Regium fauorem illis detulerint, incipient cum ipsis filij nostri tractare negotia, quo priùs modo cum Reginâ processerunt, & actitarunt. Atq; vt Poloni eò propensiores sese præbeant, muneris erit Legatorum nostrorum, primarijs & velut antesignanis Senatorum (quorum fauorem, & patrocinium Regina in hoc negotio necessarium existimat) nostra promptissima, & singularia deferre obsequia. Alijs verò siuè Ecclesiastici sint, siuè Politici qui præ reliquis singularem calculum huic filij nostri inaugurationi porrexerint, eiusq; negotium consilio, fidelitate, & promptitudine peculiariter promouerint, promittant filium nostrum eiusmodi obsequium gratiâ, promptitudine, & liberalitate vltrò, & clementer compensaturum, prout vniuscuiusq; fidelitas, diligentia, atq; meritum erga nos, & filium nostrum hactenùs explorata sunt, & inposterùm exploranda; Nec minùs intimabunt nos quoq; ad hoc diligenter incubituros, ut quidquid eorum diligentia, nobis & filio nostro honoris impertiuerit, progressu temporis nostra,

& filij

& filij nostri liberalitas, fœnore compenset centuplo. Quòd si igitur his rationibus permoti, in nostras partes Poloni descenderint, promittent nostri Legati, sub eiusmodi conditionibus nos permissuros, vt filius noster primâ quâq; occasione in Poloniam proficiscatur: Sin autem irrita fuerit hæc spes electionis, auxilio & consilio Reginæ, debitorum solutionem exigent, innixi rationibus illis, quas nostri Legati coram illis, nomine nostro frequenter aliâs mouerunt, velut ex Articulis electionis Henrico & Stephano Poloniæ Regibus præscriptis, & in vigesimo sexto, & septimo articulo comprehensis manifestum. Pari ratione commemorati Legati intactum non relinquent, (Si Poloni velut iura, & iustitia postulant, hæc omnia velint exequi) affirmando se in mandatis habere, vt confæderationem cum illis contra Moschum instituant, eamq; aut ad propulsandam vim hostis, aut certè ad iungendum arma communia contra illum defensiua, & offensiua; ideoq; illa emolumenta nostri Legati inculcabunt, quæ ab hac confæderatione (Deo adiuuante) deriuanda, nempè Moschouitæ robur vndequaq; hoc pacto spem esse diminutum iri; imò ubi cognouerit hæc confæderationis arma, & insignia, quæ illi exiguo sunt commodo futura, receptiui canet cogeturq; pacis ergò resignare nobis, & nostris fecialibus prouincias, & castella; prout vtrinq; commodum fuerit.

Verùm si ità res ceciderit, vt neq; solutionis, aut etiam confæderationis spes aliqua adfulserit, Regni Poloniæ Ordinibus nostri Legati expressè manifestabunt, quàm indignè nobiscum hoc pacto agatur, quòd nō solùm mutuò à nobis conçessam pecuniæ summam, Dotem, ac hæreditatem ad nos, & nostros Liberos spectantem non persoluerint, sed etiam sibi rem alienam arrogauerint, & attribuerint, non verentes quoq;, contra legitimos huius pecuniæ possessores, hæredesq; multifariam violentiam, iniuriam, & inimicitiam moliri; Inprimis quidem cùm Poloni priùs viderentur nostrum filium, ex Iagellonum familiâ antiquissimâ sanguinem deriuantem, in Regem eligere velle, illudq; meritò propter Maiorum suorum erga Regnum Poloniæ beneficia, prout etiam Poloni ipsimet in Articulis prioris electionis ingenuè fatentur, modò preter omnem spem, & fiduciam illum reiecerint; Licet filius noster, neq; precio, aut precibus, vt dictum est, Regnum Poloniæ venari attentauerit, multò minùs nos illius nomine: Etenim nobis

inſcijs in numerum Candidatorum adoptatus eſt à Polonis, qui tandem tamen originis, ſanguinis, & meritorum nullo reſpectu babito, filio noſtro peregrinum præpoſuerunt, & prætulerunt: Deinde minimè reſtituerunt, aut perſoluerunt quæ iure ad nos ſpectabant; Atq; hoſti noſtro Moſcho contrarij volunt videri, aduerſus illum litteris, & internuncijs bellicas ſuppetias nobis offerentes, ad magnum amicitiæ nexum contrahendum, qui etiam nobis eò gratior extitit, quòd certo certius ſperaremus vtriq; parti vtilem fore, & vtrinq; firmiorem euaſurum; Atq; idcircò noſtras copias militares Polonis in auxilium ſubmiſimus Vendam, iam prorsùs ſuperatam, & occupatam, quarum auxilio, & robore arx, ciuitasq; hoſtibus erepta, & aliquot millia hoſtium fugientium cæſa, ad Sueonum manus campeſtribus tormentis omnibus deuolutis; Quæ poſtmodùm â noſtratibus Poloni mutuò acceperunt, obligatione, iuramento, & chirographo datis, quòd primâ occaſione præfata tormenta forent reſtituturi. Verùm quanquam ſæpiùs ad reſtitutionem tormentorum ſint ſollicitati; Attamen illa hactenùs retinuerunt; cùmq; communem vtriusq; Regni hoſtem bello aggredi ſtatuiſſemus, nobis inſcijs inducias cum illo iam pepegerant; Quod verò Marte aperto hoſti ſubduximus, illud nobis Poloni non ſolùm inuidebant, ſed ad ſe ſpectare affirmabant, licet cuiq; optimè cognitum eſſet, illos nihil iuris in eo habere.

Neq; hoc contenti, ſed à nobis illud vniuerſum poſtularunt vnà cum Liuoniâ, quod armis noſtris occupatum fuerat; Sicut etiam maior pars Liuoniæ noſtris anteà ſubacta copijs, & diu poſſeſſa fuit. Etſi nos è contra deuino ſolùm auxilio ſubnixi, aduerſus Potentiſſimi illius tyranni vim, atq; fraudem, primariam arcem & Ciuitatem Reualiam maximis impenſis, & multâ ſanguinis profuſione tutati ſimus. Quod heroicum facinus Polonis victoriæ anſam præbuit, interim plurimis de poſſeſſionis legitimo titulo, verbis ac litteris concertantibus, proteſtantibusq;, qui tamen nullum huius afflictiſſimæ Regionis liberationi auxilium impendere voluerunt; Imò Poloni ipſimet Moſcho ex Liuoniâ prædas agenti, & tyrannidem illic grauiſſimam exercenti commeatum ſubminiſtrarunt.

Quamobrem ab omnibus iuſtitiæ, & virtutis amantibus poſtulamus, vt de his ſincerum ferant iudicium, quàm grandem ſcilicet iniuriam

iuriam defunctus Poloniæ Rex, *cum suis* Senatoribus *nobis intulerit, præter omnem spem ex amico inimicus effectus; Atq; quem nos litteris, & Internuncijs permoti, benignum nostrum affinem, & commilitonem futurum sperauimus, illum confœderationis vtrinq; sancitæ transgreßorem, & affinitatis immemorem deprehendimus, vtpote qui fœdus cum hoste communi, nobis non solùm inconsultis iniuerit, sed etiam prorsùs exclusis, vt belli alea nobis infortunatior caderet, Martisq; onus grauius ceruicem nostram premeret, sperans nos hoc pacto compulsum iri, vt illegitimæ suæ petitioni, eò facilius consensum præberemus:* Nihilominùs *tamen* Deus *æquißimus (cui nos, & caussam nostram iustißimam commendauimus) illud noluit:* Siquidem *præfatus* Rex Poloniæ *morte subitâ, à tàm peruerso proposito retardatus sit.* Quamobrem *speramus, & postulamus ab omnibus* Regnî Poloniæ Ordinibus, *vt tandem aliquandò erga nos, &* Liberos *nostros benigniores aliquantulùm euadant, nobis sine omni morâ diuturniore debitum vniuersum persoluentes:* Quod *nisi factum fuerit,* Legati *nostro nomine, coram* Deo, *& hominibus, omnibusq;* Monarchis *(quorum munus in iustitiæ administratione versatur) efficaciter protestabuntur, nos in caußâ non fuisse, quòd amicitia vtrinq; non floruerit diutiùs:* Sed *nobis animum semper fuisse, vt illa non solùm pristino ferueret amoris æstu; verùm etiam augeretur, & confirmaretur; atq; (si illud sine nostrâ, &* Liberorum *nostrorum summâ iniuriâ fieri poßet) adhuc ab eâdem alieni non sumus:* Si *quid proindè aliud ex hoc fonte profluxerit, nobis culpa minimè imputanda, sperantes nos coram* Deo, *& toto mundo abundè excusatos esse.* Hoc *pacto, aut etiam alio in nostrum commodum vergente, atq; á* Reginæ *consilio, temporisq; ratione profecto, nostri* Legati *mandata sua deponent, & perficient, quod à nobis vicißim ratum, & firmum censebitur.*

Ad extremum volumus, vt priusquam nostri Legati *proficiscantur indè, nostro & filij nostri nomine,* Serenißimam Reginam Regnî Ordinibus, *&* Consilliarijs *de meliori notâ seriò commendent, illis suggerentes* Iagellonicæ *familiæ apud* Polonos *merita; sicut & præfatæ* Reginæ *singularem animi promptitudinem, & gratiam erga patriam suam, ac illius* Inhabitatores; *ideò non solùm omni iurisdictione mobilium, & immobilium bonorum, tàm in* Poloniâ, *quàm* Lithuaniâ

ei liberè

ei liberè frui permittant (sicut neq; S. D. fraudulenter aliquo pacto premant, vel quocunq; modo id fieri posset, molestent) sed potiùs, ut par est, & S. D. status vidualis, beneficiaq; exhibita postulant, consolentur, adiuuent, & succurrant, sibi certo certius persuadendo, eiusmodi opera diuinæ Maiestati grata, quæ tàm naturæ, quàm gentilium, & Christianorum optima iura commendant, et requirunt; Nos quoq; & Liberi nostri *Regiâ gratiâ, & benignitate ad eorum compensationem obligati esse volumus;* Sin minùs *præfatæ Reginæ quantùm nobis per facultatem licuerit, consilio & auxilio non sumus defuturi.* Datum Vastenis 4 *Maij;* Auno 1 5 8 7.

Ex *hac verò* Instructione *euidenter licet colligere*, Regem Iohannem *nunquam subsequentibus conditionibus præbuisse aßensum, quas* Ericus Sparre, & Comes Ericus *in Legatione præfatâ ad* Polonos *destinati acceptarunt, & subscripserunt, in quas tàm* Legati, *quàm* Rex Sigismundus *iurarunt. Sunt autem* Conditiones Polonorum, *sub quibus* Sigismundum, *Regem designare decreuerunt, eiusmodi:*

His conditionibus Ducem Sigismundum Poloni elegerunt.

PRimò *& ante omnia quàm diu potentißimus* Dominus Iohannes Tertius Sueciæ Rex *lucis hac vsurâ fruitur, confœderatio, & conspiratio contra vtrimq;* Regni *vicinos hostes constituentur, quæ iuramento confirmabuntur;* Atq; *Serenißimo* Rege *Sueonum (cuius vitam Deus in multos annos proroget) mortem oppetente, hoc fœdus, & amicitia firmiter persistent, & perseuerabunt.*

2. Dux Sigismundus Poloniæ *Rex designatus, secundum pacta hereditaria* Regnum Sueciæ *Parente defuncto adipiscetur, & deinceps primogenitus illius, senioresq; per ordinem masculi heredes, quos (*Deo *largiente) consequutus fuerit:* Verùm *alijs* S. M. *postmodùm genitis filijs, hæreditas, &* Ducatus *in Sueciâ, secundum* Regni Constitutiones *aßignabuntur, & attribuentur;* Filiarum *autem dotes ab vtrimq;* Regni Ordinibus, *pro consuetudine in* Regno Poloniæ *peruetustâ desumentur:* Et *hoc pacto vtrimq;* Regni *Monarcha constitutus, negotia* Regni Poloniæ *minimè negliget.* Deindè *si* Regni Sueciæ *status Regiam præsentiam desideraret, liberum Regi erit, illuc se conferre; tamen* Ordinum *omnium* Regni Poloniæ, & Lithuaniæ *consensu priùs obtento.*

3. *Item illam* Liuoniæ *portionem, quam* Serenißi. Rex Sueciæ *pro*

tempore

tempore occupat, *tenebitur* Rex *electus incorporare*, & *adiungere parti*, *ad* Regnum Poloniæ,& Lithuaniæ *spectanti*; *Cuius ergò* (*velut* Suetici *Legati promiserunt*) Sereniß. Poloniæ *Regina*, *suo peculio nos aßecurabit*, *illis scilicet bonis*, *quæ* S. M. *tàm in* Regno Neapolitano, & Ducatu *Baresano*, *Rosano*, Duoano, & Foggiano *poßidet*, *quàm* Dote, & *parapbernis*, *reliquisq; poßeßionibus mobilibus*,& *immobilibus in* Regno, *aut extra* Regnum *positis*.

4. *Claßis naualis cum omnibus ad illius apparatum requisitis*, *in emolumentum* Regni Poloniæ, & *magni* Ducatus Lithuaniæ, *regijs sumptibus iugiter stabit procincta*; *sicut etiam copiam tormentorum*, *neceßitate* Regnum Poloniæ, Lithuaniæq; *premente*; *præcipuè autem irruptione aliquâ*, *aut in* Nouogardiam, *vel* Plescouiam, *aut* Smolensciam *ab hostibus factâ*, *ex* Regno Sueciæ Sigismundus Rex *suis impensis*, *vnà cum puluere*, *globisq; tormentarijs prouidebit*.

5. *Illam pecuniæ summam*, *quam* Sigismundus Augustus Rex Poloniæ *anno* 1561. *mutuam accepit*, *prorsus condonabit*: *similiter omni Iurisdictioni*, & *debitorum quorumcunq; exactioni*, *quam ex* Regno Poloniæ, *magnoq;* Lithuaniæ Ducatu *iure efflagitare poßet*, *renunciabit*.

6. Extra Regnum Poloniæ *certos*, & *præcipuos* Neapoli *reditus consequetur*: Ducatum *Baresanum*, & *Rosanum*, *velut etiam* Duoanum, *atq;* Foggianum, *quantùm ex illis*, & *ex* Poloniâ, Lithuaniâq; *ratione maternæ hæreditatis expectat*, Regno Poloniæ *donabit*

7. *Tormenta bellica sub* Venda, *ab vtriusq;* Regni *exercitu capta*,*quidquid iuris ad illa habet*, *totum* Regno Poloniæ, & Lithuaniæ *conferabit*;

8. *Insuper* Legati *Suetici nomine* Regis *electi spondent*, & *promittunt illum non adducturum secum peregrinos*, *vt in* Poloniâ *pedem figant*, *præter paucas personas*, *quarum in quotidianis seruitijs vtetur operâ*; *illos tamen intra breue tempus dimißurum*, *ex suo peculio eis stipendio persoluto*.

9. *Quandò proficiscetur ad acceptandum* Diadema Sueciæ, *illius* Regni Senatores, & *officiales penes se* R. M. *habitura*,*non permittens* Magnatibus Regni Poloniæ, & Lithuaniæ, *ut negotijs* Sueticis *sese immisceant*.

10. *Custodes autem corporis regij*, *præter* Poloniæ, & Lithuaniæ

Indigenas, nulli adhibebuntur, quibus Centurio ex Incolis Regni præficiendus.

11. *Nulla etiam Feuda, & officia alijs, quàm in Poloniâ, aut Lithuaniâ natis distribuet, atq; concedet, secundum Regni Statuta; Si secus factum fuerit, aut quispiam eorum, negotijs nostris se immiscuerit, liberum erit procedere secundum iuris processum, in Coronatione propediem proponendum.*

12. *Rex quoq; designatus militi Liuonico, (cuius operâ in Munitionibus Regni protegendis vsa est Respublica Polona) de salarij adhuc restantis solutione prouidebit; sicut quoq; R. M. illud æs militare, quod Rex Stephanus præsidiario militi arcis Camenicensis persoluere tenebatur, numerabit, super hoc debito cum Regni Poloniæ, & Lithuaniæ Ordinibus porrò in suâ Coronatione consultans.*

13. *Inter dißidentes in Religione, confœderationem sancitam, non solùm ratione Iuramenti sui, velut à potentißimis Henrico, & Stephano Poloniæ Regibus antea factum, conseruabit; verùm illum quoq; Iuris processum, prout cuiq; parti vtile fuerit insinuatum, vigore Iuramenti sui prosequetur; Atq; vt idem processus primâ quâq; occasione à Regni Ordinibus instituatur, Rex quàm diligentißimè aduigilabit.*

14. *Aes alienum quod nobilis, & generosus Dominus Andreas, Comes de Tenßno in sustentando milite; velut etiam illud, quod Dñus Georgius Mniszek Capitaneus Radomiriensis; atq; nobilis Nicolaus Zebrzidowski, primarius Cracouiensis Capitaneus; ac Casparus Macciowski Capitaneus Scepucensis, & regij Magister stabuli, apud militem arcis Cracouiensis, & Scepucensis contraxerunt, Rex Sigismundus persoluet.*

15. *Deindè pro auxilio, & defensione, quocunq; interim Regnum Poloniæ, dùm Rex designatus Cracouiam pergit, indiguerit aut ad colligendum, vel sustentandum militem, vel alias belli suppetias; sicut quoq; ex omnibus locis Commeatum necessarium, atq; sumptus in Regni emolumentum procurabit, quæ bonâ fide, tempore Coronationis persoluturus.*

16. *Iura, Libertates, Priuilegia, & Regni Statuta, præcipuè autem eos Articulos in Coronatione Regis Henrici sancitos, omniaq; alia, quæ conseruandis, & augendis Poloniæ Libertatibus, & Iuribus seruiunt, & R. M. in Coronatione proponentur confirmabit, & tuebitur.*

Hæc

17. *Hæc omnia enumerata nos Legati, Regis designati nomine, æquo iuramento confirmauimus; quod ipsum S. M. factura, vbi Regni limites ingressa fuerit: Potentissimus quoq; Rex Sueciæ, quicquid ad S. M. spectauerit confirmabit. In cuius negocij vberiorem fidem, & omnium firmius robur enumeratorum, vtriusq; partis sigilla, tàm Regni Ordinum, quàm Legatorum his litteris appensa, eorumq; manibus litteræ subscriptæ. Actum, atq; Datum in planicie circa Varsauiam intèr villam Vola, in magnis illis Comitijs, in quibus Rex nouus designatus est. 19. Augusti, anno 1537.*

Vtrùm verò Rex Sigismundus, illum in auito Testamento, vt etiam in paternâ Instructione Articulum obseruauerit, vt Regni Sueciæ fines proferret, & tueretur, nec quicquam donatione subduceret Coronæ Sueticæ, candidus huius Historiæ Lector iudicium ferre poterit; Atq; nùm illud de iure factum, quantâq; celebratione dignum sit, quod eo tempore proprium non erat, nec possidebat, dono alienare, Parente adhuc in viuis agente. Pari modo, quod ab Auo, & Patre omninò inhibitum, & sine Ordinum Regni Sueciæ consensu, scitu, & voluntate permittere non licuit; Imò contra proprias litteras, & sigilla non erubuit agere: Etenim cum Sigismundus Rex in procinctu esset ad profectionem Polonicam, Illustrissimo Regi Carolo, tùm temporis Duci Sudermanniæ, Nericiæ & Vermelandiæ, velut præcipuo secundum Regiam Maiestatem in hoc Regno, per litteras intimauit, se nullâ ratione inclinatum quidquam Coronæ Sueticæ subiectum edonare, vt illius litteræ testimonium perhibent contextu sequenti:

R. Sigismundi litteræ ad Ducem Carolum.

FRaternam, & amicam salutem, & si quid prætereà gratum, atq; bonum in nostrâ fuerit potestate deferimus. Dilecte Dñe Patrue, & Princeps Illustrissime, redditæ sunt nobis hisce diebus, Dilectionis vestræ litteræ, in quibus V. D. nobis significat, vario sermone ad se perlatum esse nos electos, & denunciatos in Regem Poloniæ; Idcircò à Deo Ter. Opt. Maximo gratiam, & benedictionem, omnemq; fortunæ successum, & progressum ex animo nobis precatur: Cuius fortunatæ optationis ergò, fraterno & amico affectu profectæ, D. V. fraternè, & amicè gratulamur, Deumq; humiliter pro nostrâ personâ rogamus, vt quod ex prouidentiâ diuinâ nunc incboatum est, illud ad optatum finem,

In honorem supremæ Maiestatis, atq; dilectißimi Domini Parentis nostri, & totius regiæ Domus, familiæq; solatium, ac gaudium, decoris, & prosperitatis incrementum; Nec minùs Patriæ nostræ charißimæ, Indigenarumq; nunc & progreßu temporis commodum, atq; bonum perducatur: Diuina quoq; Clementia, vnà cum fastigio Regali, suam sanctam gratiam, & benedictionem, sapientiam, & intellectum nostros subditos, Regiones, & Regna prudenter, benè, & prouidenter gubernandi, benignè nobis concedere dignetur.

Hoc verò super negotio, V. D. litteras destinauißemus, si nobis priùs aliquantulùm certi quidpiam de Conditionibus, secundum quas Regalis Electio transacta est, constitißet; De quâ Legatus Polonicus Martinus Lisʒinoualski, cum plurimis alijs Dominorum Polonorum expeditis Nuncijs hic præsens, nunc certiores nos reddidit: Siquidem autem in hoc multùm est situm, vt profectionem nostram in Poloniam maturemus, idcircò cum consilio R. M. parati sumus, quamprimùm Deo visum fuerit sequenti septimanâ ventum dare secundum, hinc vela facere: Aeternus autem Deus, pro suâ clementiâ prospero, & felici illud fieri concedat momento. Quarè V. D. fraternè, & amicè obsecramus, vt quamuis, (Deo ità ordinante, & disponente) longiori intercapedine locorum ab inuicem separemur; Nihilominùs tamen V. D. amicè, & fraternè nostri iugiter dignetur eße memor, semperq; noster Patruus dilectißimus, vt hactenùs, ità inposterùm (quod certo certius nobis persuademus) permanere ne grauetur. Nos vicißim pro nostrâ personâ, quod cognouerimus V. D. gratum existere, non secùs ac fratrem fidelem decet, facturi sumus. Hisce D. V. vnà cum dilectißimâ Coniuge, & Liberis Dei præpotentis tutelæ, & protectioni quàm fidelißimè, & diutißimè commendamus. Datum in arce Calmariensi, 2. Decemb. 1587. Anno.

Præmißis continebatur inclusa litteris Schedula quædam, huiusmodi argumento, & contextu:

PRæterea quanquam Ordinibus Regni Poloniæ, dißoluta quædam spes, aliquo modo super Liuoniâ facta sit, nobis & R. M. Domino Parenti nostro dilectißimo prorsùs insciis, & absq; nostro mandato, ac permißione; Tamen præsentes Poloniæ Legati, cum reliquis Magnatum Nuncijs ingenuè faßi sunt; Sicut etiam adstipulatione, & iureiurando nos

do nos securos reddiderunt, quòd nihil eiusmodi à nobis exigetur; vt neq; vllo vnquam tempore id concedere, quod Regnum *Sueciæ multorum insign.um sanguine virorum, præter ingentem argenti, auriq; vim, longo tempore & labore comparauit, apud nos firmiter decreuimus.* Datum *die in litteris expresso.*

Eodem *argumento ad Serenissimum* Parentem Regem Iohannem *litteras destinauit, subsequenti tenore:*

POtentissime, & Serenissime Rex, *dilecte* Dne *parens*, M. V. *filialem nostram, & amicam salutem, cum omnibus, quæ in nostrâ sunt potestate bonis, iugiter deferimus.* Redditæ *sunt nobis decimo quinto die* Aprilis, *Stylo veteri, per fidelem nostrum famulum* Torstanam *Christopheri, ternæ* M. V. *litteræ;* Ex *quibus cognouimus, quas ad* M. V. *ex itinere, & secundum solennitatem* Coronationis *direximus litteras perlatas esse;* Ceterùm *cùm non libenter viderimus quidquam factum, aut immutatum in* Regali *nostro* Titulo, *& sigillo; aut etiam de* Articulo *illo* Liuonico, *quod* V. M. *ad aliquam offensionem, & indignationem permoueat, nihil addubitamus quin* V. M. *nos, & eos fideles seruitores, qui nobiscum vnà fuerunt, velit in hac re excusatos habere, quòd eiusmodi neq; nostrâ, neq; eorum negligentiâ, aut peruerso iudicio contigerit factum;* Proindè *rei totius commemorationi supersedere non possumus, nimirùm quidquid in hoc negotio factum, aut delictum, culpam residere in* Polonis *solummodò, qui in hisce, & alijs negotijs, in molestâ illâ, & tædiosâ ante* Coronationem *litigatione, admodùm mirabiles se præbuerunt, neq; rationes, aut probationes, illis sufficienter inculcatas magni æstimando.* Neq; *tamen præfatum sigillum pristinam retinuisset formam, nisi illius rei decisionem ex industriâ distulissent, & reiecissent in vltimum ante* Coronationem *momentum, quandò temporis angustia sigilli permutationem non patiebatur;* Siquidem *etiam tunc temporis plurima euestigiò* Diplomata, *sigilli appressione fuerint roboranda, quæ procrastinationis moram non admittebant;* Intereà *verò temporis nihilominùs aliud sigillum, integris* Regni *Sueciæ* Insignibus *in medio, in proximo circuitu* Fascis, *vltimò* Stemmate Polonico *adiecto, sculpi curauimus, quo in priuatis nostris negotijs vtemur, non attendendo cuicunq;* Polonorum *id displiceat;* Imò *pro virili elaborabimus, vt quæ sigilla* Cancellarius, & Ordines

Litteræ Sigismundi R. ad D. Parentem.

L 3. Regni.

Regni in potestate habent, etiam immutentur: De Articulo autem Livonico, cuius mentionem V. M. in litteris facit, metuens ne plus Polonis sit promissum, quàm par fuerat, contextu illo verborum latino, quo illa Transactio conclusa fuit: Opinari equidem possumus, Polonos temporis progressu nobis de hac re quæstionem moturos, & fortassis præfatum verborum sensum, in suum emolumentum inuersuros; Hoc tamen V. M. sibi omninò persuadeat, quòd voti sui nunquam sint compotes futuri, quàm diu vitæ beneficio nobis frui licuerit; Atq; ipsis expressè coram diximus, nos potiùs huic Regno paratos omninò renunciare, quám vel minimùm de charissimæ patriæ nostræ finibus abalienare, quod plurimorum Sueticæ Nationis generosissimorum virorum sanguine acquisitum est: Sed quandoquidem nos non latuerit, quòd nisi præfatis verbis negotium fuisset conclusum, nos intereà temporis super hac re molestatum iri, tàm in generalibus Comitijs, quàm priuatis Conuentibus, ideò vt interim Poloni illud punctum relinquere intactum obligarentur, visum nobis & fidelibus nostris Conterraneis consultum, sequentia inserere verba: *Vt hoc negotium integrum differatur:* Quamuis maximè vrgerent Poloni, vt illius rei plenissima ipsis spes fieret, tamen ne minimam quidem illis super hoc vnquam fecimus, aut facere inposterùm volumus. De alijs Inaugurationis conditionibus, quas V. M. cognoscere expetit, in nullo magis nos, quàm alios antecessores nostros Reges obligatos esse, sibi persuadeat; quas tamen V. M. his adiunctas transmittimus Conditiones.

Cæterùm de terrâ Cadmcianâ, quam sibi V. M. hinc transmitti desiderat, iam dudùm cum quodam mercatore Martino Prys nomine transigere curauimus, qui primo quoq; tempore, V. M. grandem illius terræ cumulum destinaturus, quodq; ipsemet Martinus procurare nequit, sine cunctatione per alios transmittetur. De Tartaris verò paucis antè diebus V. M. perscripsimus, qualiter Regni Poloniæ fines ingenti populorum multitudine excessèrint, & infestauerint, qui in ijsdem adhuc statiuis commorantur, pascua in campis vberiora præstolantes, vt eo tempore in hoc Regnum faciant irruptionem; In quorum proindè occursum, cum fideli nostro Cancellario copiosum expediuimus militem.

Quod reliquum est, quidquid V. M. de hoc Regni statu desiderat cogno-

cognoscere, ex præsenti nostro Cubiculario, nobis dilecto, atq; fido, nobili & generoso Erico Bielke liquidò cognoscet; Illi siquidem nonnulla præterea magni momenti negotia confidimus, V. M. nostro nomine denuncianda; Ideò pro paterno M. V. in nos amore amanter petimus, quò V. M. illis rebus Clementer fidem habere velit, quas ex nostro mandato M. V significauerit, & super illis primo quoq; tempore paternum suum consilium nobis communicare dignetur, secundum quod rerum quarundam nostrarum statum dirigere valeamus; Nos vicissim quæ V. M. grata cognouerimus, alacri facturi sumus animo. Hisce Maiestatem vestram, vnà cum dilectissimâ Reginâ Sorore nostrâ charissimâ, Dei præpotentis clementissimæ tutelæ quàm diutissimè, atq; fælicissimè filialiter, & amanter commendamus. Datum in Regiâ nostrâ arce Cracouiensi 1. Maij, anno Christi 1588. Regni verò nostri primo.

Ex his vniuersis nunc commemoratis, quisq; virorum prudentium colligere potest, Regem Sigismundum nullâ excusatione dignum; Quandoquidem toto Regiminis sui tempore, non solùm aduersus Regis Gustaui (laudabilis memoriæ(Testamentum, & Iura Suetica; Sed etiam contra proprias litteras, & sigilla, iuramentum, & obligationes processerit. Quamobrem iure meritissimo Regni Sueciæ Diademate exutus est: Quinquennio autem euoluto propemodùm ab hoc tempore, in lethalem Serenissimus Rex Iohannes incidit ægritudinem, quam cum Rex Sigismundus obscuris quibusdam intellexisset rumoribus, Illustrissimo Dño Carolo in hunc modum perscripsit.

Querulosæ de morbo R. Iohannis litteræ.

Illustrissime Princeps, dilecte Dne Patrue, non possumus V. D. fraternè atq; amicè non significare, quòd secundum profectionem fidelis nostri famuli, atq; Cubicularij Iacobi Claudij, cognouerimus tristissimos rumores de R. M. charissimi Dni Patris nostri summâ corporis debilitate, & ægritudine, quæ nobis, vt par erat, plurimùm tristitiæ attulit, precamurq; ex intimis animi sensibus Deum præpotentem, vt meliora propediem inaudiamus noua, quòd videlicet S. R. M. pristinis viribus, & valetudini sit restituta. Verùm cùm omnes mortales simus, si charissimus Dnus parens noster, hoc tempore debitum Naturæ (quod Deus adhuc clementer auertat) persolueret, neminem scimus ad quem potiùs confugeremus, & quem in nostrâ absentiâ, Regno nostro hæreditario præesse cuperemus, quàm V. D. Quamobrem hisce fraternè, & ami-

& amicè rogamus, quò Vestra Dilectio *in hoc casu illam dignetur subire molestiam, in omnibus* Regni *negotijs nostrum emolumentum in* Patriâ, *quousq; nos illuc aduenerimus procurans;* Præcipuè *verò in his, vt pax optima, & tranquillitas summa ibidem floreat: Ideò si quam* V. D. *indignationem, aut odium erga quempiam illic contraxerat, nobis gratificando prorsùs deponat, & remittat, quò pacificum, & tranquillum ingrediamur* Regnum: Nos *diuino freti auxilio, vniuersa sic dispositūri sumus, vt* V. D. *sint placitura; Atq; si quid præter hanc ægritudinem humanitùs nostro* Domino Parenti *acciderit, mox ac solutio fuerit glaciei facta, in* Patriam *iter arripere constituimus:* Interim *quemadmodùm nullum dubium de fraternâ, & amicâ* V. D. *erga nos propensione fouemus, ità etiam obnixè postulamus, ne* V. D. *aliud de nobis, quàm fraternus, & amicus promittit animus, sibi persuadeat.* Datum Varsauiæ 17. Decembris, Anno 1592.

Itaq; *cùm* Rex Iohannes, *vitam cum morte commutasset, minimè* Illustrissimus Dominus Carolus *prætermisit omni labore, & conatu efficere, vt* Regnum Sueciæ *summâ pace, & optimô frueretur* Regimine, *quousq;* Regi Sigismundo, Dnî Parentis *ex hac vitâ discessus innotesceret.* Quâ *de causâ, nullâ interpositâ morâ, quosdam Senatorum, in* Regis Iohannis *(piæ memoriæ) indignatione diu constitutos,* Stocholmiam *accersitos diligentißimè admonuit, quò vnà secùm in emolumentum* Regis Sigismundi, *& totius* Regni *conspirarent, clementißimè illis condonans, quòd nefariè, atq; variè* S. C. *commodis, ac saluti superioribus annis obstitissent, illucq; res vtrinq; deuenit, vt omnia amicè sint composita; obligatione tamen apud* Serenißimum Principem Carolum *in scriptis depositâ, quòd omni pacto, velut fidos & æquos decet* Senatores, *sese forent inposterùm* S.C. *exhibituri.* Neq; *minùs* Illustrißimus Princeps *illos suis assecurauit litteris, vt ipsi vicißim ex suâ parte, litteras obligatorias* S. C. *tradiderunt;* Ducalis *verò* Diplomatis *ità sese habet contextus.*

Litteræ assecuratoriæ Senatoribus datæ.



Os Carolus Dei gratiâ, Regni Sueciæ Princeps hæreditarius, Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ Dux notum facimus, quòd cùm apud nos, adhibitâ in

iudicium

iudicium ratione sedulò considerauerimus, nihil in vllâ regione, aut regno perniciosius esse, quàm internas fouere simultates, & dissensiones; Atque econtrà nihil vtilius, quàm concordia, & animorum consensus, ideò ante sesqui annum, nobilibus & generosis Dominis, Hogenschildo Bielke, Baroni de Leckö; Gustauo Baner de Diursholm Equiti; Erico Sparre de Sundby; Stenoni Baner de Hendelö, et Turoni Bielche de Nynes illum clementer indulsimus et condonauimus excessũ, quo nostrã frequenter indignationem incurrerunt, ansamque iræ grauioris præbuerunt, quacunque tandem ille fieri potuit ratione: Quandoquidem verò corã & in scriptis, de suâ fidelitate omnimodè nos pro tempore assecurauerint, quòd commodum, & vtilitatem nostram studiosè procuraturi, & damna periculaque auersuri, ac strenuè præuenturi, quantùm vnquam illis possibile fuerit, vt eorum tradita nobis in scriptis obligatio testatur; Quocircà nunc, velut aliâs promisimus, & addiximus, hisce patentibus nostris litteris promittimus, & addicimus nos eam voluntatis offensionem, et animi indignationem, quibus aduersus illos quondam inflammati fuimus, nunquam in malam partem inposterùm refricaturos, aut exprobraturos; sed omnia perpetuo consepulturos silentio, gratiâque, & animi

K *prompti-*

pomptitudine quemuis illorum complexuros; Sicut neq; quantùm in nobis situm, permissuros, vt illis publicè, aut priuatim ab vllo quidpiam detrimenti inferatur; verùm vnâ cum vxoribus, & liberis ab omni violentiâ, & iniustitiâ defendantur, ac Legum vigore, consuetisq; liberè fruantur prærogatiuis in omnibus, quæ æquitas suâ bilance ad illos spectare indicauerit, vt Ducale nostrum exigit officium, nosq; idipsum hactenùs promptâ præstitimus voluntate, & inposterùm præstituri sumus, neq; passuri vt quidquam aliud illis irrogetur, quàm quod honestum, & nobilitate dignum sit, aut vllo modo facinus aliquod illis exprobretur. Quòd autem hæc omnia, ex nostrâ diligenter seruaturi simus parte, hisce patentibus nostris litteris propriâ manu subscripsimus, et sigillū appressimus. Datum Stocholmiæ 14. Decemb. anno 1592.

HI autem præfati infideles Regni Senatores, suas in scriptis Obligationes cuest giò deposuerunt, vt ipsa Autographa ad litteram confirmant, quorum primum Stocholmiæ decimo quarto Decembris, anno 1592. sequenti tenore datum, & exaratum.

Obligatoriæ Senatorum litteræ primæ.

NOs subscripti Senatores Regni Sueciæ notum facimus hisce patentibus litteris nostris, quòd cùm Illustrissimus Dnus Carolus, Regni Sueciæ Princeps hæreditarius, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelādiæ, Clementissimus Princeps, & Dominus noster contractam erga nos iram, & indignationem, quam S. C. aliquanto temporis spacio aduersum nos fouit, iam ab hinc sesqui añо prorsùs remiserit, sicut etiam pro tempore promiserit, nobisq; addixerit sese inposterùm illius offensionis non fore memorem; Sed potiùs omni gratiâ, & beneuolentiâ nos prosequntu-

quuturum, cuius beneuolentiæ ergò gratias obnixè agimus: Quarè modò prout aliâs, per nobilitatis nostræ fidem, & veritatē promittimus nos quouis tempore promptos, & paratos in eo repertum iri Seruitores, quod ad vtilitatem, beneplacitum, & gratiam S. C. spectauerit; Neq; quicquam quod detrimentum, & incommodum vllo pacto S. C. concernit acturos; Sed potiùs præuenturos, & auersuros quantùm per vires nostras licuerit: Nobis tamen omninò juramentum illud, fidelitatem, & obedientiam reseruantes, quæ nos & reliqui huius Regni Indigenæ R. M. Poloniæ, velut proximè futuro & electo à nobis Regi, nomine Diadematis Suetici promisimus; Sicut quoq; vniuersæ illi Regiæ familiæ, & Coronæ Sueticæ obligati, & obstricti sumus, secundum Iura Sueticæ, & Regni generales Conuentus, atq; Vniones hæreditarias sponte conclusas: In quorum omnium idcircò præiudicium nullo modo consultabimus, confirmabimus, aut quicquam tractabimus; verùm quouis tempore, consilio & auxilio, quod ad amicam concordiam, bonam voluntatem spectauerit promouebimus inter Regalem, & Ducalem progeniem Illustrissimam, pro tempore & annis successuris, quantùm nobis factu possibile, & honestos huius Nationis viros facere decet, atq; conuenit. Quòd verò ista inuiolabiliter obseruaturi simus, vigore & tenore præfato, in eorum vberiorem euidentiam, & certitudinem his nostra sigilla appendimus, & nomina nostra proprijs manibus subscripsimus litteris. Datum die, anno, & loco vt supra.

Gustauus Baner.	*Ericus Sparre.*	*Steno Baner.*	*Turo Bielke.*

Posterior verò in scriptis tradita Obligatio ab ijs Regni Senatoribus, sequenti argumento recitatur.

Obligatoriæ Senatorum litteræ secundæ.

NOs subscripti Senatores Regni Sueciæ notum, testatumq; facimus, quòd cùm diuina Maiestas sempiternâ suâ prouidentiâ, per corporadem mortem, ex hac miseriarum valle, molestijs & doloribus pleno mundo, Serenissimum Principem Dñum Iohannem Tertium Suecorum, Gothorum, & Vandalorum quondam Regem, Dominum nostrum clementissimum euocauerit (cuius animæ Deus in perpetuum misereri dignetur, cum omnibus Christi fidelibus, extremo illo iudicij die, corpus ad

pus ad gloriosam suscitans resurrectionem) atq; Potentissimus **Princeps,** *& Dominus Sigismundus Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ &c. Princeps hæreditarius, designatus & futurus Rex Sueciæ coràm personaliter constitutus non sit; Ideò Illustrissimus Heros Dominus Carolus, Regni Sueciæ Princeps hæreditarius, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, Dominus noster benignissimus, velut proximus ad regimen ratione Vnionis hæreditariæ, post Regem Poloniæ, Iuuenemq; Principem Illustriss. Dominum Iohannem, rerum & temporis circumstantijs ità exigentibus, necessarium & consultum vnà nobiscum, qui Regni sumus Consiliarij arbitratus est, ut in absentiâ Regis Sigismundi, negotia Regni Sueciæ maioris momenti, in vtilitatem R. M. Regniq; intereà ordinaret, & expediret.. Itaq; harum tenore, & vigore promittimus litterarum patentium, quòd cùm Illustrissimus Magnus Dominus Carolus sit hæreditarius Regni Princeps, absente R. M, & sub ætate minorenni Illustrissimo Duce Iohanne constituto, nos pro Gubernatore huius Regni interim S. C. cogniturcs, & obseruaturos, cui etiam in R. M. & Regni emolumentum, æqua & fidelia consilia, obseruantiam, promptaq; obsequia exhibituri: Tamen iuramento fidelitatis, & obedientiæ, quo nos & omnes Regni Ordines S. M. velut Regi hæreditario, atq; illius Regali familiæ obstricti sumus, non derogando: Fideliter, & studiosè igitur, vnà cum Illustrissimo Duce Carolo, Regni negotia tàm illa quæ spectant ad conseruationem Religionis christianæ secundum Confessionem Augustanam, quàm etiam alia quæ Iura Suetica, Regniq; priuilegia commendant, & exigunt, summâ integritate pro extremis nostris viribus expediemus, prout in Vtilitatem, & commodum R. M., Patriæ nostræ, & Regni Ordinum, Inhabitatorumq; fidelium salutem, tàm in spiritualibus, quàm corporalibus cedere posse cognouerimus, & diiudicauerimus Non secùs quàm inprimis Deo, R. M. & vniuersis Regni Statibus, diuino subnixi auxilio securis animis respondere velimus. Quandoquidem verò S. C. promiserit se in Regni negotijs nihil acturam, aut ex proprio consilio conclusuram, non adhibito fideli nostro consilio, & consensu; atq; nobis etiam integrum fore, loqui &, consulere sine omni indignationis metu, quæ nobis iniunctum, & concreditum officium, iuramentumq; exigunt. Ideò vicissim nos spopondimus, quòd in grauioribus Regni negotijs,*

tijs, & quæ Rempublicam, Regimenq; attingunt, nihil prorsus velimus attentare, aut ex proprio consilio concludere, absq; S. C. consilio, summo judicio, & consensu. Porrò autem, si quæ in absentiâ R. M. præfato modo, cum S. C. & nostro vnanimi consilio, liberoq; suffragio conclusa, stabilita, & peracta fuerint, illa tàm præsenti, quàm futuris temporibus, vnus pro omnibus, & omnes pro vno fateri, & tueri volumus, si quandò res postulauerit, prout S. C. Diplomate suo nobis promisit, & nos vicißim hoc scripto nostro spondemus; Eâ tamen cautione adhibitâ, quemadmodùm antè dictum est, vt omnia in vtilitatem, & commodum R. M, fideliumq; subditorum ipsius vergant, atq; tendant. Quòd hæc omnia commemorata ex nostrâ parte fideliter, & sine dolo malo conseruare, ac exequi velimus, præsentibus manu propriâ subscripsimus, Sigillaq; nostra apposuimus litteris. Actum Stocholmiæ 1. Ianuarij, anno 1593.

Nicolaus Gyldenstiern.	*Turo Bielke.*
Ericus Gustaui.	*Ericus Abrahami.*
Gustauus Baner.	*Benedictus Ribbing.*
Ericus Sparre.	*Gustauus Gabrielis.*
Claudius Bielke.	*Gustauus Beronis.*
Steno Baner.	*Georgius Posse.*

Ex hac Transactione quam S. C. Dux Carolus cum præfatis infidelibus Senatoribus iniuit, manifestè licet cognoscere S. C. quà Regis Sigismundi, quà Senatorum, & totius Regni salutem quæsiuisse: Sed neq; his Illustrißimi Principis bonitas acquieuerat, ast vberiora promptitudinis, beneuolentiæ, & amoris argumenta præbuit Regi Sigismundo; sicut etiam in vniuersi Regni emolumentum sedulò incubuit, vt R. M. Regnum hæreditarium acceptatum aduenienś, illud in tranquillo, & pacato reperiret statu. Proindè S. C. varios Legatos, diuersa in mandatis negotia habentes expediuit ad Sigismundum Regem Poloniæ, quorum primus erat Iohannes Kranck, cui demandatum fuerat, vt R. M. de morte sui Domini Parentis certiorem faceret, velut videre licet ex litteris sequentibus.



Otentissime Rex, amice Domine frater, V. M. non sine ingenti dolore animi significamus, quòd diuturnam illam infirmitatem, quâ potentissimus Princeps, & Dominus Iohannes Tertius Suecorum, Gothorum, & Vandalorum quondam Rex, V. M. Dominus Parens, & frater noster charissimus integro propemodùm anno grauissimè laborauit, diutiùs sustinere non potuerit, in Domino beatè & christiané admodùm, decimo septimo die huius mensis obdormiens, cuius animæ Deus præpotens in cælesti gloriâ requiem aßignare, corpus autem cum omnibus fidelibus extremo iudicio in gloriosá resurrectione suscitare dignetur. Cùm autem ob eiusmodi S. M. ex hoc mundo migrationem, & huius temporis circumstantias, multa & magni momenti negotia Regni incidant expedienda, & V. M, (cui velut proximo ad Regnum, et regimen Hæredi incumbit illorum expeditio) coràm non sit; Idcircò nos ceu hæres ad Regnum V. M. & fratri vestro dilectißimo proximus, & præcipuus ad Coronam Suecanam, qui ad annos, & ætatem peruenimus, in absentiâ V. M. vnà cum Senatorio ordine regimini manum admouebimus, omnia Regni negotia prudenter expediendo, quantùm nobis possibi-

Sigismundus Rex de morte Parentis fit certior.

possibile, & ex officio etiam tenemur, quousq; V. M. (Deo fortunam largiente) commodum fuerit sese in hoc Regnum conferre. Et quandoquidem V. M. præsentia hoc pacto potissimùm requiratur, proindè nostra fraterna, & amica petitio est, vt V. M. nos primo quoq; tempore certiores reddere dignetur, quandò eiusmodi profectionem ingredi oportunum V. M. sit futurum: Attamen V. M. rogatam volumus, sicut etiam fraterné & amicé insuper admonitam, ne ex Poloniâ sese conferat, priusquam vniuersas rerum circumstantias optimé perpenderit, & examinauerit, nobisq;, & vniuerso ordini Senatorio significauerit, quo statu Regni Poloniæ negotia; vt etiam quâ commoditate, & adminiculo V. M. oportunam indè profectionem instituere velit; ne huic Regno charissimæ nostræ Patriæ aliquo modo periculum, aut damum struat; Aut etiam V. M. ipsimet apud exteros quampiam exprobrationem conciliet; Siquidem consideratione dignum, vt etiam subuerendum si V. M. indè abitum maturaret, antequàm inter Suecos & Moschos pax foret constituta, aut aliàs profectionis negotium legitimé cum Polonis esset transactum, ne fortassis subitaneâ V. M. indè discessione, occasio quæpiam dari posset, vt in regale Solium Poloniæ, se interim

quispiam

quispiam per vim intruderet, à quo Regnum Sueciæ deinceps tantùm abest vt amicitiam, & auxilium expectaret, vt etiam inimicitiæ grauissimæ forent pertimescendæ, quibus Regno Sueciæ intolerabile esset resistere, propter diuturnum illud bellum, quo multis grauissimè afflictatum annis, & ità exhaustum, ac debilitatum, vt quà plebecula ipsa, quà copiæ militares bellorum pertæsæ, & defessæ sint; Nihil tamẽ interim V. M. ambigat, quin nos vnà cum Senatoribus Regni, in absentiâ M. V. ità Regni negotia habere commendata, illâ q; diligentiâ, & solicitudine curare, et expedire velimus, vt certo certius nobis persuadeamus, quòd V. M. vbi fæliciter ad nos venerit, maximè sint placitura: Neq; minùs operam daturi sumus, vt Regnum Sueciæ, V. M. fæliciter aduentanti liberum prostet, & velut proximo secundum pacta hæreditaria Regi consignetur, illud absq; omni contradictione occupans (cùm oportunum esse poterit M. V ipsum acceptare) ac fideles subditos inueniens, experiensq;, quibus V. M. fidem omninò habeat, spemq; certam in illis collocet. E diuerso nos eam quoq; concepimus fiduciam, quòd V. M. nos & alios Regni Ordines, quemlibet pro suâ conditione sit assecuratura, prout V. M. sereniss. Auus et Dominus Parens quemuis priùs securum reddiderunt

derunt

derant de Regni Ordinibus, velut secundum Iura Suetica, & aliàs meritò fieri oportet. Prætereà fraternè & amicè postulamus, quò V. M. nobis & Regni Senatoribus primâ occasione significet, quo pacto V. M. de parentatione Serenissimi Domini Parentis sui uelit dispositum, vtrùm aduentui V. M. in Regnum sit præmittenda, præsentibus V. M. Legatis; Quandoquidem minimè consultum videatur, præfatas diu differre exequias, præcipuè ad tempus æstiuale; Cùm verò V. M. de his innotuerit voluntas, ità Illustrissimi Funeris exequias expediemus, vt V. M. apprimè sint placituræ. Deindè V. M. celare non possumus, quòd cùm Poloni fortaßis propter S. R. M. de vitâ migrationem, quibusdam molitionibus attentaturi, vt illa portio Liuoniæ, quam pro tempore Regnum Sueciæ iure poßidet, Regni Poloniæ limitibus adijciatur, quoniam Erici Sparre promißio hac super re Polonis antè facta, ianuam huic postulationi pandere videtur; Quocircà nos cum Regni Senatoribus, Arcium præfectis & officialibus in eâ Prouinciâ perscripsimus inhibendo, nè, si Poloni quicquam attentauerint in hoc negotio, aliquid statuant priusquàm nobis & Senatoribus significauerint, responsumq; à nobis acceperint, fraternè nobis persuadentes V. M. illud sinistrè non interpreta-

pretaturam, quandoquidem hoc facto V. M. & Regni Sueciæ commodum quæramus. Deniq; V. M. cognitum, exploratumq; cupimus, quòd extemplò cùm secundum dilectissimi nostri Fratris mortem (beatæ & fælicis recordationis) Stocholmiam venissemus, cum Regni Senatoribus quicquid S. R. M. post se reliquerit bonorum Stocholmiæ præsentium perlustrauerimus, quorum obsignata Inuentaria primâ occasione V. M. destinabuntur: Verùm an S. R. M. quampiam auri & argenti signati vim in promptu habuerit, nihil certi & explorati habere potuimus. Quâ de caussâ cùm nullus belli neruus suppetat, V. M. perpendendum committimus, quibus auxilijs bellum porrò esset continuandum, si (quod Deus auertat) induciæ quamprimùm cum Hoste non fuerint institutæ. Proindè nullum apud nos dubium est, quin V. M. omnem possibilem diligentiam consilio & auxilio adhibitura sit, vt vel ad firmissimum fœdus pacemq;, aut diuturnas quantociùs inducias res perducatur; vt hac ratione V. M. charissima patria vel semel tandem ad tranquillitatem & quietem denuò perueniat: Cùm verò in hac festinatione V. M. de omnibus informare non licuerit, vt circumstantiæ rerum postulabant, ideò bini Senatorum non multò post ad V. M. ablegandi, ex

quibus

quibus V. M. de omnibus instituetur. Ad extremum quandoquidem sine dubio nonnulli homines peruersi illic inueniantur, qui nobis apud V. M. indignationem conciliare non vereantur, vt priùs inter V. M. (deuotæ memoriæ) Parentem & nos machinati sunt; Idcircò V. M. fraternè & amicè rogatā volumus, vt si qui tales sese prodiderint, nè V. M. illorum iniquis delationibus fidem vllam tribuere dignetur; sed eó potiùs loco ducat, quo illos qui omnem fraternam amicitiam & fiduciam diminutam, et perditam impensè cupiunt: Neq; minùs inposterùm quàm hectenùs fraternâ nos benignitate cōplecti velit. Hoc M. V. fraternè et amicè clàm esse noluimus, confidimusq; fraterno subnixi amore, illud Maiestatem vestram in optimam partem accepturam; Sicut neq; aliud inposterùm à V. M. sperare volumus: Quoniam quocunq; pacto pro nostrâ personâ id facere & præstare possumus, quod ad beneplacitum M. V. & fraternum amorem spectauerit, quouis tempore nos fraterné & vltrò promptos paratosq; inueniet. Quod reliquum est, & potissimùm nostra sententia de monetâ cudendâ in hoc Sueciæ Regno, Iohanni Kranck schedulam memorialem V. M. exponendam tradidimus. Datum Stocholmiæ vigesimâ quintâ Nouembris, anno Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Secundo.

Binas deinde litteras à Rege Poloniæ secum retulit Iohannes Kranck, vnas quidem ad Illustrißimum Dñm Carolum hoc tenore:

Ad D. Carolum R. Sigismundi litteræ.

NOs Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ ac Poloniæ Rex, Serenißimo principi Domino Carolo fraternam & amicam salutem precamur. Illustrißime Princeps dilecte Domine Patrue, Quamuis vltimò cum V.D famulo Petro de la colle copiosè de omnibus, quæ illo tempore necessaria videbantur V.D. perscripserimus; Tamen cùm modò fidelem nostrum famulum, & Secretarium Iohannem Kranck remittamus, eâdem occasione V. D. nostris litteris inuisere decreuimus, fraterné rogantes, vt V. D. vnà cum nostro Senatorio ordine quamprimùm dignetur Olaum Suercheri huc ad nos transmittere, illiq; authenticum Inuentarium rerum mobilium, quas (diuæ memoriæ) Dnus Parens noster post se reliquit, tradere; cum Cathalogum adiungat prouentuum Regni omnium, adscribatq; quid ex illis in feudum cesserit alijs, vt cùm cognouerimus quid in promptu, quæ accepta & expensa, eò melius & facilius ordinare poßimus, quâ ratione signatio monetæ, aliæq; commißiones & expensæ instituendæ. Etsi nobis pergratum foret, vt bini de Ordine Senatorio huc transmitterentur, ex quibus rerum omnium circumstantias cognoscere, & cum illis quid porrò aggrediendum consultare possemus; Tamen animum mutauimus, potißimùm cùm seriò perpendamus eiusmodi longinquam peregrè per terram hyemali tempore profectionem, non solùm multùm temporis, sed magnas postulare expensas, quibus hæreditarium nostrum Regnum, & Senatorium Ordinem hoc tempore onerare noluimus; Præsertim siquidem (Deo laus) eo cardine negotia hic voluantur, vt non solùm reditui nostro in Patriam Poloni nihil obstaculi ponant, vt etiam ad Sueticam profectionem quasuis suppetias & auxilia ab hoc Regno expectemus, vbi Claßis naualis nobis obuiam fuerit expedita; Quod omninò in principio subsequentis Iulij fieri cupimus; Quo tempore desideramus vt quidam Senatorum, & aliorum nonnulli Nobilium, quos circa illud tempus nominabimus, nobis Dantisci occurrant: Verùm de hoc alijsq; negotijs noster Legatus, quem propediem expediemus, V. D. & ordinem Senatorium pleniùs informabit. Interim cùm propter fatorum insperatum accessum, infirmitates & alias incommoditates facilè accidere posset, vt illis, quibus Munitiones Dni Parentis nostri (piæ memo-

memoriæ) gubernationis tempore concreditæ fuerant, quidpiam humanitùs accidat, Vnde defectus quispiam Officialium, & periculum Munitionibus proueniant, quòd nobis ingratum foret; Idcircò quauis Munitione Castellanis & Præfectis nonnullos coadiutores, & commilitones adiunximus, donec nos diuino auxilio subnixi illuc redierimus, & pro commoditate locorum alitter de omnibus rebus disposuerimus. Quamobrem fraternè & amicè rogamus, vt D.V. cum nostro Senatorio Collegio, aßignatis nostro nomine mandet personis, vt sine morâ illuc accedant, quò à nobis sunt destinatæ, secundum eam potestatem quam à nobis obtinuerunt sese omninò gerentes. Quod ad res alias attinet, quas pro fœlici nostro aduentu expeditas cupimus, earum Schedulam memorialem Iohanni Kranck tradidimus, nihil addubitando quin V. D. pro fraternâ illâ in nos inclinatione, vnà cum Coronâ Senatorum omni diligentiâ procuratura sit, vt quæcunq; hoc modo effecta cupimus, quamprimùm exequutioni mandentur. Deniq; quandoquidem nobis innotuerit fidelem nobis dilectum, nobilem virum Laurentium Cagnioli illam debitorum persolutionem, quam aliquot annis in Regno Sueciæ vrsit nec dùm obtinuiße, nosq; ob diuturna & fidelia nobis præstita seruitia non libenter videamus, vt eiusmodi persolutio diutiùs differatur; Ideò nobis pergratum foret, vt etiam hisce à V. D. fraternè petimus, at dilecto nobis Senatorio Ordini clementer mandamus, vt primo quoq; tempore præfato Laurentio debitum plenè persoluatur. Datum Varsauiæ 30. Ianuarij, anno 1593.

Alteras autem præmemoratus Iohannes Kranck Regni Ordinibus attulit litteras, hoc modo confectas & conscriptas.

Ad Ordines Regni litteræ R. Sigismundi.

NOs Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ ac Poloniæ Rex, omnibus & singulis Regni nostri hereditarij fidelibus Indigenis, Ecclesiasticis & Politicis, Nobilibus & Plebeis clementem nostram gratiam, & salutem deferimus. Quandoquidem fideles nobis dilecti viri atq; subditi, superioribus diebus tristißima noua cognouerimus de S. R. M. dilectißimi Dni Parentis nostri ex hac vitâ (prô dolor) migratione, quæ nostrum, vt par erat, plurimo dolore cor premit atq; cruciat; Potißimùm verò dilecti Regni nostri hereditarij causa, quod S. R. M. (deuotæ recordationis) his periculosis temporibus non sine discrimine maximo carere poterit; Deus autem clementißimus, cui S. R. M.

 ex hoc

ex hoc miseriarum pelago, pio exitu visum est à nobis vocare, S. R. M. felicissimam largiatur anastasin, cum omnibus Christi fidelibus, in illâ beatâ æternitate: Proinde cùm probè consideremus multos vestrûm esse, qui in hoc tristi & insperatâ orbitate, propter hanc diuturnam nostram absentiam ex Regno paterno, fortassis in eâ sunt opinione, quòd modicum de Regno Sueciæ, illius Indigenis, emolumentisq; simus soliciti; Neq; etiam velle & posse, oportunitate & necessitate exigente, domum nos conferre; Idcircò vos certiores reddere decreuimus, de omnibus caussis huius diuturnæ nostræ absentiæ, & quid à nobis nunc, & progressu temporis sit vobis sperandum, eamq; fidelitatem in mentem vobis reuocando (quâ nomine iuramenti nobis velut proximo Regni Sueciæ, & hæreditario Regi obligati ac obstricti tenemini) ità inposterùm sicut hactenùs, illam nobis ipso opere demonstrandi ansam porrigamus: Ideò vobis clementer significamus, quòd nullam aliam ob caussam hoc Regnum Poloniæ acceptauerimus, quàm vt Moscho alijsq; S. R. M. parentis nostri dilectissimi, & Regni Sueciæ hostibus, ad Diadema Regni Poloniæ aditum præcluderemus, nè Regnum nostrum paternum, illiq; adiacentes Prouinciæ, pluribus bellorum cladibus quàm hactenùs (prò dolor) diuexarentur: Quod nobis propositum (Deo laus) ità pro votis successit, vt Moschi nefariæ machinationes non solùm aliquoties impeditæ, & frustratæ; verùm etiam pro oportunitate diuersis temporibus exercitui Suetico neruum belli subministrauimus, cuius beneficio ingens hosti pernicies conciliata. Præterea etsi necessitas Regni nostri hæreditarij, præsentiam nostram probè postulasset; Tamen quandoquidem nos non lateat, quantos sumptus diuturni belli moles requisiuerit, quam Suecia aliquot annis sustinuit, proindè perpendentes quanta rerum penuria, propter belli huius diuturnitatem vos affligat, idcircò illis impensis quas regia sustentatio in Regno Sueciæ necessariò exigebat, vos potius liberandos, quàm pluribus exactionibus onerandos censuimus. Siquidem autem S. R. M. (inclytæ memoriæ) Dnus Parens noster charissimus, priusquàm mortalitatis viam ingrederetur permiserit, vt de pace inter S. M & Magnum Ducem Moschouiæ conciliandâ nobis integrum esset tractare; de quâ ideò ad præfatum Ducem iam pridem nostrum Legatum expediuimus, parati adhuc omnem lapidem mouere, vt hoc diuturnum

bellum

bellum optatum tandem sortiatur finem, aut certe prolixas inducias. Quòd cùm ità sit, vos vniuersos & singulos, tàm Nobiles *quàm* Plebeios, Ecclesiasticos *quàm* Politicos, *vnanimiter & peculiariter, clementer & seriò admonitos cupimus, nè aliam quampiam de nostrâ absentiâ foueatis opinionem, quàm fidos subditos de suo* Rege *fouere decet; Præsertim cùm nulla alia illius absentiæ causa, quàm proprium vestrum commodum existat. Atq; cùm statum* Regni Sueciæ, *vestraque omnium salus nostram pro tempore poscat præsentiam, ideò vobis persuadeatis velim, nos sequenti æstate* Regnum Sueciæ *denuò petituros: Interim nihil addubitabitis quin semper omnes & singulos, secundum* Leges Sueciæ, & Regalia *priuilegia, prærogatiuasq; simus gubernaturi; Neq; hanc sinistram de nobis mentem concipiatis, quòd cogitemus quemquam in* Religionis *negotio molestare; Sed omnes & singulos illi relinquemus* Religioni, *& in eâ defendemus, quæ aliquot annis in* Regno Sueciæ *viguit, neminemq;* Religionis *nomine, odio aut amore prosequemur. Deniq; cùm dilectissimus noster* Patruus, *Illustrissimus* Dnus Carolus, Regni Sueciæ Princeps *hæreditarius*, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, *nostro &* Senatorum *consensu id sibi assumpserit, vt in nostrâ absentiâ, & quousq; omnipotens* Deus *nos fuerit dignatus fœliciter domum reducere, charissimo* Regno *nostro hæreditario præsset; ideò omnibus & singulis clementer mandamus, & iubemus vt quidquid* S. D. *vobis nostro nomine,* Reipub. *proficuum commendauerit, id spontè & obedienter exequamini:* Harum *vigore & tenore litterarum vos omninò dirigite.* Datum Varsauiæ 9 Ianuarij, Anno 1593.

Non multis præterlapsis hebdomadibus exindè, ad Sigismundum Regem *ab* Illustrissimo Principe Carolo, Olaus Suerkeri *cum litteris* Commissorialibus, & Instructione *expeditus est; in quibus pari modo* R. M. *de morte* Regis Iohannis *fecit certiorem, significans insuper, quòd cùm* Regnum *hoc præsentiâ regiâ carere nequeat, &* R. M. *pro tempore, tàm ratione auiti* Testamenti *& pactorum hæreditariorum, quàm* Inaugurationis *ab omnibus* Regni Ordinibus *illi decretæ, & superius in hoc* Tractatu *insertæ, proximus sit ad* Regni Sueciæ Coronam *capessendã; Proindè* S. C. *expetere vt* Rex Sigismundus *primâ datâ occasione in* Regnum *hæreditarium aduolet accepturus, prout commemoratum*

est, Co-

est, Coronam & regimen Regni Sueciæ, velut ex litteris colligere licet subsequentibus.

Inuitatur Sigismundus Rex in Sueciam.



Otentissime & Serenissime Rex, amice Dne frater, V. M. fraternum responsum ad vltimas nostras litteras, per famulum nostrum Petrum de la colle quatuordecim antè diebus fraternè & amicè accepimus; In quo, Sicut etiam in prioribus litteris, nobis per fidelem M. V. cubicularium, nobilem & generosum Iacobum Claudij oblatis fraternè postulat, vt illud molestiæ in nos suscipiamus, & in absentiâ V. M. in omnibus negotijs V. M. commodo studeamus, quousq; Deo placuerit, V. M huc fæliciter deducere; illud tamen potissimùm procurando, vt concordia & tranquillitas toto vigeat, floreatq; Regno; Itaq; V. M. illud fraternum & amicum vicissim responsum damus, nos quemadmodùm V. M. intimauimus vnà cum Regni Senatoribus ad id pro virili incubituros, vt cùm V. M. hoc Regnum acceptare per commoditatem licuerit, illud fideliter ad manus consignetur, fidosq; & obedientes inueniat subditos: Itâ V. M. nullam animo concipiat dubitationem, sed omninò & plenè sibi persuadeat, nos omni quo poterimus modo quæsituros, & promoturos V. M. & patriæ nostræ emolumentum, ac salutem. De quibus, summâ

mâ diligentiâ, & pro iudicio quod Deus præpotens nobis daturus, nos ità soliciti erimus, vt speremus etiam V. M. ad hoc fraternum & maximum beneplacitum consequuturam, atq; (Deo auxiliante) tranquillum & pacatum Regnum pro se inuenturam. Quod ad reditum autem V. M. in patriam attinet, illum votis & verbis conceptis à Deo omnipotente, fælici & fausto tempore incohatum & perfectum iri postulamus, ad honorem inprimis & gloriam diuinam, V. M. sicut etiam huius celeberrimi Regni, Incolarumq; prosperitatem, & diuturnum omni pacto subsidium. Verùm cùm V. M. quidem de suo reditu aliquid insinuet, non tamē certo tempore præfixo, quādo ille futurus; Ideò fraternè & amicè rogamus, vt vestra Maiestas nobis, & Regni Senatoribus tempestiuè manifestare dignetur, quandò illam cogitet suscipere profectionem: Similiter quâ ratione, & loco V. M. pro suo aduentu dispositum & præparatum velit, nè quidquam vllo pacto negligatur, ad eiusmodi profectionem, & aduentum condecens, ac necessarium: Deindè quæ sit mens & voluntas V. M. de parentatione Paterni funeris, & quanto post eam tempore interiecto, Coronatio V. M. celebranda. Reliquum verò Regni statum ex litteris Senatorum V. M. cognoscet;

 Sed

Sed de Inducijs biennalibus cum Moſcho nuper ſtatutis, Olaus Suerkeri V. M. cum omni ſubiectione recenſebit, cui exemplar Transactionis traditum eſt: Nobis equidem & Senatoribus Coronæ conſultum videbatur, Moſchum noſtris litteris compellare, eo argumento quo præfatus Olaus Suerkeri apographum conſequutus eſt; Quas proindè Inducias fraternè & amicè confidimus V. M. non diſpliciturns; ſed potiùs V. M. velut Regni Sueciæ Principem hæreditarium, ex ſuâ parte huius Regni ſtatum, atq; commodum ſibi inprimis habituram commendatum, magno Duci Moſchouiæ eodem tenore, aut alio, prout res poſtulauerit, & conueniens fuerit perſcribens, vt ſtabilem aliquandò pacem liceat indè præſtolari. Quæ omnia V. M. fraternè & amicè ignorare noluimus. Hiſce V. M. vnà cum Coniuge dilectiſſimâ Deo præpotenti amicè & fraternè commendamus. Datum Vbſaliæ 7. Martij, anno 1593.

Commiſſoriales autem Olai Suerkeri, ad Regem Poloniæ, ex mandato Illuſtriſſimi Principis Domini Caroli proficiſcentis, prout ſequuntur ſeſe habent litteræ.

Commiſsio Olai Suerkeri.



Otentiſſime & Sereniſſime Rex, amice Dne frater, V. M. in memoriali illâ ſchedulâ Iohanni Krankio traditâ ſuggeſſimus, quoſdam Senatorum quamprimùm ad V. M.

V.M. ablegandos: Verùm quandoquidem eorum neminem in hac festinatione permouere potuerimus, vt ad illam profectionem, suam nobis deferret operam, quolibet certatim excusationes prætendente; Idcircò vt nihilominùs tamen V. M. de toto Regni, hoc tempore, statu probè innotesceret, ad V. M. expediuimus S. R. M. fratris nostri dilectißimi (devotæ recordationis) famulum & Secretarium, nobis dilectum Olaum Suerkeri, cui in mandatis dedimus seria quædam negotia V. M. aperienda, & declaranda, prout ex Articulis informatorijs præfato Olao traditis constat. Proindè fraternè & amicè postulamus, quò V. M. illi fidem habeat, eiusmodi negotia diligenti cogitatione perpendendo, & considerando, eumq́ primo tempore cum responso remittendo. Quocunq́ demùm modo, vterq́ in absentiâ M. V. & aliàs fraternum obsequium, & quod spectare poterit ad amicum beneplacitum, præstare poterit, ad id nos semper, & promptè paratos inueniet. Actum Vbsaliæ XI. Februarij, anno 1593.

Instructio autem, seu Informatio eorum negotiorum iam sequitur, quæ Illustrißimus Dominus Carolus, Regni Sueciæ hereditarius Princeps, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ tradidit & commendauit præfato Olao Suerkeri, Serenißimo Principi Dno Sigismundo Regi Poloniæ, magno Duci Lithuaniæ manifestanda. Actum Vbsaliæ 10. Februarij, anno 1593.

Instructio Olai Suerkeri.

PRincipiò memoratus Olaus Suerkeri, nomine Illustrißimi Principis Dni Caroli, R. M. fraternam & amicam salutem, cum fraterno & propenso obsequio, promptâ voluntate, & sincerâ amicitiâ coniunctam nunciabit. Deindè insinuabit, quòd cùm Deus omnipotens Potentißimum Principem Dnum Iohannem tertium Suecorum, Gothorum, & Vandalorum quondam Regem, ex hoc mundo ad fœlicitatem æternam auocauerit (cuius animam diuina bonitas in cælesti gaudio remoretur, & corpus extremo iudicij die cum omnibus Christi fidelibus, gloriosâ clementer suscitet anastasi) & Serenißimus Rex Poloniæ, secundum pacta hæreditaria, proximus Coronæ Sueticæ hæres existat; Proindè S. C. fraterna consilia sese M. R. hoc, & aliàs quouis pacto promittit exhibituram; de quo nihil prorsùs R. M. addubitare velit; sed de beneuolentiâ S. C. erga se, firmam spem concipere. Etenim parata est S. C. Regnum Sueciæ ad fideles manus R. M. consignare, prorsùs velut S. C. prioribus litteris S. M. notum fecerat. Atq; factu quantùm poßibile, petitioni regiæ omnibus S. C. respondere modis conabitur, vt summa pax, concordia, & tranquillitas per Sueciam M. R. absente reflorescant, quò S. M. illuc faustè aduenìens, tranquillum & quietum inueniat Regnum: Illam verò vicißim S. C. fraternam & amicam fiduciam concipit, & indubitatè expectat, quòd R. M. tàm S. C, quàm vniuersos Regni Ordines, summos & infimos, Ecclesiasticos & Politicos, pauperes & diuites, inprimis & ante omnia in liberâ Religione, & diuino sit conseruatura cultu; Neq; ab illo quemquam minis, aut pollicitationibus auocaturam: Deindè Iura Suetica, omniaq; â Maioribus conceßa priuilegia, in omnibus suis punctis & articulis inuiolata relicturam; Similiter progreßu temporis, sigillis & litteris S. C donationem super Ducatu confirmaturam, cum omnibus vnà incorporandis, velut etiam alijs pluribus, quæ S. C. pro se, & suis hæredibus, anteà litteris sunt confirmata.

Secundò præfatus Olaus Suerkeri humiliter S. M. intimabit, temporis & rerum circumstantias exigere, vt R. M. primo quoq; tempore sese in Regnum Sueciæ conferat; Ideò S. C. fraternè consulit, vt tempestiuè R. M. huic sua negotia accommodet profectioni, quò illam quamprimùm ingrediatur: Ità tamen vt R. M. sese non priùs indè conferat, quàm de Polonorum & Lithuanorum erga se fidelitate, &

promptâ

promptâ voluntate liquidò constiterit, nè in absentiâ R. M. *ad Solium* Regni Poloniæ *aliquis per vim conscendat; aut præfati* Poloni, & Lithuani *intereà temporis sese alterius Regis accingant electioni.*

Tertiò Illustrißimi Principis *consilium, & admonitio illa est, cùm absimile non videatur,* Polonos *de* Ducatu Esthoniæ *pro tempore* R. M. *compellaturos (siquidem anteà illis spes huius copiosa porrecta) cùm ille mortalitatis casus* R. M. *Sereniß.* Parenti *contigerit, vt* R. M. *illud negotium æquâ iudicij lance ità examinare & pensiculari velit, nè* Polonis *quidpiam ampliùs super hoc* Ducatu *spei, & promißionis fiat,* Regni Sueciæ Ordinibus *inscijs, quàm plus satis iam factum est, habito respectu tot* Suecorum, *quos* Esthoniæ *occupatio sæpenumerò strauit, præter innumerabilem pecuniæ summam, quâ* Sueonibus *constitit. Quod si verò* R. M. *ante suam è* Poloniâ *profectionem,* Polonos & Lithuanos *ad certum fœdus contra* Moschum, *cum* Regno Sueciæ *pangendum, secundum pacta conuenta in regiâ electione (quo tempore velut ingreßus ad hoc negotium constitutus est, non tamen ità perfectè decisus, vt firmiter & certò illi adhærere liceat) inclinare poßet, pro authoritate regiâ, et amore in patriam ad hoc sedulò incumbat: Sin autem hoc tempore fieri nequeat, vt postmodum in loco idoneo, circa vtriusq; Regni limites,, operâ* Commißariorum *perfectè & absolutè fœdus illud concludatur.*

Quartò, cùm spes aliqua sit cum Moscho *inducias iam eße contractas, idcircò* Olaus Suerkeri *humiliter* R. M. *redditurus certiorem, quòd ampliùs neceßarium non videatur,* Polonos & Lithuanos Magnates *hac super re molestare; Induciarum negotio productiorum, vsq; ad* R. M. *aduentum in* Sueciam *suspenso, quæ tùm fortaßis in plures annos producentur, aut certè pax firma ferietur; cuius indubitata spes esset, si* Poloni *fœdus nobiscum interim contra* Moschum *inire non grauarentur.*

Quintò, siquidem S. C. *vnà cum* Regni Ordinibus, R. M. *ex* Poloniâ *non abituram, priusquàm omnia negotia ibidem prorsùs decisa, & conclusa, omninò speret nè vlla hostilitas, sed potiùs & priùs amicitia, promptaq; voluntas indè expectentur: Quamobrem* Olaus Suerkeri *apud* R. M. *precibus instabit, vt priusquàm* R. M. *sese ad iter accingat, de tempore inchoandæ & continuandæ profectionis significet,*

ex hoc miseriarum pelago, pio exitu visum est à nobis vocare, S. R. M. felicissimam largiatur anastasin, cum omnibus Christi fidelibus, in illâ beatâ æternitate: Proindè cùm probè consideremus multos vestrûm esse, qui in hoc tristi & insperatâ orbitate, propter hanc diuturnam nostram absentiam ex Regno paterno, fortassis in eâ sunt opinione, quòd modicum de Regno Sueciæ, illius Indigenis, emolumentisq; simus soliciti; Neq; etiam velle & posse, oportunitate & necessitate exigente, domum nos conferre; Idcircò vos certiores reddere decreuimus, de omnibus caussis huius diuturnæ nostræ absentiæ, & quid à nobis nunc, & progressu temporis sit vobis sperandum, eamq; fidelitatem in mentem vobis reuocando (quâ nomine iuramenti nobis velut proximo Regni Sueciæ, & hæreditario Regi obligati ac obstricti tenemini) ità inposterùm sicut hactenùs, illam nobis ipso opere demonstrandi ansam porrigamus: Ideò vobis clementer significamus, quòd nullam aliam ob caussam hoc Regnum Poloniæ acceptauerimus, quàm vt Moscho alijsq; S. R. M. parentis nostri dilectissimi, & Regni Sueciæ hostibus, ad Diadema Regni Poloniæ aditum præcluderemus, nè Regnum nostrum paternum, illiq; adiacentes Prouinciæ, pluribus bellorum cladibus quàm hactenùs (prò dolor) diuexarentur: Quod nobis propositum (Deo laus) ità pro votis successit, vt Moschi nefariæ machinationes non solùm aliquoties impeditæ, & frustratæ; verùm etiam pro oportunitate diuersis temporibus exercitui Suetico neruum belli subministrauimus, cuius beneficio ingens hosti pernicies conciliata. Prætereà etsi necessitas Regni nostri hæreditarij, præsentiam nostram probè postulasset; Tamen quandoquidem nos non lateat, quantos sumptus diuturni belli moles requisiuerit, quam Suecia aliquot annis sustinuit, proindè perpendentes quanta rerum penuria, propter belli huius diuturnitatem vos affligat, idcircò illis impensis quas regia sustentatio in Regno Sueciæ necessariò exigebat, vos potius liberandos, quàm pluribus exactionibus onerandos censuimus. Siquidem autem S. R. M. (inclytæ memoriæ) Dnus Parens noster charissimus, priusquàm mortalitatis viam ingrederetur permiserit, vt de pace inter S. M & Magnum Ducem Moschouiæ conciliandâ nobis integrum esset tractare; de quâ ideò ad præfatum Ducem iam pridem nostrum Legatum expediuimus, parati adhuc omnem lapidem mouere, vt hoc diuturnum

bellum

bellum optatum tandem sortiatur finem, aut certe prolixas inducias. Quòd cùm ità sit, vos vniuersos & singulos, tàm Nobiles quàm Plebeios, Ecclesiasticos quàm Politicos, vnanimiter & peculiariter, clementer & seriò admonitos cupimus, nè aliam quampiam de nostrâ absentiâ foueatis opinionem, quàm fidos subditos de suo Rege fouere decet; Præsertim cùm nulla alia illius absentiæ caußa, quàm proprium vestrum commodum existat. Atq; cùm status Regni Sueciæ, vestraque omnium salus nostram pro tempore poscat præsentiam, ideò vobis persuadeatis velim, nos sequenti æstate Regnum Sueciæ denuò petituros: Interim nihil addubitabitis quin semper omnes & singulos, secundum Leges Sueciæ, & Regalia priuilegia, prærogatiuasq; simus gubernaturi; Neq; hanc sinistram de nobis mentem concipiatis, quòd cogitemus quemquam in Religionis negotio molestare; Sed omnes & singulos illi relinquemus Religioni, & in eâ defendemus, quæ aliquot annis in Regno Sueciæ viguit, neminemq; Religionis nomine, odio aut amore prosequemur. Deniq; cùm dilectißimus noster Patruus, Illustrißimus Dnus Carolus, Regni Sueciæ Princeps hæreditarius, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, nostro & Senatorum consensu id sibi aßumpserit, vt in nostrâ absentiâ, & quousq; omnipotens Deus nos fuerit dignatus fœliciter domum reducere, charißimo Regno nostro hæreditario præeßet; ideò omnibus & singulis clementer mandamus, & iubemus vt quidquid S. D. vobis nostro nomine, Reipub. proficuum commendauerit, id spontè & obedienter exequamini: Harum vigore & tenore litterarum vos omninò dirigite. Datum Varsaniæ 9 Ianuarij, Anno 1593.

Non multis præterlapsis hebdomadibus exindè, ad Sigismundum Regem ab Illustrißimo Principe Carolo, Olaus Suerkeri cum litteris Commißorialibus, & Instructione expeditus est; in quibus pari modo R. M. de morte Regis Iohannis fecit certiorem, significans insuper, quòd cùm Regnum hoc præsentiâ regiâ carere nequeat, & R. M. pro tempore, tàm ratione auiti Testamenti & pactorum hæreditariorum, quàm Inaugurationis ab omnibus Regni Ordinibus illi decretæ, & superius in hoc Tractatu insertæ, proximus sit ad Regni Sueciæ Coronam capeßendã; Proindè S. C. expetere vt Rex Sigismundus primâ datâ occasione in Regnum hæreditarium aduolet accepturus, prout commemoratum est, Co-

est, Coronam & regimen Regni Sueciæ, velut ex litteris colligere licet subsequentibus.

Inuitatur Sigismundus Rex in Sueciam.

Potentissime & Serenissime Rex, amice Dne frater, V. M. fraternum responsum ad vltimas nostras litteras, per famulum nostrum Petrum de la colle quatuordecim antè diebus fraternè & amicè accepimus; In quo, Sicut etiam in prioribus litteris, nobis per fidelem M. V. cubicularium, nobilem & generosum Iacobum Claudij oblatis fraternè postulat, vt illud molestiæ in nos suscipiamus, & in absentiâ V. M. in omnibus negotijs V. M. commodo studeamus, quousq; Deo placuerit, V. M huc fæliciter deducere; illud tamen potissimùm procurando, vt concordia & tranquillitas toto vigeat, floreatq; Regno; Itaq; V. M. illud fraternum & amicum vicissim responsum damus, nos quemadmodùm V. M. intimauimus vnà cum Regni Senatoribus ad id pro virili incubituros, vt cùm V. M. hoc Regnum acceptare per commoditatem licuerit, illud fideliter ad manus consignetur, fidosq; & obedientes inueniat subditos: Itâ V. M. nullam animo concipiat dubitationem, sed omninò & plenè sibi persuadeat, nos omni quo poterimus modo quæsituros, & promoturos V. M. & patriæ nostræ emolumentum, ac salutem. De quibus, summâ

mâ diligentiâ, & pro iudicio quod Deus præpotens nobis daturus, nos ità soliciti erimus, vt speremus etiam V. M. ad hoc fraternum & maximum beneplacitum consequuturam, atq; (Deo auxiliante) tranquillum & pacatum Regnum pro se inuenturam. Quod ad reditum autem V. M. in patriam attinet, illum votis & verbis conceptis à Deo omnipotente, fælici & fausto tempore inchoatum & perfectum iri postulamus, ad honorem inprimis & gloriam diuinam, V. M. sicut etiam huius celeberrimi Regni, Incolarumq; prosperitatem, & diuturnum omni pacto subsidium. Verùm cùm V. M. quidem de suo reditu aliquid insinuet, non tamẽ certo tempore præfixo, quãdo ille futurus; Ideò fraternè & amicè rogamus, vt vestra Maiestas nobis, & Regni Senatoribus tempestiuè manifestare dignetur, quandò illam cogitet suscipere profectionem: Similiter quâ ratione, & loco V. M. pro suo aduentu dispositum & præparatum velit, nè quidquam vllo pacto negligatur, ad eiusmodi profectionem, & aduentum condecens, ac necessarium: Deindè quæ sit mens & voluntas V. M. de parentatione Paterni funeris, & quanto post eam tempore interiecto, Coronatio V. M. celebranda. Reliquum verò Regni statum ex litteris Senatorum V. M. cognoscet;

M Sed

Sed de Inducijs biennalibus cum Moſcho nuper ſtatutis, Olaus Suerkeri V. M. cum omni ſubiectione recenſebit, cui exemplar Transactionis traditum eſt: Nobis equidem & Senatoriæ Coronæ conſultum videbatur, Moſchum noſtris litteris compellare, eo argumento quo præfatus Olaus Suerkeri apographum conſequutus eſt; Quas proindè Inducias fraternè & amicè confidimus V. M. non diſplicituras; ſed potiùs V. M. velut Regni Sueciæ Principem hæreditarium, ex ſuâ parte huius Regni ſtatum, atq; commodum ſibi inprimis habituram commendatum, magno Duci Moſchouiæ eodem tenore, aut alio, prout res poſtulauerit, & conueniens fuerit perſcribens, vt ſtabilem aliquandò pacem liceat indè præſtolari. Quæ omnia V. M. fraternè & amicè ignorare noluimus. Hiſce V. M. vnà cum Coniuge dilectiſſimâ Deo præpotenti amicè & fraternè commendamus. Datum Vbſaliæ 7. Martij, anno 1593.

Commiſſoriales autem Olai Suerkeri, ad Regem Poloniæ, ex mandato Illuſtriſſimi Principis Domini Caroli proficiſcentis, prout ſequuntur ſeſe habent litteræ.

Commiſſio Olai Suerkeri.



Potentiſſime & Sereniſſime Rex, amice Dne frater, V. M. in memoriali illâ ſchedulâ Iohanni Krankio traditâ ſuggeſſimus, quoſdam Senatorum quamprimùm ad

V. M.

V.M. ablegandos: Verùm quandoquidem eorum neminem in hac festinatione permouere potuerimus, vt ad illam profectionem, suam nobis deferret operam, quolibet certatim excusationes prætendente; Idcircò vt nihilominùs tamen V. M. de toto Regni, hoc tempore, statu probè innotesceret, ad V. M. expediuimus S. R. M. fratris nostri dilectissimi (deuotæ recordationis) famulum & Secretarium, nobis dilectum Olaum Suerkeri, cui in mandatis dedimus seria quædam negotia V. M. aperienda, & declaranda, prout ex Articulis informatorijs præfato Olao traditis constat. Proindè fraternè & amicè postulamus, quò V. M. illi fidem habeat, eiusmodi negotia diligenti cogitatione perpendendo, & considerando, eumq; primo tempore cum responso remittendo. Quocunq; demùm modo, vterq; in absentiâ M. V. & aliàs fraternum obsequium, & quod spectare poterit ad amicum beneplacitum, præstare poterit, ad id nos semper, & promptè paratos inueniet. Actum Vbsaliæ XI. Februarij, anno 1593.

Instructio autem, seu Informatio eorum negotiorum iam sequitur, quæ Illustrißimus Dominus Carolus, Regni Sueciæ hæreditarius Princeps, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ tradidit & commendauit præfato Olao Suerkeri, Serenißimo Principi Dno Sigismundo Regi Poloniæ, magno Duci Lithuaniæ manifestanda. Actum Vbsaliæ 10. Februarij, anno 1593.

Instructio Olai Suerkeri.

PRincipiò memoratus Olaus Suerkeri, nomine Illustrißimi Principis Dni Caroli, R. M. fraternam & amicam salutem, cum fraterno & propenso obsequio, promptâ voluntate, & sincerâ amicitiâ coniunctam nunciabit. Deindè insinuabit, quòd cùm Deus omnipotens Potentißimum Principem Dnum Iohannem tertium Suecorum, Gothorum, & Vandalorum quondam Regem, ex hoc mundo ad fælicitatem æternam auocauerit (cuius animam diuina bonitas in cælesti gaudio remoretur, & corpus extremo iudicij die cum omnibus Christi fidelibus, gloriosâ clementer suscitet anastasi) & Serenißimus Rex Poloniæ, secundum pacta hæreditaria, proximus Coronæ Sueticæ hæres existat; Proindè S. C. fraterna consilia sese M. R. hoc, & aliàs quouis pacto promittit exhibituram; de quo nihil prorsùs R. M. addubitare velit; sed de beneuolentiâ S. C. erga se, firmam spem concipere. Etenim parata est S. C. Regnum Sueciæ ad fideles manus R. M. consignare, prorsùs velut S. C. prioribus litteris S. M. notum fecerat. Atq; factu quantùm poßibile, petitioni regiæ omnibus S. C. respondere modis conabitur vt summa pax, concordia, & tranquillitas per Sueciam M. R. absente reflorescant, quò S. M. illuc faustè aduenìens, tranquillum & quietum inueniat Regnum: Illam verò vicißim S. C. fraternam & amicam fiduciam concipit, & indubitatè expectat, quòd R. M. tàm S. C, quàm vniuersos Regni Ordines, summos & infimos, Ecclesiasticos & Politicos, pauperes & diuites, inprimis & ante omnia in liberâ Religione, & diuino sit conseruatura cultu; Neq; ab illo quemquam minis, aut pollicitationibus auocaturam: Deindè Iura Suetica, omniaq; â Maioribus conceßa priuilegia, in omnibus suis punctis & articulis inuiolata relicturam; Similiter progreßu temporis, sigillis & litteris S. C donationem super Ducatu confirmaturam, cum omnibus vnà incorporandis, velut etiam alijs pluribus, quæ S. C. pro se, & suis hæredibus, anteà litteris sunt confirmata.

Secundò præfatus Olaus Suerkeri humiliter S. M. intimabit, temporis & rerum circumstantias exigere, vt R. M. primo quoq; tempore sese in Regnum Sueciæ conferat; Ideò S. C. fraternè consulit, vt tempestiuè R. M. huic sua negotia accommodet profectioni, quò illam quamprimùm ingrediatur: Ità tamen vt R. M. sese non priùs indè conferat, quàm de Polonorum & Lithuanorum erga se fidelitate, & promptâ

promptâ voluntate liquidò constiterit, nè in absentiâ R. M. *ad Solium* Regni Poloniæ *aliquis per vim conscendat; aut præfati* Poloni, *&* Lithuani *intereà temporis sese alterius Regis accingant electioni.*

Tertiò Illustrissimi Principis *consilium, & admonitio illa est, cùm absimile non videatur,* Polonos *de* Ducatu Esthoniæ *pro tempore* R. M. *compellaturos (siquidem anteà illis spes huius copiosa porrecta) cùm ille mortalitatis casus* R. M. *Sereniss. Parenti contigerit, vt* R. M. *illud negotium æquâ iudicij lance ità examinare & pensiculari velit, nè* Polonis *quidpiam ampliùs super hoc* Ducatu *spei, & promissionis fiat,* Regni Sueciæ Ordinibus *inscijs, quàm plus satis iam factum est, habito respectu tot* Suecorum*, quos* Esthoniæ *occupatio sæpenumerò strauit, præter innumerabilem pecuniæ summam, quâ* Suecônibus *constitit. Quod si verò* R. M. *ante suam è* Poloniâ *profectionem,* Polonos *&* Lithuanos *ad certum fœdus contra* Moschum*, cum* Regno Sueciæ *pangendum, secundum pacta conuenta in regiâ electione (quo tempore veiut ingressus ad hoc negotium constitutus est, non tamen ità perfectè decisus, vt firmiter & certò illi adhærere liceat) inclinare posset, pro authoritate regiâ, et amore in patriam ad hoc sedulò incumbat:* Sin autem *hoc tempore fieri nequeat, vt postmodum in loco idoneo, circa vtriusq;* Regni *limites,, operâ* Commissariorum *perfectè & absolutè fœdus illud concludatur.*

Quartò, *cùm spes aliqua sit cum* Moscho *induciás iam esse contractas, idcircò* Olaus Suerkeri *humiliter* R. M. *redditurus certiorem, quòd ampliùs necessarium non videatur,* Polonos *&* Lithuanos Magnates *hac super re molestare;* Induciarum *negotio productiorum, vsq; ad* R. M. *aduentum in* Sueciam *suspenso, quæ tùm fortassis in plures annos producentur, aut certè pax firma ferietur; cuius indubitata spes esset, si* Poloni *fœdus nobiscum interim contra* Moschum *inire non grauarentur.*

Quintò, *siquidem* S. C. *vnâ cum* Regni Ordinibus, R. M. *ex* Poloniâ *non abituram, priusquàm omnia negotia ibidem prorsùs decisa, & conclusa, omninò speret nè vlla hostilitas, sed potiùs & priùs amicitia, promptaq; voluntas indè expectentur: Quamobrem* Olaus Suerkeri *apud* R. M. *precibus instabit, vt priusquàm* R. M. *sese ad iter accingat, de tempore inchoandæ & continuandæ profectionis significet,*

de rebus aduentui regio necessarijs diligenter prouideatur; Quamuis quæ hic requirentur, illis minimè indormituri simus.

Sextò, præmemoratus Nuncius humiliter ex S. M. intelliget, quæ sententia S. M. de Testamento Paterno, et Donatione pro minorenni Principe; sicut etiam quâ ratione cum viduâ Reginâ procedendum, vtrùm illa in arce Stocholmensi commoratura, vt sibi omninò proposuit, aut vbinam locorum R. M. videatur, vt cum Duce minorenni, pro dignitate de sustentatione illi tempestiuè prouideatur. Pari modo etiam exquiret, quod iudicium & beneplacitum R. M. de Alandiâ, quæ anteà seniori derelictæ Reginæ pro viduali Ditione permissa fuit, atq; Principis minorennis Ducatui, & Donationi nunc incorporata.

Septimò, quandoquidem Illustrissimus Dux Carolus, non mediocrem pecuniæ summam, ad petitionem (piæ memoriæ) Regis Iohannis, in emolumentũ Regni mutuam dederit, & pro aliquâ illius debiti parte, hypothecâ seu pignore assecuratus sit; Verùm pro maiori summâ refundendâ habeat S. C. quasdam defuncti Regis litteras assecuratorias: Quocircà S. C. confidit omninò R. M. non alium in hoc negotio prætextum habituram, quàm S. C. primâ occasione ex Regni prouentibus, præ omnibus alijs esse persoluendum, cùm S. C. iure illud æs alienum exigat, & certos ac euidentes apponat rationum calculos.

Octauò, præfatus Secretarius R. M. officiosè insinuabit, quòd secundum Regni Ordinum vniuersalem atq; concordem postulationem concessum sit, Vbsaliæ generalem Synodum, in initio proximè futuri Carnispriuij celebrandi; præsertim ut de Religionis negotio vniuerso, & Archiepiscopi, ac Episcoporum plurium electione quidpiam vnanimiter ab omnibus statuatur, sibi certo certius persuadentes, eiusmodi Cõcilium R. M placiturum, & quæcunq; dicto tempore, consensu vnanimi, & consilio publico approbata & decisa fuerint, R. M. progressu temporis in solennitate Coronationis, sigillis atq; litteris confirmaturam.

Nonò, cùm R. M. illarum non immemor litterarum Latinarum, quæ ante R. M. profectionem ex hoc Regno sunt confectæ, nec ratæ censentur, quòd Regni Ordinibus nunquàm cognitæ aut prælectæ, tantùm abest vt ab illis approbatæ, & ratificatæ; Quamobrem S C. eas litteras reuidere, et præcipua illarum capita, aliaq; insuper Regno vtilia ex illis an notare decreuit, fraternè atq; amicè obsecrans, quò R. M. illud

sibi

ſibi placere patiatur, ſuoq; poſtmodùm Diplomate confirmet; Quod R. M. ſine tergiuerſatione facturam, nihil ambigendum, cùm S. M. maiorem illarum partem anteà conſenſerit, & approbauerit.

Decimò, Olaus Suerkeri cum omni ſubmiſſione R. M. ſuggeret, quòd S. C. illos collegio Senatorio Conſiliarios reſtituerit, qui nonnullo tempore ab eodem exularunt; Id autem hanc ob cauſſam factum, quòd Sereniſſimus Rex Iohannes, paulò ante ſuam ex hac vitâ digreſſionem, eoſdem priſtinæ gratiæ repoſuerit: Neq; minùs ea propter, quòd R. M. vnà cum dilectiſſimâ Thalami Conſorte, ſæpenumerò pro iiſdem liberandis ſupplices deſtinauerit libellos quàm diligentiſſimè confectos; Similiter etiam vt in Regno tranquillitas & concordia eò copioſior vigeat. Quòd verò præmemoratis Senatoribus conſueti reditus attributi, ſub beneplacito, & vberiore hac de re R. M. reſolutione factum; Proindè eius S. C. ſpei eſt, quòd minùs R. M. illud diſpliciturum; præcipuè cùm R. M. tàm prioribus, quàm poſterioribus per Iacobum Claudij litteris transmiſſis, pro iiſdem interceſſerit.

Vndecimò, dictus Secretarius R. M. fideliter enucleaturus de Comite Axelio, cui licet S. C. aliquoties ſcripſerit vt compareret, & ob illum triſtiſſimum, qui Sereniſſimo Regi Iohanni humanitùs accidit caſum, cum alijs Magnatibus & Senatoribus ſuum conſilium communicaret, quâ Regni negotijs ratione, manus commodius & fructuoſius admouendæ. Tamen hoc non ſolùm nihili prorsùs æſtimauit; Sed etiam cum nonnullis in Veſtrogothiâ actitare non veritus, quaſi S. C. aut cæteri fideles Regni Inhabitatores quidpiam molirentur aliud, quàm quod pactis foret hæreditarijs conſentaneum, & R. M. concerneret emolumentum. Inſuper contumelioſas quaſdam deſtinauit epiſtolas, quarum exemplar R. M. exhibebitur; Deindè ex Regno profectus eſt, rumores vndequaq; diuulgans, ſe patriâ exactum & eiectum, quod impudenter comminiſcebatur: Ideò R. M. fidem iis, quibus peruerſam cauſſam ſuam fortè mangonizaturus eſt, nè dignetur habere; Metuimus etenim non ſolùm R. M. perniciem illum meditatum; verùm etiam grauiſſimos in Succiâ tumultus, Aui ſui materni nefariam ſequutus intentionem: Quandoquidem verò cuipiam, dubio procul, apud R. M. Commiſſioni in Veſtrogothiâ, aut Finlandiâ, vel vſpiam alibi obtinendæ inhiaturus, & poſtulaturus; Atq; nè hac viâ peruerſo ſuo indulgendi propo-

 proposito, oportunitatem nanciscatur, obsecrat S. C. *nè eiusmodi* Com*missionem* R. M. *illi demandet, cùm multis oneretur querelis apud eos, quibus crudeliter anteà dominabatur.* Propterea Olaus Suerkeri *suggeret, quòd* S C, *beneplacito* M. R. *subnixa, per commemoratas* Di*tiones* Castellanis *seriò prohibuerit, si* Comes Axelius *eiusmodi potestate munitus adueniret, nè* Arces *illi dedant, aut hoc pacto ipsi auscultent: Cùm autem* S. C. *pectore sincero hoc fecerit, commodo* R. M. *inuigilans, nè* Regni *tranquillitas tumultu quopiam perturbaretur, confidit illud in partem sinceram* M. R. *aßumpturam.*

Duodecimò, *cùm* Olaus Gustaui *in* Poloniam *profectus, inter cætera narrauerit,* Regem *piè defunctum illi vincula inijcere voluiße, consilio* S. C. *illiusq; violentiæ declinandæ gratia, in* Poloniam *sese contulisse, vt litteras obtineret commendaticias ad* M R. (*laudatißimæ recordationis*) *de saluo conductu impetrando: Quare præfatus* Nuncius *nomine* S. C. *humiliter* M. R. *expositurus, memoratum* Olaum Gustaui *iniquam instituisse relationem, cùm in veritate nunquam deprahendetur,* R. M. *aut* S. C. *illius captiuationem mandasse;* Verùm R. M. (*inclytæ memoriæ*) *iußiße, vt in* Vestrogothiâ, *inter illum & eius aduersarios æquum examen & iudicium institueretur, ratione grauißimorum quorundam criminum, quæ* Olao Gustaui *passim imputabantur.* Itaq; *horum facinorum conscius & obnoxius, fugâ sibi consuluit, atq; eò controuersia (prô dolor) processit, examine facinorum legitimo postmodùm instituto, vt in eâ* Regione *abominabiliora crimina, tàm stupra violenter illata, quàm alia craßißima & impudentißima delicta inueniantur, quæ illi imputantur* Atq; *si præfatus* Olaus *eiusmodi criminum imputationem à semet iure poterit diriuare, liber illi in* Regnum *patebit reditus; vis quidem non est illi pertimescenda:* Poterit *autem* Olaus Suerkeri *ea monstrare crimina, quæ illi sunt obiecta.*

Vltimò *demùm* R. M. *informabit Secretarius, quòd* S.C. *relatum sit, nonnullos diuersis temporibus odium & indignationem* S. C. *conflare apud* R. M. Poloniæ *voluiße, eam perturbare conando fiduciam, quam* R. M. *conuenit fouere erga* S. C. *ideò* R. M. *fidem eiusmodi rumoribus confictis, quos huiusmodi* Ardeliones *inposterùm sunt proseminaturi, tribuere recuset; sed eam opinionem concipiat de* S.C., *quòd*

S. M. com-

S. M. commoda omnimodè, & vbiq; sit quæstitura, eoq; pacto erga R. M. sese exhibitura, prout S. C. coràm Deo, R. M. & quouis honesto viro respondere velit esse parata. Datum vt supra.

Extemplò autem post Olai Suerkeri profectionem, aduenerat quidam Henricus Nykyrkie nomine, â Rege Sigismundo ad Illustrissimum Principem Carolum expeditus, per quem S.C. hoc tenore rescripsit.



Litteræ D. Caroli ad Reg. Sigismundum.

Otentißime Rex, amice Dne Frater, V. M. nostram salutem, pluribus quæ nostræ facultatis sunt bonis coniunctam deferimus. Serenißime Rex M.V. litteras tribus vicibus, primò cum fideli nobis dilecto famulo, Petro de la Colle, deindè octauo die præsentis mensis, cum M. V. Secretario Iohanne Krank, vltimas deniq; hesterno die, per M. V. cubicularium, generosum Henricum Nykyrkie fraternè & amicè accepimus; Ex quibus inter alia cognouimus, M. V. sequenti æstate in Regnum suum hæreditarium profectionem decreuisse; Proindè M. V. ad hoc iter in patriam, fælicitatem plurimam ex animo precamur, quò illa profectio omnimodè in M. V. & Regni huius celeberrimi, Indigenarumq; commodum, & diuturnum subsidium vergat. Quòd verò M. V. more solito postulet fraternè, vt nos cum Regni Senatoribus, in absentiâ & vsq; ad fælicem M .V. reditum, quàm diligentißimè M. V. atq; Regni commodis prospiciamus & curemus, id sanè nonnullis nostris

N litteris

litteris obsequium iam antè M. V. fraternè detulimus; Idcircò nullum M. V. sit dubium, quin nobis & Senatorio Ordini, vniuersa Regni negotia ità commendata sint futura, velut cognouerimus M. V. atq; patriæ nostræ charissimæ emolumentum omninò postulare, & M. V. placiturum inprimis, cùm (Deo volente) ad nos aduolauerit: Insuper in suis litteris M. V. Comitiorum facit mentionem, quæ in Poloniá edixerat, vt cum Regni Ordinibus de suo in Sueciam reditu M. V. pertractet, quæ secundo die Maij gregoriani Calendarij inchoabuntur; Quamobrem V. M. fraternè desiderat, vt nostro, Senatorum & Regni Ordinum nomine, generosum & nobilem, fidelemq; Regni Sueciæ Senatorem, Dnum Turonem Bielke de Forßå, vnà cum Olao Suerkeri Secretario regio, si coràm fuerit, ad M. V. expediamus, vt præfatis omninò Comitijs intersint, aut antè illorum finem comparere poßint. Itaq; M. V. celare non poßumus, quòd lubenter quidem vidissemus, velut M. V. significauimus nos diligenter actitaße, vt eiusmodi negotium ad optatum perduceremus effectum; Quod factum fuißet etiam, nisi M. V. in litteris per Iohannem Kranck nobis oblatis, minùs neceßarium eße significaßet; Siquidem autem Ordo Senatorius nunc segregatus, caußa-

caußaq; hæc magni ſit momenti, quæ ſummoperè perpendenda, ſcilicet quâ ratione eiusmodi Legatio pro dignitate inſtituenda; Ideò eos Senatorũ ad nos protinùs aduocare curauimus, qui nobis viciniores erant, vt citra ſpacium quatuordecim dierum, ad ſummum, apud nos Nycopiæ compareant, quibus cum eo tempore quàm diligentißimè de hoc negotio ſumus conſultaturi: Deindè vniuerſam Senatus coronam inuitabimus Stocholmiam, porrò de re totâ tractaturi, præfatiq; Turonis Bielke quantùm poßibile, maturaturi profectionem; Verùm cùm eam legationem ſibi ſoli iniungi graue exiſtimet, vt V. M. ex illius ad nos litteris liquidò cognoſcet, quarum apographum M. V. deſtinamus; Quarè vbi, Deo volente, Stocholmiæ congregati fuerimus, de ſocio illi adiungendo conſpirabimus. Magna profectò eſt hic Secretariorum penuria, qui huic negotio idonei, ad M. V. Olao Suerkeri ablegato, quem circa hoc tempus apud M. V. constitutum arbitramur: Ionæ Petri cui actiones Latinæ commißæ, non diu Cancellariæ explorauit induſtriam, & inſuper hactenùs longâ infirmitate detentus iacuit; An verò Georgius Palmerius huic expeditioni accommodatus ignoramus; Nihilominùs tamen cum præfatis Senatoribus, huic itineri aptum ſedulò circumſpiciemus.

 Quam-

Quanquam igitur nos cum Senatorio Regni collegio, voluntatem & desiderium M. V. libenter exequeremur, quantùm vllo pacto fieri posset; Tamen M. V. considerandum relinquimus, quàm illud possibile, vt eo tempore quo V. M. postulat compareāt: Quoniā licet subitò hinc expedirentur, tamen de ventorum prosperitate incertum est; Proindè M. V. nos cum Senatorio Ordine excusatos habere dignetur, si præscripto tempore adesse nequiuerint. Classē interim, quæ pro reditu M.V. fælicissimo requiritur, et M.V. sibi obuiam mittendam flagitat, omni diligentiâ cum Senatoribus Regni prouidebimus; ijsq; apparamentis pro V. M. desiderio instruemus, quæ Regni commoditas suppeditat: Quamuis paucæ sint hic naues, quas cum honore M.V. obuiā expedire possumus, quarum catalogum, tàm malarum quàm bonarū nunc M.V. transmittimus; Deindè quædam fabricantur in ijs littoralibus Regionibus, vbi commoditas inuitat, quarum fabricationem omni conatu vrgebimus, vt quamprimùm perficiantur. Siquidem deniq; M. V. insinuet, quòd suos Legatos primâ occasione ad nos expeditura sit, atq; per illos significatura, quâ porrò ratione M. V. de suo reditu dispositum iri cupiat, tàm de classe apparandâ, quàm classiarijs, alijsq; rebus necessarijs prouidendis:

dendis; Ea propter postulamus, vt M. V. tempus atq; diem certum nobis manifestet, quo Dantisci classem cupiat præsentem; Sicut etiam vt V. M. intimet, quibus conditionibus ex Poloniâ se conferre decreuerit, eamq; profectionem ingredi, vt eò melius & certius ex nostrâ parte, de rebus necessarijs circumspicere valeamus: Etenim non ambigat M. V, sed fraternam & amicam apud nos habeat confidentiam, nos M. V. optimum & vtilissimum, quod deprahenderimus consilium communicaturos; velut etiam fraternum auxilium, quò eiusmodi profectio M. V. & huic Regno sit honori, celebrationiq;, dedecore cuncto eminùs romoto. Hæc M. V. pro fraterno cursim responso celare noluimus, obsecrante M. V. ut Internuncius hinc protinùs expediretur, quò M. V. quid super legatione præfatâ concluserimus, citiùs cognosceret. Hisce M. V. cum dilectissimâ tori Consorte, clementi & benignæ Dei omnipotentis protectioni commendamus, corporis sanitatem, & omnem rerum prosperitatem, faustumq; & diuturnum regimen comprecantes. Ex castro Gripsholmensi fraternè & amicè datum 24 Aprilis, anno 1593.

Non multo autem tempore euoluto post Olai Suerkeri profectionem, alium Legatum cum litteris & Instructione absolutissimâ, ad Regem Sigismundum, Illustrissimus Dux Carolus expediuit, ad dedu-

 cendam R.M. in Regnum Sueciæ, velut in prioribus S.C. litteris promiserat, adornataq; est hæc Legatio perquam honorificè mense Maijo, anno 1593. illam obeunte Turone Bielke de Akerò, & Forßä, cum nonnullis alijs viris Equestribus & Nobilibus, cui illorum expeditio negotiorum concredita, quæ subnexæ hoc tenore commemorant litteræ.

Commissio Turonis, Bielke.



Otentißime Rex, amice Dne Frater, cùm V. M. exiguo ab hinc tempore per literas à nobis fraternè postulauerit, vt nostro nomine ad Ordines Regni Poloniæ Legatum expediremus, cum ijsdem pertractatum de M. V. in patriam reditu; atq; cùm illud nobis pro temporis ratione consultũ videatur inprimis, ideò M. V. petitioni satisfacturi, fidelem Regni Sueciæ virum & Consiliarium, nobilem & generosum Turonem Bielke, non solùm cum Regni Poloniæ Ordinibus, sed etiã cum V. M. quædam peractum negotia, quæ V. M. et Regni Sueciæ emolumentum, summã q; necessitatẽ concernunt, ablegauimus, prout illius Instructio attestatur. Proindè fraternè & amicè postulamus, vt V. M illa ex præfato Legato negotia cognoscere, ijs plenam tribuere fidem, atq; benigno super ipsis responso mentem suam declarare dignetur, ad maximum V. M. encomium & diuturnum Regni subsidium. Hanc autem V. M. beneuolentiam nos omnes et singuli, pro cuiusq; conditione & statu, diligenter et amicè promereri studebimus, hisce M. V. diuinæ protectioni commendantes. Datum vt suprà.

Instru-

Instructio deinde ipsa Turonis Bielke, ad Sigismundum Regem **Poloniæ** *in ijs negotijs expediti, quæ apud S. M. Illustrißimi Principis Caroli, & Senatorum, Regniq; Ordinum nomine tractaturus, Nycopiæ 26. Maij anno 1593. hoc pacto fuit concinnata.*

Instructio Turonis Bielke.

IN Primis Legatus prememoratus, conuenienter optimâ verborum formâ, prout decorum fuerit, R. M. amicam atq; humilem salutem, parata obsequia, fidelitatem & securitatem, adiunctâ gratulatione fidâ huius regiminis, deferet, vt scilicet in honorem diuinum, S. M. consolationem atq; laudem, Regionumq; & populorum R. M. subiectorum, præcipuè Regni huius hæreditarij, ac Indigenarum omnium emolumentum, auxiliumq; vergat diuturnum. Deindè explicaturus, quòd cùm potentißimus Princeps & Dominus Iohannes tertius Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Rex, ante spacium semestre ex hac vitæ statione momentaniâ, ad æternæ beatitudinis Theatrum sit vocatus, (cuius animæ æternus Deus beatam largiri dignetur in Celestibus habitationem) probèq; cognitum, quàm grauiter eiusmodi casus homines concutiant; Ideò non difficili coniecturâ colligere liceat, quantâ M. R. ille mortis nuncius tristißimus, doloris acerbitate cruciauerit; Quamobrem hoc nomine ingenti compaßione ducimur, etiam atq; etiam optantes, quòd R. M. (piæ memoriæ) vitæ tempus diutiùs fluxißet; Verùm cùm secùs diuinæ Maiestati placuerit, cuius prouidentiæ & voluntati, quà Regum, quà omnium hominum vitale stamen est subiectum; Idcircò hæc fatorum inclementia, sicut alia omnia Dei beneplacito sunt permittenda; Nec addubitamus quin R. M. has ærumnas, atq; doloris pondus, patientibus & christianis humeris subitura.

Quandoquidem verò neminem lateat, quòd R. M. vigore Vnionis hæreditariæ, sit proximus Diadematis Suecani hæres; proindè S. C. & Regni Consiliarij in absentiâ R. M. eiusmodi prærogatiuæ non immemores extiterunt; Sed quàm diligentißimè adnitentes, pacatum & quietum potestati R. M. Regnum hæreditarium consignare; Quod ipsum donec M. R. absuerit, quantùm poßibile, sedulò & libenter inposterùm facturi, prout R. M. gratum arbitrantur futurum: Sed cùm (Inclytæ memoriæ) Rex Iohannes, mortis violentiâ sit abreptus, Regnumq; vt memoratum est, ad, M. R. iure hæreditario deuolutum, propterea

propterea necessitas ipsa, Regniq; sublimitas & authoritas, vt etiam Regij funeris parentatio, aliaq; necessario in Regnum hæreditarium R. M. postulant reuersionem. Quare S. C. & vniuersi Ordines Regni vnanimiter obsecrant, vt R. M. quamprimum per oportunitatem licuerit, reditum in patriam maturet, omni adgratulatione excipienda, & Deo auxiliante, illam pacatam ac tranquillam repertura, eiusq; Indigenas atq; subditos singulos & vniuersos prompto obsequio, obedientiâ & securitate erga R. M. propensos. Quamobrem R. M. primâ datâ occasione sese huic profectioni accingere dignetur: Attamen optima nos tenet spes, vt etiam fideliter & humiliter R. M. admonemus, & obsecramus, vt in Poloniâ ità negotia sua ante abitum transigat, nè hæc M. R. in patriam profectio, quidpiam inimicitiæ & periculi Regno Sueciæ fabricet, aut ipsam R. M. damno, vel malignâ obloquutione cumulet; Sed potiùs eam itineris ingressionem, cum laude inchoare & consummare possit, Regnumq; Poloniæ non solùm non queratur suam orbitatem, verùm firmam Vicinorum concordiam, & amicitiam hoc pacto sperans, lætetur; De quibus, M. R. huius Regni nomine omnimodam Polonis spem faciat, & consolationem.

Præterea cùm R. M. sine dubio, partim ex prioribus litteris, partim etiam ex relatione Olai Suerkeri probè cognouerit, noui fœderis pangendi diem, inter Suecones & Moschum esse constitutum, ipsis Calendis Octobris peragendum: Quamobrem postulandum, vt R. M. benignè perpendat, quâ ratione hæc negotia quàm commodissimè transigi valeant, quibus conditionibus, & quinam huic expeditioni possunt esse idonei. Neq; minùs sit memor R. M. occasione inuitante, agendi cum Polonis, vt suppetias & consilia nobis ferant, quibus pax cum Moscho instituì, aut tot annorum fœdus, quot illi cum eodem inierunt, pangi queat: Siquidem verò nihil absolutè inter Suecos & Polonos adhuc statutum, vt idcircò idonea circumspiciant media pro suâ parte, ad hoc negotium fæliciter perficiendum, ad quod Revalienses sese non alienos ostenderunt, quò temporis progressu, per vtriusq; Regni Commissarios id omninò decidatur. Quanquam deindè nullum nobis dubium, quin R. M pro suâ singulari prudentiâ, atq; regiâ in patriam beneuolentiâ, eiusmodi sine nostrâ admonitione probè recordatura (quemadmodùm R. M. in suis nuper litteris ad S. C. & Consiliarios

ſiliarios Regni *luculenter conteſtatur*) Nihilominùs *tamen iuiurandum & fidelitas illa, quibus* R. M. *&* Regno *obligamur, vt ea* R. M. *ſuggereremus nos permouerunt; ideò* M. R. *hæc in optimam partem interpretari dignetur.*

Deindè etſi nihil ambigendum, quin R. M. *ſeſe erga omnes & ſingulos quouis modo, prout virtutis &* Religionis *chriſtianæ decet ſectatorem, ſecundum* Regni *Iura, & priſca ſe gerere* Priuilegia, *ſit exhibituram;* Tamen *cùm in quouis* Regno, *tàm hæreditario quàm* Eclogico, *laudabili conſuetudine receptum, vt* Regi *futuro* Statuta, *&* Priuilegia Regni *in mentem reuocentur;* Proindè S. C. *cum* Senatorum *ampliſſimo collegio,* Regniq; Ordinibus *vniuerſis, amicè & obnixè poſtulat, quò* R. M. *cunctos* Regni *Incolas clementer aſſecuret, quòd abſolutè ſine omni diminutione, ſubterfugio & tergiuerſatione, quoſuis* Regni Ordines, *ſummos & infimos,* Eccleſiaſticos *&* Politicos, *vniuerſos & ſingulos, primo & ante omnia* Religionis *libertati, prout extremo regiminis tempore* Guſtaui Regis, *& primo* Regis Iohannis, *nuperq;* Vbſaliæ *in* Synodo *generali approbata & definita, prorsùs relinquere, & permittere velit;* Deinceps Illuſtriſſimum Principem Ducem Carolum, Ducali *ſuâ* Iurisdictione, *&* Donatione *ſecundum* Teſtamentum Regis Guſtaui, *& pacta hæreditaria frui paſſura;* Similiter Seniorem *&* Iuniorem Reginas viduas, Principemq; *minorennem* Illuſtriſſimum Ducem Iohannem, *ſibi plurimùm habitura commendatum; velut etiam* Sereniſſimi Ducis Caroli *dilectiſſimam* Conſortem, *atq; filiam, de illâ portione quæ illis iure adſcripta, aſſecurare & confirmare, atq; aliàs omnindè de illarum commodis inuigilare,* M. R. *futura iugiter parata.*

Quod verò ad Statum Eccleſiaſticum *ſpectat, vt* Eccleſiæ Moderatoribus *&* Miniſtris, *dignâ authoritate & priſtinâ libertate frui liceat;* Deindè Nobilibus *& plebeis, diuitibus æquè ac pauperibus,* Iure Sueciæ, *et antiquis* Prærogatiuis, Donationibus, *ac* Priuilegijs *à* Regibus *&* Gubernatoribus Regni *conceſſis ſit integrum gaudere, quæ firmâ ratione à ſuis poſſeſſoribus legitimâ adſtruuntur;* In quibus *ſi defectus aliquis, & culpa deprehenſa fuerit, clementer eiuſmodi corrigat.* In *ſummâ* R. M. *id omne ſe facturam promittet fideliter, quod* Regium Iuramentum *in noſtro* Nemobiblio *perſpicuè comprehendit, quouis articulo legitimè & ſincerè intellecto, expoſitoq;:* In *quibus*

 omnibus

omnibus speramus R. M. *nullâ ratione tergiuersaturam; æquo præsertim intuitu ipsam veritatem, & quæ in omnibus per Christianitatem Regnis peculiariter autem in hoc, laudabili frequentata consuetudine, fidelitatemq; & beneuolentiam singularem, quam vnanimiter huius* Regni Ordines, *huic familiæ in illâ* Vnione *hæreditariâ concedendâ exhibuerunt*, S. M. *respectando atq; examinando*; Quorum *omnium nomine, huius* Regni Indigenæ *à* Regibus *hæreditarijs, vberiores commoditates meritò sperant, quàm sub peregrinis & externis*, Eclogicisq; Monarchis *anteà possederunt, intuentes fideles eas suppetias supenumerò, quas summi & infimi* Ordinum Regni, M. R. Serenissimo Dno Parenti, *in exordio sui regiminis, & deinceps viginti tribus annis continuè, vitam & bona pro* S. M. *salute promptè deuouendo, præstiterunt & declararunt, quorum ergò non exiguum rerum suarum dispendium incurrerunt.*

De *his idcircò omnibus præfatus* Legatus, *quàm breuissimam humiliter & submissè à* R. M. *in scriptis assecurationem postulaturus, eo quidem tenore, quo omnes & singuli pro suo statu, sublimioris & inferioris conditionis*, Ecclesiastici & Politici *abundè contententur*; Hoc *autem primò in exteris, & deindè in* Regnum *aduenientem, ante* Coronationis *solennitatem exactius, pro* Ordinum *voto, &* Legum Consuetudinumq; *vigore* R. M. *sponte facturam speramus*: Vniuersi *vicissim & singuli* Sueonum Ordines, R. M. & *vniuersæ* Regali & Ducali *familiæ, secundum* Vnionem *hæreditariam, prorsùs fidi & rectè consulentes subditi vbiq; inuenientur, qui pro* R. M. *patriæq; emolumento, vitæ & saluti, fortunisq; non parsituri, votis à* Deo *omnipotente flagrantibus inprimis optantes, vt* R. M. *quamprimùm incolumem cum gaudio restituat patrio solo*; Eumq; *reditum, quà* R. M. *quà simul* Regni Sueciæ *fidelibus* Indigenis *reddat etiam atq; etiam gloriosum & fructuosum.* Quod *si verò (id* Deus *auertat) impedimenta aliqua maioris momenti inciderent, quæ præfatam aut impedire & procrastinari viderentur reuersionem, vel sanè quæ* Regno Sueciæ, & R. M. *discrimen incommoditatemue importarent, omnium* Incolarum *sunt desideria, vt etiam fidele consilium & admonitio (quò* R. M. *aduentus eò sit* Indigenis *acceptior) vt* R. M. *super hac inclementiore fortunâ illos quantociùs reddat certiores, vt eò salubrius*

trium in hac caußa suum communicent consilium, quod singulariter & vnanimiter prout tenentur, fideliter & libenter præstituri. Neq; minùs etiam præfatus Turo Bielke *precibus apud* R. M *instabit, ne maiori comitatu Regnum ingrediatur, quàm per Regni facultates modernas liceat sustentare, nè subditorum frequentia, militum multitudine alendorum nimiùm grauetur.*

Hæc sunt nogotia, quorum expeditio præfato concredita Legato; *Licet conueniens fuißet, priùs de hac Legatione, &* R. M. *in Regnum aduocationne, omnes* Regni Ordines *certiores reddere; Sed cùm temporis breuitas id minimè permiserit, primo quoq; tempore iisdem manifestandum; Neq; putandum illos hæc rata habere nolle, cùm omnes* Regni Ordines, *illi Vnioni hereditariæ mordicùs adhereant, quæ omnium consensu & approbatione nititur, atq; aliquoties repetita & stabilita; Præsertim verò cùm nullum obstaculum sit adhuc positum, quò minùs* Regni Ordines, *quæ sibi & vniuerso Regno necessaria, vtiliaq; iudicauerint, aduenienti* R. M. *propiùs proponere & vrgere poßint. Deniq; dùm hac ratione singula fuerint negotia transacta, inquiret* Legatus, *certoq; nuncio huc destinato intimabit, quo tempore* R. M. *sibi obuiam desideret classem naualem, quæ intereà temporis pro dignitate & facultate diligentißimè accingetur. Ea præter* Legatus *nomine* Serenißimi Principis, *& consiliariorum, Seniori & Iuniori* Reginæ, Principiq; *Annæ amicam salutem, prompta obsequia, omnemq; beneuolentiam impertiet; atq; si* Regina Iunior *benigno puerperio defuncta, eam gratulationem quæ conueniens atq; decens inprimis fuerit, cum alijs requisitis amicißimè instituet, atq; faciet. Datum vt suprà.*

C*Irca hoc tempus mense* Iunio *rediit* Olaus Suerkeri, *Commißionibus atq; litteris à* Rege Sigismundo *instructus sequentibus.*

ILlustrißime Princeps, *dilecte* Dne Patrue, *quæ negotia* V. D. *apud nos expedienda* Olao Suerkeri *iniunxit, quantùm neceßarium erat, illa cognouimus; Quem autem cùm censuerimus non eße remittendum, priusquàm certum adferret secum responsum, qualiter omnia negotia hic transacta eßent, ideò illum vsq; ad finem Comitiorum, ac caußarum omnium decisionem sumus remorati, nè incerta quæpiam noua* — Reditus Olai Suerkeri ex Polonia.

O 2 *secùm*

secum reportaret: Ab illo proindè de omnibus negotijs, quæ in Commißis habuit V. D. liquidò cognoscet, cuius relationi plenam & securam tribuat fidem. Si autem aliqua adhuc negotia V. D. occurrant, quæ nos intelligere discupit, illa præfato Olao Suerkeri nobis significãda committat, quandoquidem illi mandauerimus, vt protinùs ad nos reuertatur, eam rerum suarum rationum iniens, vt nobis Dantiscum aduentantibus occurrat: Neq; dubitamus quin de omnibus rebus, quà commeatu quà aliàs de prouisione apud Ciues Stocholmenses, & Vbsalenses eo modo iam dispositum, vt ea V. D. & Regni Senatoribus in memoriam reuocare sit superfluum: Nibilominùs tamen mandauimus Olao Suerkeri, vt apud Senatum Regni & Ciuitatum præfatarum hæc vrgeat & promoueat negotia. Datum Varsauiæ 20 Iunij, anno 1593.

D*Eindè illius Instructionis quam secùm habuit Olaus Suerkeri, hanc à Sigismundo Rege attulit responsionem.*

Responsio Instructioni data Olai Suerkeri.

Q*Vandoquidem Illustrißimi Dni Patrui nostri salutatio, nobis pergrata omninò acciderit, ideò Olaus Suerkeri dignas gratiarum actiones S. D. rependet, fraternam nostram salutem, amicam propensionem, & promptam voluntatem, omniaq; bona nostro nomine S. D. deferendo. Quòd verò Illustrißimus Patruus noster, fraternè & amicè nobis promittat, se in nostrâ absentiâ omnimodè fraterna nobis consilia præstiturum, & Regnum nostrum hæreditarium, nobis fideliter aßeruaturum, quantùmq; S. D. factu poßibile, pacem & concordiam in Regno Succiæ erecturam, de his nulla nos tenuit dubietas; Proindè S. D. fraternè gratulamur, & vicißim hæc obsequia gratitudine quauis compensabimus; Atq; tàm S. D. quàm alijs Regni Ordinibus nos eiusmodi exhibebimus, vt in Religionis negotio, patrijs Legibus, Priuilegijs, & Donationibus, alijsq; nemo querelam nobis iure moturus; Quemadmodùm nostris litteris nos iam declarauimus & spopondimus. Quantùm verò attinet ad nostrum in Sueciam reditum, iam pridem per fidelem nobis dilectum virum et Cubicularium, illustrem Dnum Gustauum Brahe; & similiter per Secretarium nostrum Petrum Braschonem, voluntatem nostram insinuauimus: Attamen quandoquidem Comitia Regni Poloniæ ad finem iam perducta sint, & penitùs pro voto nostro transacta, vt nobis liberum sit cùm libuerit in Sueciam proficisci,*

ſciſci, ideò præfatus Olaus Suerkeri, *chariſſimo* Patruo *noſtro idipſum ſuggeret, nauium expeditionem vrgens, quæ nobis ex* Regno Sueciæ *obuiam ſunt mittendæ, vt omninò ipſis Calendis Augusti ancoras in portu* Dantiſcano *proiectent; Has autem quin Patruus noſter ità adornandas omni diligentiâ ſit curaturus, vt nobis aut* Regno Sueciæ *dedecus non ſint pariturae, nequaquàm dubitamus.*

Cæterùm memoratus Petrus Brask *inſuper* S. D. *ſignificabit, nos de* Ordinum Regni Poloniæ, *&* Lithuaniæ *erga nos fidelitate vſq; eò aſſecuratos, vt hoc tempore ſiuè abſentes, ſiuè præſentes ſimus, nihil periculi metuendum.* De Eſthoniâ *verò idem* Secretarius *intimabit, quòd his* Comitijs *minor illius mentio ſit facta, quàm ſperabamus; Quamuis ſi ſecùs accidiſſet, Statibus* Regni *aliquam ſeriò litem ſuper illâ nobis intentantibus, iam præmeditata eiusmodi habuerimus in promptu reſponſa, quæ huic foro quadrâſſent, & ora illorum occluſiſſent. Verùm quantùm ad fœdus, vtrumq; inter* Regnum *pangendum, ex* Olao Suerkeri S. C. *cognoſcet, eiusmodi magni momenti* Tractationem *negotij non eſſe ſecuram, priusquàm ad* Thronum Regni Sueciæ *fuerimus ſublimati; Sicut neq; conſultum quidpiam ſuper hac concludere, antequàm omnes cauſſæ à* Sueciæ *Statibus benè & maturè fuerint examinatæ, atq; ponderatæ. Quod deindè attinet ad* Teſtamentum D*ni* Parentis *noſtri (cuius animam* Deus *in æternum conſoletur) &* Donationem *pro* Fratre *noſtro minorenni, eiusq;* Matris, *dilectiſſimæ* Sororis *noſtræ habitatione reginali, alijsq; nos progreſſu temporis, cùm* Deus *nos* Patriæ *reſtituerit, benignè reſoluemus; Præcipuè vbi cum* Illuſtriſſimo Principe Patruo *noſtro, &* Regni Conſiliarijs *hac ſuper re porrò conſultauerimus, &* Regni *commoditates indagauerimus.*

Præterea Olaus Suerkeri S. D. *enarrabit, nos quamprimùm* Suetica *littora attigerimus, ſupputationis reuiſionem & deciſionem curaturos, factâ deindè tali ordinatione, quali* Patruum *noſtrum probè contentum reddemus in ijs, quæ* S. D. *ex* Regno *iure exigit debita. De latinis verò litteris coràm mentem noſtram aperiemus, nobis minimè perſuadentes, in abſentiâ noſtrâ, nobisq; inſcijs & inconſultis, aliqua* Statuta *fabricanda, quibus robur aliquod conueniat aſſignare: Sed quòd fideles nobis dilecti viri, qui* D*ni* Parentis *noſtri aliquo tempore indignationi fuerunt ſubiecti, priſtinæ dignitati & libertati ſint reſtituti,*

 nostræ voluntati satisfactum est, prout per Legatos *nostros insinuare curauimus* : Axelio *autem* Comiti, *&* Olao Gustaui *litteras defensorias nostras, ut se foro tamen sisterent, denegare non potuimus. Itaq; nobis in* Sueciam *reuersis, iudicio sistentur, ut omnibus & singulis, aduersus illos querelam deponentibus respondeant.* Deniq; *cùm* Illustrissimus Dominus Patruus *noster sibi relatum aßerat, nonnullos* S.D. *apud nos diuersis temporibus odium* Conciliare *voluiße, ideò* Olaus Suerkeri *nobis de hac re nihil planè constare affirmabit, neq; scire quos* S. D. *intelligat* Delatores *eiusmodi &* Ardeliones ; Im ò *si aliqui id facere attentassent, illis promeritâ occurrißemus responsione.* Quamobrem S. D. *nihil sibi hac de re imaginetur; Sed quemadmodùm* S. D. *aurem peruersis* Delatoribus *non præbituram certò existimamus; ità de nostrâ fraternâ animi propensione erga se, nihil* S. D. *ambigendum, quidquid tandem alij simultatis inter nos serere cupiant; licet vix ullos eò audaciæ descensuros arbitremur.* Actum Varsauiæ 20. Iunij, *anno* 1593.

HIs *peractis pro dignitate*, Illustrißimus Dux Carolus, *rerum apud nos pro tempore legitimè potiens*, Ericum Sparre, *&* Claudium Bielke *expediuerat* Dantiscum, Regem Sigismundum, Ordinum Regni Sueciæ *nomine honorificè exceptum, quorum* Instructio *hoc modo contexta.*

Instructio Erici Sparre & Claudij Bielke.

PRincipio Illustrißimi Principis Ducis Caroli, *&* Consiliariorum *nomine, pro dignitate* R. M. *cum Reginâ iuniore, &* Principe Annâ *plurimam salutem impertient, fraterna & amica obsequia* S. C. *Sicut etiam humilia & subiecta, fidaq; seruitia, cum alijs huc spectantibus verborum reuerentijs deferentes*: Deindè *significaturi sunt, quòd quemadmodùm* Serenißimus Princeps, *&* Ordo Senatorius *in absentiâ* R. M. *postquàm* S. M. *(diuæ memoriæ) parens de vitâ deceßit,* Regni *gubernationem, & prosperitatem sibi curæ diligenter habuerunt, pro* R. M. *commodo, & singulari beneplacito, plurimumq; sunt conati,* Regnum Sueciæ *ad* R. M. *fidas conseruare & resignare manus, vbi* R. M. *in propriâ personâ feliciter in illud aduenir et; Ità etiam singulari quodam desiderio, atq; gaudio immenso cognouerunt,* R. M. *hoc pacto quæuis in* Regno *suo* Eclogico, *à* Deo S. M. *destinato, negotia expediuiße, vt nunc tandem integrum sit & liberum* S. M. *patrios lares inuise-*

inuisere; Proindè S. C. *præfatiq;* Domini Senatores, *ex animo* Deum *præpotentem obsecrant, quò hanc profectionem ad honorem atq; laudem* S. M. Regni Succiæ, *omniumq;* Indigenarum *emolumentum, & diuturnum subsidium, diuina clementia* R. M. *ingredi patiatur. Cùm verò temporis, & rerum nunc postulet ratio, Regiâ Maiestate in propinquo constitutâ, ut classe indigeat, petatq; sibi transmittendam, ideò præsentes naues Sueticæ, & Finnonicæ ex* Regno *obuiam* M. R. *sunt expeditæ, vt eam fæliciter in nostras transportent oras*; *Licet autem classis grandior & nauibus frequentior, imò adornatior meritò esse deberet; tamen in hac subitâ apparatione, & Reipublicæ Sueca-næ egestate, secùs & magis pro dignitate ac honore fieri nequiuit*: Quamobrem Ordines Regni, *hanc pro temporis oportunitate, & rerum copiâ factam expeditionem, sibi persuadent* R. M. *placituram*; *Summis ideò precibus à* Deo *contendentes, vt* S. M. *placidum & secundum conce-dat ventum, quò hanc profectionem et nauigationem quamprimùm fæli-citer expediat, ad patriæq; littora, &* Indigenas *faustior appellat*; *Cu-ius sanè aduentus omnibus* Regni *Incolis gratissimus futurus, excipien-daq;* R. M. *quâ decet proximum & electum* Sueciæ *Regem hæredita-rium, reuerentiâ ac honore ab vniuersis* Inhabitatoribus: *Quandoqui-dem nihil ambigendum, quin* R. M. *erga* Regni Succiæ *Legatum, nobi-lem & generosum* Turonem Blelke, *ità in respondendo sese clementer gesserit, prout hic diuulgatum, & omnia* Regni Poloniæ *negotia eâ prudentiâ iam expediuerit & resoluerit, vt* S. M. *Regnum hæredita-rium, nullo indè detrimento proueniente mactetur*; *neq; in absentiâ* R. M. *bellum aliquod, aut inimicitiam indè pertimescat.* Aeternus Deus *porrò ea omnia concedat, quæ horum* Regnorum *tranquillitati, colligationi, atq; confœderationi perpetuò famulentur.*

Præterea mutationem aulicorum munerum instituendam esse, Legati R. M. *suggerent*; *Atq;* Domini *qui cum potestate classi* Sueonum *præsunt nauali*, Ciuitatem Dantiscanam *non ingredientur, aut naues ad pontem appellent, nisi priùs cum* R. M. *fuerit hac de re consultatum & approbatum*: *Neq; multos Classiariorum in terram descendere permittent, nisi* Architalassi *nauium fuerint illis permixti, & adunati.* Deniq; *clarissimos* Regni Poloniæ *Senatores præsentes,* Legati *effi.iese salutabunt, grates persoluendo plurimas, quòd eo*

pacto

pacto per ipsorum consensum & optimam voluntatem, R: M. *in patriam redire licuerit*; *Atq; ut intercà temporis vigore propriarum litterarum*, Regni Poloniæ *Diadema* R. M *inuiolatum conseruent, pluribus verbis rogabunt*; Neq; *minùs præfatis* Dominis *gratulabuntur, quòd* R. M. *adeò decenter & magnificè ex suo expediuerint* Regno, *quæ sanè illorum obsequia, huius* Regni Ordines & Indigenæ *semper collaudaturi, & omni gratiarum actione compensaturi, nihil prorsùs addubitantes, quin non solùm fidelitatem & securitatem* R. M. *absentiæ promißam fideliter sint conseruaturi*; Verùm *etiam ex suâ parte elaboraturi, vt hæc celeberrima* Regna, *arctiore quopiam, & amiciore sub vno Rege colligantur vinculo, quemadmodùm*, Deo *auxiliante, nunc fæliciter inchoatum est, habito inprimis respectu securitatis, celebritatis, & eminentiæ, authoritatisq; quæ hoc vinculum gloriosum, vtriusq;* Regni Indigenis, *subditisq; certissimo importat euentu.* Datum Stocholmiæ 27. Iulij, *anno* 1593.

H*Isce omnibus fæliciter negotijs transactis, reuersus est* Turo Bielke, *qui à* S. C. *moderno* Rege *nostro legitimo, ad* Regem *Sigismundum fuerat ablegatus, hæc secùm à* Rege Poloniæ *adferens responsa.*

Responsio data Instructioni Turonis Bielke.

PRimò, *eam salutationem & fidelitatis, obsequiorumq; promptam* Oblationem, *quam memoratus* Legatus, *Illustrißimi* Principis, & Senatorum, Regniq; Ordinum *nomine impertiuerat, plurimùm* R. M *placuiße declarabit; Vtpotè singularè indè beneuolentiam, velut etiam ex hoc, quòd* R. M. *compatiantur vniuersi & singuli* Sueciæ *Inhabitatores, propter illam fatorum inclementiam insperatam, mæstissimamq;, quæ paucis ante mensibus, ob* S. M *dilectißimi* Dni *parentis* (*piæ memoriæ*) *obitum, prô dolor, accidit, omnium eorum fidam ac promptam erga se voluntatem, non obscuro argumento probè cognouit*: Quorum *ergò omnium*, R. M. *dilecto inprimis* Domino *suo* Patruo *Illustrissimo* Dno Carolo *amicè, alijs vniuersis & singulis gratiosè & beneuolè gratulatur.*

Secundò, quòd omnes & singuli Vnionis *hæreditariæ, à* Statibus Regni Sueciæ *vniuersis sponte approbatæ haud immemores* (*cuius vigore* R. M. *secundum diui* Parentis *suprema fata proximus* Regni Sueciæ *hæres, & Rex legitimus existit*) *diligentiam adhibuerint, vt* Dia-

dema

dema Sueciæ, R. M. *potestati in tranquillitate & concordiâ consignare-tur, modò non solùm hoc nomine, sed etiam propter necessitates* Regni *summas expetentes atq; postulantes* R. M. *in* Patriam *aduentum, vbi velut fidi & rectè consulentes subditi* R. M. *excepturi.* Huiusmodi à *præfato* Legato, *non sine summâ animi voluptate* R. M. *cognouit, quæ ut* S. M. *gratißima, ità Serenißimo* Principi *amicè, & collegio.Sena-torum amplißimo, pro dignitate & merito* R. M. *gratias persoluit.* Quantùm *proindè ad* R. M. *reditum in patriam spectat, illum a-pud animum suum iam* R. M. *conclusit, atq; incboauit, suppliciter diui-nam bonitatem implorans, vt hanc in* Regnum *hæreditarium reuersio-nem, ad sui nominis honorem,* R. M. *multam laudem, & Subditorum grande emolumentum secundare dignetur;* Nam *ità negotia apud* Re-*gni huius Status transegit omnia, vt non solùm non aliqua* R. M. *detrimenta aut obtrectationes, vel discrimina inimicitiæq;* Regno Sue-*ciæ sint metuenda, vt etiam fidis, beneuolis, & rectè consulentibus hic gaudeat* R. M. *Subditis, qui pro salute, eminentiâ, atq;* R. M. *nomine, nullis fortunis, aut vitæ ipsi parcendum putent;* Cuius *beneuolentiæ non obscurum præbent argumentum illa voluntaria subsidia, quibus* R. M. *nunc succurrerunt.*

Tertio quoad illam circa limites Regni *cum* Moscho Tractatio-*nem, primâ* Octobris *inchoandam, consilium & voluntas* R. M. *est, vt quandoquidem per temporis breuitatem* R. M. *non sit integrum eas designare personas, quæ huic* Tractationi *idoneæ reputentur, illam suspendendam ad initium vsq; quadragesimale, vt regijs* Exequijs, & S. M. *festiuitate* Coronationis *fæliciter primo absolutis, ea media ex-cogitentur, quibus præfata* Transactio, *cum* M. R. & Regni *Sueciæ emolumento inchoëtur & peragatur,* Indigenæq; *tandem ad diutur-nam deferantur tranquillitatem.* Quamobrem Georgio Boie R. M. *perscripsit, vt* Moschis *in* Castellis *limitaneis agentibus id ipsum signi-ficet, quò tempestiuè suo magno* Duci *suggerant, nè superuacanea ali-qua expeditio, aut impensæ eâ ex parte fiant;* Quod *præfatus* Geor-*gius* Boie *dubio procul diligenter facturus, & primo tempore respon-surus.*

Quartò *deniq; quod attinet ad eam Aßecurationem, quam* Illu-*strißimus* Princeps, *cum* Regni *consiliarijs, nomine omnium* Ordinum

P à R. M.

à R. M *efflagitat, prout* Legati *Instructio fusiùs testatur,* Cùm R. M. *iam pridem partim per* Iohannem Kranck *litteris ad vniuersos Regni* Ordines *datis; partim etiam deinceps per proprium* Legatum *sponte si ne admonitione vllius se resoluerit, quòd omnibus* Regni Succiæ *Ordinibus, Religionis & Priuilegiorum integram inuiolatamq; libertatem sit permissura; Ideò vlteriorem quampiam postulandam non existimabat* R. M. *Assecurationem, ante ferias* Coronationis *celebrandas, perpendens seriò quid discriminis conueniat esse, inter* Reges Eclogicos (*quibus in exteris constitutis, aut aliâs priusquàm* Electio *prorsùs confirmetur & approbetur, conditiones solent præscribi*) & *inter* Reges *hæreditarios, qui tempore* Coronationis *omnibus vnanimiter* Ordinibus, *ac deindè singulis super communibus* Regni *sui necessitatibus, Iure & Iustitiâ, peculiaria elargiuntur priuilegia libertatesq;, quibus* R M. *pro tempore acquiescit consuetudinibus, progressu temporis, nempè circa ferias* Coronationis (*quas clementissimus* Deus *prospero faustoq; tempore peragi concedat*) *omnibus* Regni Statibus, Ecclesiasticis & Politicis, *infimis & summis, de Religionis libertate,* Legum Suecicarum *obseruatione, & acquisitis ab antiquo tempore priuilegijs, libertatibusq; liberè retinendis* (*sine præiudicio tamen* Regalis & Ducalis *hæreditariæ* Successionis) *cum alijs omnibus tùm temporis conuenientibus,* R. M. *suis litteris & sigillis Assecurationem firmissimam parata est elargiri;* Siquidem *eo tempore hæc commodius & melius, quàm modò, & potissimùm hoc loco transigi & expediri possint negotia:* Eius *verò* R. M. *vicissim est confidentiæ,* Regni Succiæ *Ordines ad definitum vsq; tempus, interim dùm* R. M. *reditum in* Sueciam *maturat, & ipsamet cum illustrissimo dilectissimoq; suo* Patruo, *atq;* Regni Consiliarijs *nacta fuerit oportunitatem colloquendi & consultandi, hisce contentos fore;* Neq; *illos noua prorsùs* Statuta *aut ordinationes intereà facturos aut consensuros, nullum super regiâ & clementi erga sese propensione fouentes dubium, quam* R. M. *in suâ præsentiâ cuiuis pro merito, & secundum* Regni *negotiorumq; occasionem, singulari beneuolentiæ documento vltrò declaratura.* Interim *sicut etiam postmodùm, quilibet* Indigenarum *illi semper fidelitatis adhæreat iuramento, quo* R. M. *partim vigore* Vnionis *hæreditariæ, partim etiam promissionum sæpenumerò in vniuersalibus* Comitiorum *ferijs* R. M. *factarum tenetur obligatus.*

Quod demùm spectat ad iuniorem Reginam viduam, & dilectissimum R. M. *Fratrem Ducem Iohannem, atq; Patruum Illustrißimum Principem Carolum, multoties* R. M. *per litteras suam erga illos voluntatem fraternè commonstrauit, quâ illos vsq; ad fælicem* S. M. *reditum contentandos sperat; Et decreuit* R M., *Dei auxilio freta, ità de omnibus rebus statuere, vt nemo se grauatum ingenuè confiteatur. Hæc sunt quæ* R. M. *per generosum Dnum Legatum, hoc tempore* S. C. *Regniq; Ordinibus respondere decreuit, illâ amicâ & gratiosâ animi propensione confidentiâq; ducta, quòd Illustrißimus Princeps Dux Carolus, & Sueciæ amplißimus Senatus, dexterè sint interpretaturi, præfatum Legatum tardius aliquantulùm binè expeditum; Siquidem* R. M. *proprijs negotijs, & instante profectione plurimùm fuerit impedita. Actum Dantisci 18 Augusti, anno 1593.*

HAec vniuersa negotia Legatis & Tabellionibus commißa, videlicet Iohanni Krauck, Petro de la Colle, Olao Suerkeri, Henrico Nykyrke, Turoni Bielke de Akerö, cum nonnullis ex ordine Equestri, Erico Sparre de Sundby, & Claudio Bielke, à S. C. ad Regem Sigismundum ablegatis, non tanti fecerat Sua Maiestas, ut responso illa exactiore dignaretur; Potißimùm verò illam Aßecurationem quam Legati, Regni Ordinum nomine postulabant, vt super Religione, alijsq; aßecurarentur, omninò prætermittens; Verùm se itineri ac nauigationi accingens, in Regnum Sueciæ profecta est: Quibus non obscurè testatus est Rex Sigismundus indicijs, quid animo suo foueret, nimirùm neq; se daturum, aut vllam conseruaturum Aßecurationem, etiamsi iàm dedißet, præsertim in negotio Religionis. Cùm autem Rex Sigismundus ad fauces Regni Sueciæ maritimas fuißet delatus, primarij Senatorum à S. C. Dno nostro clementiß. S. M. nomine S. C. Regniq; Ordinum pro dignitate exceptum sunt expediti: Sed ad pontem deindè arcis Stocholmensis Regi Sigismundo appellenti ascendentiq;, obuiam Illustrißimus Princeps Dnus Carolus ipsemet occurrens, R. M. atq; Reginæ aduentum in hoc Regnum, multis gratulatus est verbis, admonitione additâ, vt hoc Regnum hæreditarium acceptaret, eoq; modo gubernaret, prout Deo & cuiq; Christiano viro, atq; præcipuè fidis suis Sueonibus optimâ conscientiâ rationem reddere poßet: Huic autem sermoni, paucis Rex admodùm verbis respondit, quasi illum non magni faceret, exiguiq; foret momenti.

 Dein-

Deindè Coronationis tempore imminente, præcipui Ordinum tàm Equestrium quàm Clericorum, aliorumq; Stocholmiam venerunt, ut Regem Sigismundum Vbsaliam ad Coronationem comitarentur; Quâ occasione vsi, cum omni humilitate à R. M. quisq; Indigenarum Status, suorum Priuilegiorum atq; Libertatum confirmationem postulauit. Sed quandoquidem Rex Sigismundus, se nullâ ratione voluerit resoluere,, an eorum priuilegia legitimè accepta, foret confirmaturus necne, verùm hac incertâ spe quamdiu Stocholmiæ fuerat, Regni Status lactauerit; Idcircò præfati Ordines Ecclesiastici et Politici hac tergiuersatione moti & coacti, intereà temporis Illustrissimum Ducem Carolum, litteris & legationibus visitare decreuerunt, vt S. C. apud R. M. suâ petitione, & admonitione fraternâ obtinere dignaretur, nè Rex Sigismundus in his diutiùs tergiuersaretur, sed potiùs eiusmodi, aliaq; negotia ante Coronationis festiuitatem expediret, nè eo tempore, horum & similium Transactio, moram diuturniorem Coronationis ferijs generaret. Erant verò ab Ordinibus Regni, nonnulli Nobilium & Clericorum ad S. C. ablegati in hoc negotio, nimirùm Sinardus Ribbing, Axelius Kurck, cum quibusdam Ecclesiasticorum, qui ad Castrum Grypsholmense profecti, S. C. obnixe rogarunt, quò omninò ad Coronationis festiuitatem proficisceretur, omniaq; negotia apud Regem, quæ Regni Ordines, & Respub. Suecana flagitarent expedienda, S. C. promoueret. His proindè S. C. precibus permota, Regi Sigismundo perscripsit, quàm fidelissimè amicissimeq; S. M. admonens, vt hæc apud animum suum probè perpenderet, & examinaret, prout sequens litterarum tenor attestatur.

Admonetur Rex vt voto Statuum satisfaciat.

SErenissime Rex, dilecte Domine Frater, V. M. notum cupimus, quòd Regni Sueciæ Senatores, Ordo Equestris & Nobilitatis, Ecclesiasticusq; Stocholmiæ pro tempore congregatus, suos ad nos expediuerit cùm litteris Nuncios, humiliter petens, ut cùm M. V. se nec dùm resoluerit super eâ Assecuratione, qua

quâ Regni Ordines, summi atq; infimi, Ecclesiastici & Politici, omnes & singuli secundum jura Suetica, Regniq; laudabiles consuetudines assecurandi sunt, prout M. V. frequenter solicitarunt, quò nos idcircò apud M. V. consilio & admonitione fraternâ efficiamus, nè M. V. in his diutiùs deliberet, sed votis eorum legitimis respondeat; Quam eorum diligentissimam petitionem non decreuimus reijciendam: Quamobrē modò, velut sæpiùs anteà, fraternè & amicè obsecramus, sicut etiam consulimus & admonemus, vt M. V. hanc caussam eiusmodi consideratione examinandam suscipiat, cuiusmodi dignitas illius & necessitas postulat, atq; sine prolixiore detentione & procrastinatione, ac priusquàm M. V. vlli profectioni sese accingat, aut ad Parentationem atq; Coronationem proficiscatur, vel omninò ante Coronationis solennitatem, nos aliosq; Regni Status, Ecclesiasticos & Politicos, summos & infimos, pro dignitate & necessitate assecuret; Præcipuè verò quantùm ad huius Regni Christianam & vniuersalem attinet Religionem, eiusq; liberam & incorruptam, puramq; libertatem, & conditionem; velut etiam alia, necessariò secundū Iura Suetica expedienda benignè transigat, probè considerans sese frequenter litteris & Internun-

 cijs,

cijs Regni Ordinibus super his amplissimam spem fecisse: Quoniam nisi tempestiuè his M. V. responderit desiderijs, timendum sanè nè plurima malorum seges indè pullulet, quam fraterno & fido nostro consilio libenter anteuerteremus, & impediremus. Quæ M. V. proindè fraternè & amicè noluimus celare. Ex castro Grypsholmiano 19. Ianuarij, anno 1594.

Verumenimuerò his admonitionibus nihil prorsus apud Regem Sigismundum effectum, sed procrastinatum donec Rex & Status Ypsaliam peruenissent, diesq; Coronationi dicti instarent vltimi; Imò non obscurè ex illâ Coronationis procrastinatione colligere licuit, Regem ad nullum esse propensum, quod Ordines Ecclesiastici vel Politici postularunt; potissimùm quoad Religionis immunitatem: Siquidem licet diligentissimè Serenissimus Dux Carolus per se, & Regni Consiliarios, suosq; proprios famulos, Regem Sigismundum admonuerit, quò mentem suam super præfatis Assecurationibus, quas Regni Ordines peculiariter postularunt, manifestaret; Tamen huius mora, spacio hebdomadarum penè septem protracta, priusquàm aliquid effectum, & Coronatio celebrata: Quod temporis dispendium & obstinatio, præcipuè Legato Pontificio Francisco de Malâ spinâ expensa sunt referenda, qui mandato Antistitis Romani, petitionis consensum seuerè inhibuit; Quàuis ad extremum præfatus pontificis Legatus concedere coactus, admonendo Regem, & suadendo ut Ordinibus Regni, quas peterent annueret Assecurationes: Quandoquidem nomine Pontificis adhuc quoddam refugium sibi reseruasset, nimirùm Hæreticis non esse fidem seruandam. Quod, prô dolor, postmodùm nimis verificatum est, prout ex Iuramento regio, & Assecuratione inposterùm liquidò constabit, nihil prorsùs à Sigismundo Rege promissum, esse seruatum.

Imò verò non minùs est execrandum, quòd Sigismundus Rex ipsa festiuitate Coronationis, nefariam erga Patruum charissimum fouerit mentem Vbsaliæ in S.C: aliquot vexilla Heudonum ex insidijs subornare

statuens,

statuens, à quibus sceleratißimè trucidaretur, idq; pro votis successisset, nisi quidam nomine Hieronymus Strozi, S. C. *hac vita insidia detexißet, prout eius confeßio attestatur. Hoc autem dolo non succedente, quandam Commædiam per nonnullos Italos agendam instituit laruatos, & nudis ensibus accinctos, quod rarò auditum est; quos inter erat Saluator quidam* Fabritz *nominatus, commemoratæ Actor, & Author Tragædiæ, quæ diem & noctem integrè tenuit, varijs gesticulationibus intenta & occupata; Ille autem Saluator* Fabritz S. C. *eam Tragædiam moliebatur, quæ non multùm delectaßet; Quamuis* S. C. *has stultorum & sicariorum gesticulationes parui duceret, in quibus nec comparere voluit: Verùm si illuc* S. C. *aduenißet (ut Regis Sigismundi, & Consiliariorum opinio fuit) crudelißemè trucidata fuißet: Quam nefariam machinationem.* Iacobus Typotius *in suâ* Relatione Historicâ *confirmat & attestatur, qui* Pontificiæ *sectator religionis erat, & eo tempore* Vbsaliæ *constitutus, cui omnes* Polonorum, *&* Iesuitarum *occultæ molitiones probè fuerant perspectæ: Quæ etiam nefaria machinatio, insidis illis Consiliarijs, qui postmodùm* Regem Sigismundum *armatâ manu infestum in hoc Regnum deduxerunt, causamq; primariam huic discordiæ præbuerunt perniciosæ, exploratâ satis extitit; Ideò sese primo die & nocte, quilibet eorum in latebras conijciebat, ut si Tragædia illa succeßum nacta fuißet speratum, innocentes à* Iusti *viri sanguine existerent; quemadmodùm suam deposuit* Pilatus *excusationem: Deus tamen Clementißimus eorum nefaria proposita, ex suâ misericordiâ infinitâ impediuit, vt sperato frustrarentur progreßu.*

Neq; minùs illud memoriæ commendandum, quod porrò in ipsâ Coronationis solennitate vsu venit Vbsaliæ*: Quippè si obijceretur Illustrißimum Principem tantoperè gubernationi* Suecanæ Reipub. *inhiasse, è* Diademetro *contrarium euincet veritas: Quandoquidem maior pars* Ordinum Regni, *non semel sed frequentißimè* S. C. *proclamauerit inuitaueritq; ad* Regni Diadema *capeßendum, ingeminans;* V. C. *Gustaui Regis Unicus superstes est filius, & quemadmodùm Parens* V. C. *(piæ recordationis) Pater Patriæ, & defensor fuerat; itá nihil addubitamus* V. C. *idipsum benefici*

ficij genus in Suecanam Rempub. collaturam; Sed ab hoc Rege Sigismundo nihil boni aduertimus sperandum. Iam verò si illustrissimus Dux Carolus, Dnus noster Clementissimus, superiorũ annorum Transactiones, Constitutionesq; hæreditarias, fideliter et Sanctè promissa, fraternum amorem, & spem illam optimam, quam erga Regem Sigismundum fouebat, non potiùs respexisset, nullo negotio ad Regni Sueciæ Diadema peruenire potuisset; Verùm cùm S.C. hanc præscisse reiecisset petitionem, ad eam nonnulli ordinum descenderunt opinionem, Principi Iohanni adhuc minorenni, Regni fasces committendos, et coronandum eo tempore; Cùmq; per ætatem liceret Legitimam, Status Regni Sueciæ asseeurare, ut tùm temporis & ætatis sine tergiuersatione pro dignitate, & tenore Legum Sueticarum illud factitaret; Atqui Serenissimus Dux Carolus, huic machinationi obstaculum prudenter posuit, vnà cum Regni Consiliarijs, qui eâ tempestate cum S. C. in hoc negotio conspirare videbantur. Ex his non obscurum documentum petere possunt, cuiuscunq; conditionis, & eminentiæ Mortales, Regnorumq; Monarchæ, quâ radice hæc copiosa discordiarum seges pullulauerit: Sed iam ad reliqua horum zizaniorum incrementa calamum & falcem conuertamus.

Namex his omnibus euidenti coniecturâ colligere licuit mox in principio, quorsùm Sigismundus sua iacula collinearet, cùm tot Sacerdotes Pontificios secùm cateruatim in Regnum adduceret, quorum primarius erat Legatus Pontificis nomine Franciscus de malâ Spinâ, qui non veritus est in Meditullio Regni Sueciæ et Gothiæ, imò in Metropolitanâ Ecclesiâ & sede Archiepiscopali, Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Diadema capiti regio velle imponere. Quid? Præfatus Romani Pontificis Nuncius, Regni Sueciæ Indigenis persuadere conatus, vt Sigismundo Regi, huius potentissimi Regni Sceptrum, cum Regiâ Iurisdictione, authoritate, atq; potentiâ non deposito Iuramento securitatis, imò sine vllâ in scriptis traditâ Asseeuratione extraderent & consignarent. Quæ audax profectò impudentia, è regione Iuri Sueciæ scripto, & Gustaui Regis Testamento, atq; Vnioni hæreditariæ plurimùm rebellauit, quorum beneficio Sigismundus Rex, omnem quam habuit in Regno Sueciæ Iurisdictionem consequutus est: Insuper præfatus Nuncius (si Dijs placet) Apostolicus, Regi Sigismundo suggessit, vt à Regni Sueciæ Ordinibus

nibus instanter postularet, efficeretq; , vt simul cum verâ Euangelij Religione, quæ velut fundamento Propheticis & Apostolicis nititur scripturis, etiam erroneam et idololatricam Pontificiorum Religionem in Regno Sueciæ vigere, & florere paterentur, prorsùs in præiudicium auitæ admonitionis Testamentiq;.

Quanquàm verò Regni Sueciæ Ordines, hinc non obtuso eisfactu perciperent, quid Sigismundus Rex animo occultum foueret, nempè Religionis sanctißimæ candorem deturpandi, penitùs oblitus auitæ admonitionis, quâ (excelsæ recordationis) Rex Gustauus in supremo suæ voluntatis Testimonio, vniuersam posteritatem suam, cunctosq; Regni Sueciæ Subditos fideliter admonuit, nè à verâ Euangelij semitâ, & doctrinâ aberrarent: Attamen Status Regni Sueciæ illud non tàm rigidè examinarunt æstimaruntq; , quòd auitam transgreßus eßet Rex Sigismundus exhortationem, eâ spe ducti certißimâ, quòd ipsis in verâ perseuerantibus Religione, nihil violentiæ eßet facturus. Sed opinione suâ frustrati, R. M. perscripserunt, eam diligentißimè admonentes, nè vllas in Religionem christianam, aliaq; Regni negotia permutationes induceret, quemadmodùm ex sequentibus paulò post, R. M porrectis Vbsaliæ licet videre litteris. Quandoquidem verò S. C. cum primariâ Ordinum Regni parte, eiusmodi ad Pontificiam Religionem ingreßui, nullâ ratione subscribere voluerit, Rex cum Aßeclis & Consiliarijs alia consilia, magis hæc negotia promouentia circumspicere coactus, quò cum suis Doctoribus, eum quem cupiebat consequeretur huius controuersiæ terminum; Ideò aliâ venæ Scaturigine pulsatâ, Regi omninò consuluerunt, omnes pro tempore à Regni Ordinibus præscriptas Conditiones eße acceptandas, si progreßu temporis vnà cum Euangelij doctrinâ, & sacrosancto exercitio, Pontificiæ propagationem Religionis admitti cuperet inter Indigenas, de illâ probè eruditos Religione, quòd non vsq; eò eßet acerba & venenata, vt vulgò perhiberetur. Quamobrem à Rege solùm consensus præbendus Ordinum Regni petitionibus, ut regia Coronatio diutiùs non produceretur.

Aptißimum profectò fuit hoc compendium, Gothis atq; Sueonibus miserabile sanguinis eluuium inducendi, vt nostrâ adhuc memoriâ factum deprehenditur in Galliâ, Belgio, Poloniâ, & alibi, prô dolor, hodiè frequentatur; Vndè liquet eiusmodi hanc Sigismundi Regis postu-

à R. M *efflagitat, prout Legati Instructio fusiùs testatur,* Cùm R. M. *iàm pridem partim per Iohannem* Kranck *.litteris ad vniuersos Regni* Ordines *datis; partim etiam deinceps per proprium* Legatum *sponte sine admonitione vllius se resoluerit, quòd omnibus Regni Sueciæ Ordinibus, Religionis & Priuilegiorum integram inuiolatamq; libertatem sit permissura;* Ideò *vlteriorem quampiam postulandam non existimabat* R. M. *Assecurationem, ante ferias Coronationis celebrandas, perpendens seriò quid discriminis conueniat esse, inter* Reges *Eclogicos (quibus in exteris constitutis, aut aliâs priusquàm* Electio *prorsùs confirmetur & approbetur, conditiones solent præscribi) & inter* Reges *hæreditarios, qui tempore Coronationis omnibus vnanimiter Ordinibus, ac deindè singulis super communibus* Regni *sui necessitatibus, Iure & Iustitiâ, peculiaria elargiuntur priuilegia libertatesq;, quibus* R. M. *pro tempore acquiescit consuetudinibus, progressu temporis, nempè circa ferias* Coronationis *(quas clementissimus* Deus *prospero faustoq; tempore peragi concedat) omnibus* Regni Statibus, *Ecclesiasticis & Politicis, infimis & summis, de Religionis libertate,* Legum *Suecicarum obseruatione, & acquisitis ab antiquo tempore priuilegijs, libertatibusq; liberè retinendis (sine præiudicio tamen* Regalis *& Ducalis hæreditariæ Successionis) cum alijs omnibus tùm temporis conuenientibus,* R. M. *suis litteris & sigillis Assecurationem firmissimam parata est elargiri; Siquidem eo tempore hæc commodiùs & meliùs, quàm modò, & potissimùm hoc loco transigi & expediri possint negotia:* Eius *verò* R. M. *vicissim est confidentiæ,* Regni Sueciæ Ordines *ad definitum vsq; tempus, interim dùm* R. M. *reditum in Sueciam maturat, & ipsamet cum illustrissimo dilectissimoq; suo* Patruo, *atq;* Regni Consiliarijs *nacta fuerit oportunitatem colloquendi & consultandi, hisce contentos fore;* Neq; *illos noua prorsùs* Statuta *aut ordinationes intereà facturos aut consensuros, nullum super regiâ & clementi ergà sese propensione fouentes dubium, quam* R. M. *in suâ præsentiâ cuiuis pro merito, & secundùm* Regni *negotiorumq; occasionem, singulari beneuolentiæ documento vltrò declaratura.* Interim *sicut etiam postmodùm, quilibet* Indigenarum *illi semper fidelitatis adhæreat iuramento, quo* R. M. *partim vigore* Vnionis *hæreditariæ, partim etiam promissionum sæpenumerò in vniuersalibus* Comitiorum *ferijs* R. M. *factarum tenetur obligatus.*

Quo

Quod demùm spectat ad iuniorem Reginam viduam, & dilectissimum R. M. Fratrem Ducem Iohannem, atq; Patruum Illustrissimum Principem Carolum, multoties R. M. per litteras suam erga illos voluntatem fraternè commonstrauit, quâ illos vsq; ad fœlicem S. M. reditum contentandos sperat; Et decreuit R M., Dei auxilio freta, ità de omnibus rebus statuere, vt nemo se grauatum ingenuè confiteatur. Hæc sunt quæ R. M. per generosum Dnum Legatum, hoc tempore S. C. Regniq; Ordinibus respondere decreuit, illâ amicâ & gratiosâ animi propensione confidentiâq; ducta, quòd Illustrissimus Princeps Dux Carolus, & Sueciæ amplissimus Senatus, dexterè sint interpretaturi, præfatum Legatum tardius aliquantulùm hinc expeditum; Siquidem R. M. proprijs negotijs, & instante profectione plurimùm fuerit impedita. Actum Dantisci 18 Augusti, anno 1593.

HAec vniuersa negotia Legatis & Tabellionibus commissa, videlicet Iohanni Kranck, Petro de la Colle, Olao Suerkeri, Henrico Nykyrke, Turoni Bielke de Akerö, cum nonnullis ex ordine Equestri, Erico Sparre de Sundby, & Claudio Bielke, à S. C. ad Regem Sigismundum ablegatis, non tanti fecerat Sua Maiestas, ut responso illa exactiore dignaretur; Potissimùm verò illam Assecurationem quam Legati, Regni Ordinum nomine postulabant, vt super Religione, alijsq; assecurarentur, omninò prætermittens; Verùm se itineri ac nauigationi accingens, in Regnum Sueciæ profecta est: Quibus non obscurè testatus est Rex Sigismundus indicijs, quid animo suo foueret, nimirùm neq; se daturum, aut vllam conseruaturum Assecurationem, etiamsi iàm dedisset, præsertim in negotio Religionis. Cùm autem Rex Sigismundus ad fauces Regni Sueciæ maritimas fuisset delatus, primarij Senatorum à S. C. Dno nostro clementiss. S. M. nomine S. C. Regniq; Ordinum pro dignitate exceptum sunt expediti: Sed ad pontem deindè arcis Stocholmensis Regi Sigismundo appellenti ascendentiq;, obuiam Illustrissimus Princeps Dnus Carolus ipsemet occurrens, R. M. atq; Reginæ aduentùm in hoc Regnum, multis gratulatus est verbis, admonitione additâ, vt hoc Regnum hæreditarium acceptaret, eoq; modo gubernaret, prout Deo & cuiq; Christiano viro, atq; præcipuè fidis suis Sueonibus optimâ conscientiâ rationem reddere posset: Huic autem sermoni, paucis Rex admodùm verbis respondit, quasi illum non magni faceret, exiguiq; foret momenti.

P 2 Dein-

Deindè Coronationis tempore imminente, præcipui Ordinum tàm Equestrium quàm Clericorum, aliorumq; Stocholmiam venerunt, ut Regem Sigismundum Vbsaliam ad Coronationem comitarentur; Quâ occasione vsi, cum omni humilitate à R. M. quisq; Indigenarum Status, suorum Priuilegiorum atq; Libertatum confirmationem postulauit. Sed quandoquidem Rex Sigismundus,se nullâ ratione voluerit resoluere,, an eorum priuilegia legitimè accepta, foret confirmaturus necne, verùm hac incertâ spe quamdiu Stocholmiæ fuerat, Regni Status lactauerit; Idcircò præfati Ordines Ecclesiastici et Politici hac tergiuersatione moti & coacti, intereà temporis Illustrißimum Ducem Carolum, litteris & legationibus visitare decreuerunt, vt S. C. apud R. M. suâ petitione, & admonitione fraternâ obtinere dignaretur, nè Rex Sigismundus in his diutiùs tergiuersaretur, sed potiùs eiusmodi, aliaq; negotia ante Coronationis festiuitatem expediret, nè eo tempore, horum & similium Transactio, moram diuturniorem Coronationis ferijs generaret. Erant verò ab Ordinibus Regni, nonnulli Nobilium & Clericorum ad S. C. ablegati in hoc negotio, nimirùm Sinardus Ribbing, Axelius Kurck, cum quibusdam Ecclesiasticorum, qui ad Castrum Grypsholmense profecti, S. C. obnixe rogarunt, quò omninò ad Coronationis festiuitatem proficisceretur, omniaq; negotia apud Regem, quæ Regni Ordines, & Respub. Suecana flagitarent expedienda, S. C. promoueret. His proindè S. C. precibus permota, Regi Sigismundo perscripsit,quàm fidelißimè amicißimeq; S. M. admonens, vt hæc apud animum suum probè perpenderet, & examinaret, prout sequens litterarum tenor attestatur.

Admonetur Rex vt voto Statuum satisfaciat.



Erenißime Rex, dilecte Domine Frater, V. M. notum cupimus, quòd Regni Sueciæ Senatores, Ordo Equestris & Nobilitatis, Ecclesiasticusq; Stocholmiæ pro tempore congregatus, suos ad nos expediuerit cùm litteris Nuncios, humiliter petens, ut cùm M. V. se nec dùm resoluerit super eâ Aßecuratione,

qua

quà Regni Ordines, summi atq; infimi, Ecclesiastici & Politici, omnes & singuli secundum jura Suetica, Regniq; laudabiles consuetudines assecurandi sunt, prout M. V. frequenter solicitarunt, quò nos idcircò apud M. V. consilio & admonitione fraternâ efficiamus, nè M. V. in his diutiùs deliberet, sed votis eorum legitimis respondeat; Quam eorum diligentissimam petitionem non decreuimus reijciendam: Quamobrē modò, velut sæpiùs anteà, fraternè & amicè obsecramus, sicut etiam consulimus & admonemus, vt M. V. hanc caussam eiusmodi consideratione examinandam suscipiat, cuiusmodi dignitas illius & necessitas postulat, atq; sine prolixiore detentione & procrastinatione, ac priusquàm M. V. vlli profectioni sese accingat, aut ad Parentationem atq; Coronationem proficiscatur, vel omninò ante Coronationis solennitatem, nos aliosq; Regni Status, Ecclesiasticos & Politicos, summos & infimos, pro dignitate & necessitate assecuret; Præcipuè verò quantùm ad huius Regni Christianam & vniuersalem attinet Religionem, eiusq; liberam & incorruptam, puramq; libertatem, & conditionem; velut etiam alia, necessariò secundū Iura Suetica expedienda benignè transigat, probè considerans sese frequenter litteris & Internuncijs,

cijs Regni Ordinibus super his amplissimam spem fecisse: Quoniam nisi tempestiuè his M. V. responderit desiderijs, timendum sanè nè plurima malorum seges indè pullulet, quam fraterno & fido nostro consilio libenter anteuerteremus, & impediremus. Quæ M. V. proindè fraternè & amicè noluimus celare. Ex castro Grypsholmiano 19. Ianuarij, anno 1594.

Verumenimuerò his admonitionibus nihil prorsus apud Regem Sigismundum effectum, sed procrastinatum donec Rex & Status Ybsaliam peruenissent, diesq; Coronationi dicti instarent ultimi; Imò non obscurè ex illâ Coronationis procrastinatione colligere licuit, Regem ad nullum esse propensum, quod Ordines Ecclesiastici vel Politici postularunt; potissimùm quoad Religionis immunitatem: Siquidem licet diligentissimè Serenissimus Dux Carolus per se, & Regni Consiliarios, suosq; proprios famulos, Regem Sigismundum admonuerit, quò mentem suam super præfatis Assecurationibus, quas Regni Ordines peculiariter postularunt, manifestaret; Tamen huius mora, spacio hebdomadarum pænè septem protracta, priusquàm aliquid effectum, & Coronatio celebrata: Quod temporis dispendium & obstinatio, præcipuè Legato Pontificio Francisco de Malâ spinâ expensa sunt referenda, qui mandato Antistitis Romani, petitionis consensum seuerè inhibuit; Quãuis ad extremum præfatus pontificis Legatus concedere coactus, admonendo Regem, & suadendo ut Ordinibus Regni, quas peterent annueret Assecurationes: Quandoquidem nomine Pontificis adhuc quoddam refugium sibi reseruasset, nimirùm Hæreticis non esse fidem seruandam. Quod, prô dolor, postmodùm nimis verificatum est, prout ex Iuramento regio, & Assecuratione inposterùm liquidò constabit, nihil prorsùs à Sigismundo Rege promissum, esse seruatum.

Imò verò non minùs est execrandum, quòd Sigismundus Rex ipsâ festiuitate Coronationis, nefariam erga Patruum charissimum fouerit mentem Vbsaliæ, in S. C. aliquot vexilla Heudonum ex insidijs subornare statuens,

statuens, à quibus sceleratißimè trucidaretur, idq; pro votis successisset, nisi quidam nomine Hieronymus Strozi, S. C. *hac vitæ insidia detexißet, prout eius confeßio attestatur.* Hoc autem *dolo non succedente, quandam Commædiam per nonnullos* Italos *agendam instituit laruatos, & nudis ensibus accinctos, quod raro auditum est; quos inter erat Saluator quidam* Fabritz *nominatus, commemoratæ* Actor, & Author Tragædiæ, *quæ diem & noctem integrè tenuit, varijs gesticulationibus intenta & occupata;* Ille autem *Saluator* Fabritz S. C. *eam* Tragædiam *moliebatur, quæ non multùm delectaßet;* Quamuis S. C. *has stultorum & sicariorum gesticulationes parui duceret, in quibus nec comparere voluit:* Verùm *si illuc* S. C. *aduenißet (ut* Regis Sigismundi, & *Consiliariorum opinio fuit) crudelissemè trucidata fuißet:* Quam *nefariam machinationem.* Iacobus Typotius *in suâ* Relatione Historicâ *confirmat & attestatur, qui* Pontificiæ *sectator religinois erat, & eo tempore* Vbsaliæ *constitutus, cui omnes* Polonorum, & Iesuitarum *occultæ molitiones probè fuerant perspectæ:* Quæ *etiam nefaria machinatio, insidis illis* Consiliarijs, *qui postmodùm* Regem Sigismundum *armatâ manu infestum in hoc* Regnum *deduxerunt, caussamq; primariam huic discordiæ præbuerunt perniciosæ, exploratâ satis extitit;* Ideò *sese primo die & nocte, quilibet eorum in latebras conijciebat, ut si* Tragædia *illa succeßum nacta fuißet speratum, innocentes à* Iusti *viri sanguine existerent, quemadmodùm suam deposuit* Pilatus *excusationem:* Deus *tamen* Clementißimus *eorum nefaria proposita, ex suâ misericordiâ infinitâ impediuit, vt sperato frustrarentur progreßu.*

Neq; *minùs illud memoriæ commendandum, quod porrò in ipsâ* Coronationis *solennitate vsu venit* Vbsaliæ: Quippè *si obijceretur* Illustrißimum Principem *tantoperè gubernationi* Suecanæ Reipub. *inhiasse, è* Diademetro *contrarium euincet veritas:* Quandoquidem *maior pars* Ordinum Regni, *non semel sed frequentißimè* S. C. *proclamauerit inuitaueritq; ad* Regni Diadema *capeßendum, ingeminans;* V. C. Gustaui Regis *Unicus superstes est filius, & quemadmodùm* Parens V. C. *(piæ recordationis)* Pater Patriæ, & *defensor fuerat; ità nihil addubitamus* V. C. *idipsum bene-*

ficij

nibus instanter postularet, efficeretq́; , vt simul cum verâ Euangelij *Religione, quae velut fundamento* Propheticis *&* Apostolicis *nititur scripturis, etiam erroneam et idololatricam* Pontificiorum Religionem *in* Regno Sueciae *vigere, & florere paterentur, prorsùs in praeiudicium auitae admonitionis* Testamentiq́;.

Quanquàm verò Regni Sueciae Ordines, *hinc non obtuso elfactu perciperent, quid* Sigismundus Rex *animo occultum foueret, nempè* Religionis *sanctißimae candorem deturpandi, penitùs oblitus auitae admonitionis, quâ (excelsae recordationis)* Rex Gustauus *in supremo suae voluntatis* Testimonio, *vniuersam posteritatem suam, cunctosq́;* Regni Sueciae Subditos *fideliter admonuit, nè à verâ* Euangelij *semitâ, & doctrinâ aberrarent:* Attamen Status Regni Sueciae *illud non tàm rigidè examinarunt aestimaruntq́;, quòd auitam transgreßus eßet* Rex Sigismundus *exhortationem, eâ spe ducti certißimâ, quòd ipsis in verâ perseuerantibus* Religione, *nihil violentiae eßet facturus. Sed opinione suâ frustrati,* R. M. *perscripserunt, eam diligentißimè admonentes, nè vllas in* Religionem christianam, *aliaq́;* Regni *negotia permutationes induceret, quemadmodùm ex sequentibus paulò post,* R. M *porrectis* Vbsaliae *licet videre litteris.* Quandoquidem verò S. C. *cum primariâ* Ordinum Regni *parte, eiusmodi ad* Pontificiam Religionem *ingreßui, nullâ ratione subscribere voluerit,* Rex *cum Aßeclis &* Consiliarijs *alia consilia, magis haec negotia promouentia circumspicere coactus, quò cum suis* Doctoribus, *eum quem cupiebat consequeretur huius controuersiae terminum; Ideò aliâ venae Scaturigine pulsatâ,* Regi *omninò consuluerunt, omnes pro tempore à* Regni Ordinibus *praescriptas* Conditiones *eße acceptandas, si progreßu temporis vnâ cum* Euangelij *doctrinâ, & sacrosancto exercitio,* Pontificiae *propagationem* Religionis *admitti cuperet inter* Indigenas, *de illâ probè eruditos* Religione, *quòd non vsq́; eò eßet acerba & venenata, vt vulgò perhiberetur.* Quamobrem *à* Rege *solùm consensus praebendus* Ordinum Regni *petitionibus, ut regia* Coronatio *diutiùs non produceretur.*

Aptißimum profectò fuit hoc compendium, Gothis *atq́;* Sueonibus *miserabile sanguinis eluuium inducendi, vt nostrâ adhuc memoriâ factum deprehenditur in* Galliâ, Belgio, Poloniâ, *& alibi, prô dolor, hodiè frequentatur; Vndè liquet eiusmodi hanc* Sigismundi Regis *postu-*

 latio

lationem, instinctu Legati Pontificis & Iesuitarum fuisse, vt non solum dissensiones in hoc Regno, & discordias fecunde generare potuisset; Sed multos etiam simpliciores deceptos, exclusa veritate, mendacia in animæ perniciem acceptare compulisset, à quibus nos Deus præpotens clementer conseruet. Neq; his Sigismundus Rex contentus, sed iisdem consilio Nuncij Pontificij, aduersus proprij Iurisiurandi Religionem, Stocholmiæ in Metropoli Sueciæ, Pontificiam Ecclesiam erexit, cuius gratia singularem & insignem quandam domum lapideam, à quodam Equite Scoto Andreâ Kett nomine, qui Suecam in matrimonium duxerat virginem, grandi pecuniarum summâ comparauit.

Hoc pro voto succedente, in præiudicium Iuramenti & Assecurationis Suecnibus datæ Coronationis tempore, hominem Romanæ Religionis, Comitem scilicet Ericum de Visingsborg castro Holmiano, in Regno Sueciæ & Gothiæ primario Castellanum præfecit, templo arcensi à Iesuitis occupato, nempè patre Adamo Steinhall, alijsq; Romanæ fidei Sacerdotibus, vbi quotidiè peruersæ suæ Religionis exercitia frequentarunt. Sed harum exorbitationum caussa fuerat primaria, quòd infidi Consiliarij Regi persuaserint, sicut etiam Poloni imaginabantur sibi, Regem Sigismundum in Regno suo hereditario, absoluto pollere Dominio faciendi, & intermittendi pro arbitrio quæcunq; liberet, & placeret, pro potentiâ & regiâ suâ authoritate, contrà reclamantibus fortissimè Regni Sueciæ Legibus, & attestantibus Regem ea Iura conseruare ac stabilire obligatum, quæ Indigenæ sponte consenserunt, & vltrò acceptarunt. Neq; sanè R. M. vitio & dedecori vertendum, quòd ijs Legibus & Iurisdictioni se submittat, quorum beneficio regium honorem, authoritatem, Regnum & Iura, Statutaq; florenti vigore conseruaturus. Quamobrem in eâ fuerant Regni Ordines opinione, regio honori nihil decessisse, cùm velut ad amussim Iura Suetica, & Constitutiones promptè Rex sequeretur: Ideòq; præposteræ Regum persuasioni, legitimis rationibus Regni Ordines occurrere possunt, cùm diligenter Maiorum Statutis, Decretis & vestigijs inhærescunt: Hæc omnia Regni Sueciæ Coloni iustâ examinarunt bilance, priusquàm Regi Sigismundo Diadema Regni contulerunt, cui caput submittens, Iuramentum sequenti tenore deposuit, propalàm Vbsaliæ in Ecclesiâ Metropolitanâ.

Ego

Tenor Iuramenti inauguralis Sigismundi Regis.

EGo Sigismundus promitto & spondeo, quòd in hoc Regno meo hereditario, omnes illius Indigenas, summos & infimos, Ecclesiasticos & Politicos in libertate Religionis consuetæ conseruaturus. Deindè veritatem omnem & iustitiam confirmaturus, amaturus, & custoditurus, falsitate omni & iniustitiâ penitùs proscriptis, pro Iurisdictione & Regali meâ potestate. Nec minùs securus & fidus vniuersis Regni Habitatoribus sum futurus, vt nemini pauperi aut diuiti, summo vel infimo, vitæ aut corporis detrimenta sim illaturus, nisi conuicto & secundum Leges Sueticas iudicato; Vt neq; ab vllo mobilia, vel immobilia bona ablaturus, vel auferri permissurus, citra Iura & Iudicia: Similiter Regnum Sueciæ cum consilio Illustrißimi Principis Dni Caroli, Regniq; Senatorum, per Indigenas & non Alienigenas gubernaturus, nullo in collegium Senatorium viro externo adscripto, aut Castellis, Prouincijs, Reipub. patrimonio & peculio, atq; perantiquis Coronæ Sueticæ poßeßionibus immobilibus, quas nulla memoria, vel hominum relatio suggerit, qualiter Coronæ fuerint olim adiectæ, cum potestate præfecto. Pari modo Arces & Prouincias, annuis reditibus & prouisionibus instructa conseruabo, Regniq; Limites ijs viribus tuebor, vt nihil de Regni Termino, Sueciæ nunc præscripto, Posteritas conquestura diminutum ullo modo, nisi Regni Ordinum Sueciæ consensu, & voluntate fuerit factum, aliàs integrum sit Succeßori, id pro potestate repetere. Præterea Aulam meam Reipub. peculio, & annuis legitimisq; Regni sustentaturus prouentibus, nullis Regno meo nouis exactionibus impositis, nisi his neceßitatibus compulsus: Nimirùm si peregrinus Hostis, gentilis vel Christianus, Regno meo vastitatem inferre meditetur, aut Indigenarum quispiam in Regno moliatur rebellionem, vel filius filiauè matrimonium inituri, aut Regni perlustratio quidpiam subsidij postulauerit; vel deniq; Castellorum, aliorumuè Regni ædificiorum fabrica requisiuerit auxilia. His proindè neceßitatibus vrgentibus, Iudex cuiusuis Territorij cum sex Aulicis, & totidem Plebeis, collatis capitibus & Consilijs deliberaturus, quid Subditorum multitudini liceat per facultates contribuere. Hæc præter neminem molestaturus, aut vllo pacto compulsurus.

Deniq; Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus & Nobilibus, Episcopis, Clericis, omnibusq; Indigenis, Ecclesiasticis & Poli-

ticis, atq; illorum famulis & possessionibus patrocinaturus; omne antiquum Feudum, Prærogatiuas & Priuilegia, quæ à Maioribus meis data,& litteris confirmata sunt, approbans; Iuraq; Suetica, quibus sese sponté submiserunt Suecones, pro viribus defendens, nè iniusticia vlla iusticiæ et Legibus prædominetur; Præsertim nullo Iure peregrino in Regnum, ad grauamen Indigenarum inducto, aut ijsdem nouâ lege obtrusâ, nisi illam sponté acceptauerint. Pari ratione vniuersis Ordinibus Regni, pace & patrocinio semper astiturus; potissimùm mansuetis, qui mansuetudini & legibus viuere cupiunt, quos à tumultuosis & peruersis Indigenis & Alienigenis protecturus; Peculiari autem modo memor ero, vt inprimis pacem in Ecclesiâ, pacem in Curia, pacem sexus fæminei, & pacem in domo cuiusq; propriâ prouideam inter vniuersos meos Subditos conseruandam, omni violentiâ ab his eminùs relegatâ & remotâ, quantùm mihi possibile; Sicut etiam omnium Indigenarum querelis aures diligentes præbiturus, illis secundum Iura & veritatem, cùm necessum fuerit probè examinatis.

Iuramentum regium

Hoc Iuramentum sanctè promitto atq; spondeo omnibus meis Subditis, iunioribus & senioribus, natis & nascituris, incharis sicut charis, præsentibus vt absentibus fideliter me seruaturum, illud nullo pacto prauaricans, sed potiùs consummans omni prorsùs regio amoris affectu; Ità Deus corpori & animæ meæ sit propitius, vt ego hæc fideliter seruauero.

HVic insuper Iuramento Rex Sigismundus, quandam in scriptis Assecurationem sequenti modò adiecit:

NOs Sigismundus Dei gratiâ, Sueciæ ac Poloniæ Rex notum facimus, quòd cùm Dei præpotentis clementi prouidentiâ,& illo Iure hæreditario, quod secundum Ordinum Regni Sueciæ electionem, & litterariam obligationem ad nos deuolutum est, Regni Sueciæ Gubernaculo, omnium consensu legitimè potiti simus, ideò hisce vicissim, amoris & gratitudinis ergò, omnibus nostris Subditis promittimus & spondemus,

demus, primò et præcipuè nos omnes et singulos, summos et infimos, Ecclesiasticos et Politicos, Nobiles et Plebeios in pristinâ Religionis libertate conseruaturos, vt illâ omninò liberè, sine omni impedimento fruantur, secundum Augustanæ Confeßionis (quæ Carolo Quinto in Comitijs Vindelicis anno 1530 porrecta) tenorem, & velut Aui nostri extremo, Parentis autem (piæ memoriæ) primo gubernationis tempore, & nunc ad extremum anno 1593 mense Martio, ex omnibus huius Regni Ordinibus Vbsaliæ approbata & acceptata, omnes in eâ protegentes Religione; Neq; illi, Scholis aut Templis vspiam in Regno erectis, bonis aut malis medijs violentiam illaturos; Vt neq; in Ecclesiasticis aut Politicis Regni muneribus, vllius hominis vtemur operâ, qui non huius præfatæ & generalis per Succiam fuerit Sectator Religionis; Aliàs quietè & pacatè sese gerentibus, legibus Sueciæ, priuilegijs & prærogatiuis æqualiter cum alijs Sueciæ Subditis, pro suâ quilibet conditione, & statu integrum sit frui: Deindè charißimam Patriam nostram Succiam, quo decet amore prosequemur, Indigenarum fidelium salutem & commoda fideliter semper circumspiciendo, vnà cum iustitiæ singulari patrocinio; Necnon Regni vniuersos Status, summos et infimos, Ecclesiasticos & Politicos, Nobiles & plebeios, pauperes & diuites, quemuis pro conditione & eminentiâ digno honore, & obseruantiâ complectemur; Vt etiam eorum Iurisdictiones & commoditates pristino vigori & authoritati relinquemus. Similiter Leges Regni Sueciæ, in omnibus Articulis illarum sincerâ interpretatione factâ obseruabimus, exceptâ illâ in Foro regio expreßâ particulâ, quæ vnanimi Ordinum Regni consensu, ob Vnionem hæreditariam mutanda, & aliter interpretanda.

Pari modo omnia Priuilegia & Libertates, quæ à Regibus, nostris Antecessoribus & Gubernatoribus Ordines Regni consequuti, & hactenus vsi sunt,) prout litteræ nostræ, quas illis protinus secundum Coronationis celebrationem, pro cuiusq; Status conditione, specialiter daturi sumus, porrò testabuntur) confirmabimus: In summâ, fidus & securus Sueonibus Rex, atq; patrij Iuris, consuetudinisq; omnimodus patronus, tâm apud infimos quàm summos, pauperes æquè ac diuites, incharos ut charos futurus, omni iniustitiâ eminùs relegatâ & conculcatâ. Demùm hisce vniuersos Regni Sueciæ Status, spirituales & secula-

 Seculares, Nobiles & Plebeios, Diuites & Pauperes, cum omnibus iure ad illos spectantibus, in nostrum regium patrocinium, & tutelam pacemq;, absq; Legum ullo praeiudicio acceptamus: Nobis vicissim amplissimi huius Regni Ordines, praesentes & absentes, pro se, & suis Successoribus promiserunt, siue in Regno, aut extra Regnum constituti fuerimus, se fidelitatem, securitatem, & virilem assistentiam, quoad vixerint fideliter exhibituros, prout nostrum Iusiurandum, & eorum Reuersale Scriptis comprehensum perhibet testimonium. Atq; pro maiori securitate & assecuratione, ut praefati nostri Subditi omnes sibi certo certius persuadeant, nos cunctos enumeratos his litteris Articulos, fideliter & inculpabiliter pro fide nostrâ Christianâ, regio honore & veritate exequutioni mandaturos, quàm diu hac vitae vsurâ nobis frui licuerit, huic Diplomati propriâ manu subscripsimus, regio nostro Sigillo illi suppresso. Datum in Arce Vbsaliensi 19 Februarij, anno 1594.

HAc ratione & viâ, Rex Sigismundus Regni Sueciae Solium regale conscendit secundum Iura Suetica, Regis Gustaui Testamentum, & Pacta haereditaria, illamq; Inaugurationem, quâ pridem antè Rex Sueciae designatus, quàm ex Regno haereditario in Poloniam proficisceretur, inscijs Ordinibus Regni Sueciae, vt saepenumerò inculcatum. Restat iam ut caussas adducamus, quibus Ordines Regni Sueciae prouocati, Sigismundo Regi penitùs renunciarunt, & quamobrem summè fuerit necessarium, vt Status Regni Sueciae vnanimiter illum, & eius Heredes masculos regio Sueorum Diademate exuerent, indubitatè sperando, & nobis de Magnatibus per Christianitatem omnibus persuadendo, quòd ubi penitiùs inspexerint, atq; examinauerint legitima harum rationũ momenta, quae mox magno agmine adducturi sumus, illos dubio procul liquidò perspecturos, potentissimo Principi Dno Carolo, moderno Regi nostro legitimo, & Regni Sueciae Ordinibus culpam non esse imputandam, quòd Rex Sigismundus Throno Regni sui haereditarij sit deturbatus, & Serenissimus Dux Carolus, atq; nos Regni Sueciae Ordines omnem obedientiam illi renunciare simus coacti; Sed in illo culpam residere, quemadmodum omnes Monarchae, & candidi huius controuersiae aestimatores, in progressu libri huius probè cognituri. Ex Tractatu autem superiori syncerum et beneuolum Lectorem affatim perceptisse

cepisse arbitror, cuiusmodi Sigismundus Rex, Illustrissimo Duci Carolo, Regniq; Statibus præstiterit Iuramentum, quod sine omni exceptione, aut peruersâ interpretatione, in omnibus suis particulis inuiolabiliter fuerat seruandum; præsertim tantæ eminentiæ & authoritatis personæ: Quoniam plebeiæ conditionis hominem dedecet promissis non stare, multò magis eiusmodi dignitatis Heroem, cui Regimen & tot populorum gubernatio incumbebat. Sed ad ipsa descendamus rationum fundamenta, quibus euidenter demonstrabitur, quàm enormiter suum Rex Sigismundus Iusiurandum transgressus sit.

Prima quidem Iuramenti regij particula hoc tenore recitatur: Ego Sigismundus promitto atq; spondeo, quòd in hoc Regno meo hæreditario, omnes illius Indigenas, summos & infimos, Ecclesiasticos & politicos in libertate Religionis consuetæ conseruaturus.

Hæc periodus regij Iuramenti inter cæteras primarium sibi vendicat locum & authoritatem, obseruantiamq;: Quippè quid potiùs & priùs à regiâ Maiestate Subditis conferri posset, quàm certissima super Religionis negotio, & diuino seruitio quædam assecuratio? Siquidem in verâ fidei cognitione, omnium hominum salus animæ collocata, cuius beneficio, æterna illa gaudia secundum hanc mortalitatem, cum Electis Dei omnibus certissimè præstolamur: Ideò quouis mundi tempore, omnium preciosissima Religio iure habita; Atq; licet frequentissimè fuerit illa maligna & idololatrica, præcipuè superiori ætate, cùm in hoc Regno Gentilitatis vigeret error, nullâ prorsus de Seruatore nostro Iesu Christo habitâ cognitione: Nihilominùs tamen mordicùs suam tuebantur Religionem, attestantibus Suecorum Chronologijs. Neq; mirum, cùm quiuis per orbem terrarum populus quærat Religionis libertatem, & contra dictamen conscientiæ ægrè admodùm sibi aliquid obtrudi patiatur, quod propriâ voluntate, eâq; liberâ non admittendum decernat: Quemadmodùm hac nostrâ ætate luce meridianâ liquet clarius, ex plurimis ijsq; horrendissimis bellorum tumultibus in vicinis Regnis personantibus intelligere. Quid mirum? cùm teste Romanæ Historiæ scriptore celeberrimo Tito Liuio, Omnia prospera eueniant colentibus Deos, aduersa spernentibus. Quod diligentissimè animaduertendum & examinandum, cui suffragatur Plinius: Vita inquit constat religione.

Cuius

Cuius doctrinæ Sigismundus Rex nimiùm fuit immemor, multò minus regium suum Iuramentum, et Aßecurationem in animum suum induxit eße inuiolabiliter sibi seruanda, eâ quidem fidelitate, quâ Ordinibus Regni in Solennitate Coronationis Iuramentum præstitit: Quandoquidem e vestigiò post ferias Coronationis cùm Stocholmiam peruenißet, non obscurè cuilibet prodiderit, quid occultatum in corde circumferret. Accidit quippè eâ tempestate, vt Ecclesiarum Concionatores non sine suspirijs, trepidatione & timore maximo, vitæq; discrimine diuinis obsequijs Stocholmiæ ministrarent, cùm in quauis Ecclesiâ derisi, & contemptui habiti; atq; â pontificijs Sectatoribus, eorumq; patronis calumniosè pro hereticis, & hominibus reputati ac pro clamati infamibus: Quo factum, vt præfati verbi diuini præcones, suggestum non sint ausi conscendere, nisi diligenti custodiâ forent vndequaq; circumuallati, nè quidpiam detrimenti, velut ab hostibus apertißimis illis irrogaretur: Cùm verò Ecclesiarum ministri hoc præsidio audaciores effecti, Pulpitum ascendißent, atq; ad circumfusam hominum multitudinem verba facerent, sæpenumerò Poloni templum ingredientes cum alijs Suecis, qui erroneam Pontificis doctrinam amplexi fuerant, vltrò citroq; in quauis parte, magno tumultu & scandalosis gesticulationibus per templum obambulabant, vt officijs diuinis impedimenta struerent, simplicioribus grauißima scandala præbendo. Hæc autem insolentia cùm Regi Sigismundo, & eius Consiliarijs detegeretur, iniuriosis Conquerentes expediuerunt verbis, nullâ emendatione procuratâ: Proindè Regni Senatores eâ tempestate Stocholmiæ commorantes, compulsi sunt excubias quasdam diuina officia administrantibus aßignare; Quæ sanè incommoda ex eâ solùm quam Sigismundus Rex Religionis mutationem meditabatur, pullularunt.

Neq; Rex Sigismundus contentus ijs Copijs externis, quas in hoc Regnum ad Ferias Coronationis adduxerat, verùm eodem tempore plures Polonos ad bellum Dantisci instructos huc adducere curauit, operâ Ernesti VVeieri, aliorumq; nempè Castellani Nacolcensis, Lonciensis, Conarski, Adami Staniski, Carnckoski, & Vkanski Reginæ pocillatoris, qui in Regnum Sueciæ armis accincti, velut ad bellum manifestißimum appulerunt; Ideò nisi rerum circumstantijs necessariò exigentibus, Rex Sigismundus in Poloniam fuißet euocatus, & profectus,

fectus, vberrimum sanguinis profluuium ex hac venâ emersisset. Verumenimuerò quod in Religione hoc tempore per fortunæ, & temporis aduersitatem non licuit præstare, ex instinctu Legati Pontificij, *aliorumq; malignorum* Consultorum *consilio, statuit postmodùm anno* 1598. *quandô ingenti* Regnum Succiæ *ingressus est* Rex Sigismundus *cum exercitu, mandare exequutioni*: Siquidem *tunc eorum maiorem partem* Magnatum, *quos anteà habuit aduersarios, ad sua castra pertraxerit, vt in subsequentibus insinuabitur;* Quanquàm Deo *in æternum gloria, qui primâ & secundâ in hoc* Regnum *expeditione,* Sigismundi Regis *nefariam intentionem, eiusq;* Consiliariorum *astutissima stratagemata impediuit, & clementer elusit.*

Hæc verò *præfata vniuersa* Imperatori, Regibus, Electoribus, *atq;* Principibus, *alijsq; cuiuscunq; conditionis, atq; nominis* Magnatibus *argumento esse possunt, quale* Indigenarum Regni Succiæ *ceruicibus iugum fuerat impositum, cùm* Sigismundus Rex *sui* Iuramenti *nullo loco duceret* Articulum *primarium,* Pontificiæ Religionis Homini, *Castellanatum in* Regno *præcipuum, &* Papisticis Sacerdotibus Templum *primarium committens, qui* Stocholmiæ *quotidiè (quæ est* Regni Metropolis) *idololatricis suis vacarunt cultibus; sicut etiam alibi per hoc* Regnum, *in præiudicium regij* Iuramenti *& promissionis:* Deindè *vt dictum est,* Euangelicis Concionatoribus *fuerat magno impedimento, quò minùs liberè, & absq; vitæ discrimine templorum suggesta conscendere, & ex illis populum docere possent.* Eò pacto Rex Sigismundus *primario sui* Iuramenti Articulo *stetit, vt cùm blanditijs* Ordines Regni Succiæ, *ad peruersam illam* Religionem *allicere non posset, ad violentiam apertissimam descenderit inferendam, quæ machinatio in lucem prodijt maximè anno* 1598.

Porrò Monarchæ *Christianitatis probè intelligant perpendantq; quid in* Religione *ampliùs acciderit aduersus eundem* Articulum; Regis *quidem* Sigismundi Iuramentum, Regni Succiæ Ordinibus, *in solennitate* Coronationis *propositum, præfato sese habet tenore:* Verùm *quâ fide* Sueonibus *illud seruauerit,* Christianitatis *reddemus* Monarchas *paucis adhuc certiores. Inprimis quidem* Rex Sigismundus, *ex hoc* Regno *in* Poloniam *discedens,* Comitem Ericum Pontificiæ religionis *publicum* Sectatorem, Arcis Stocholmensis, *velut commemoratum, con-*

 stituit

ſtituit Caſtellanum, templo Arcenſi à Ieſuitâ quodam Patre Adamo nuncupato, alijsq; occupato; Quosdam etiam Pontificios Sacerdotes in Inſulâ Reginæ conſtituit, & in Monaſterio Vaſtenenſi, à S. Birgittâ fundato. An verò hæc facinora Iuramento regio ſint conformia, omnibus Chriſtianitatis Magnatibus perpendendum, diiudicandumq; relinquimus; Quos etiam obnixè rogatos volumus, quò porrò animum attentum his porrigant, quâ nimirùm obligatione, Rex Sigismundus Sueoniæ Indigenas in ſuâ Coronatione aſſecurauit, quam ſequens Iuramenti regij periodus confirmat in hunc modum, auſcultando.

NEq; in Eccleſiaſticis aut Politicis huius Regni negotijs, vllius perſonæ vtemur operâ, quæ hanc œcumenicam Religionem apud Sueones non ſectetur.

HOc autem quo rigore ſeruatum, & à Rege Sigismundo exequutioni mandatum, commemorati Regis Sigismundi exceſſus, documento candidis Lectoribus exiſtere poſſunt. Conſtat namq; Comiti Erico, Pontificiæ Religionis viro, Protacropolin Stocholmenſem concreditam, cum Regalibus, quæ ſunt, Diadema Regni, Sceptrum, Enſis, aliaq; his ſimilia Regni Inſignia, & magni momenti Cancellariæ negotia; velut etiam tormenta bellica, claſſis naualis, armamentarium, quæ Stocholmiæ velut in Metropoli Sueonum aſſeruantur; Licet in ferijs Coronationis, Statibus Sueticis ſecùs ſpopondiſſet & iuraſſet, prout ipſa Aſſecuratio Sueonibus ab illo data, manifeſtiſſimè eum arguit, quæ in ſuperioribus pagellis introducta.

Quod cùm ità ſit, non difficulter Monarchæ Chriſtianitatis cognoſcere poterunt, quid ab eiuſmodi primariæ Arcis, & Vrbis in toto Regno Sueciæ Caſtellano fuerit expectandum, qui non vnius cum Regni Ordinibus Religionis, libenterq; erroneam Pontificis doctrinam promouiſſet, quantùm per oportunitatem, & vires illi fuerat integrum? Quæ proindè Regis Sigismundi Commiſſio Comiti Erico facta, ſi ſperatum ſortita fuiſſet effectum, introitus ſeu exordium Papatus fuiſſet iure compellanda, in certiſſimam animæ & ſalutis noſtræ perniciem: Siquidem verò Antiſtes Romanus ſtudioſiſſimus ſit, peruerſæ ſuæ Religionis propagationi, aptiorem neminem huic Prouinciæ Sigismundus Rex depræhendere potuiſſet, ad ſatisfaciendum voluntati Pontificiæ,

ciæ, & proseminadam Religionis præfatæ peruersitatem, zizaniaq; in Succiæ Regno, quàm eundem Comitem Ericum; Qui insuper dißolutæ & incontinentis vitæ fuerat: Et quemadmodùm Pontifex Romanus Diaboli existit organum, cuius beneficio & officio, multa animarum millia ad sese allicit; Ità quoq; Comes Ericus fuerat Pontificis, & Regis Sigismundi instrumentum aptißimum, cuius operâ Rex desiderio Papali satisfacturus, Regni Sueciæ Indigenas sub iugum & seruitutem Papæ, ac Diaboli potestatem, extremasq; tenebras, imò ad æternam damnationem pertrahere constituit: Quæ nefaria sanè machinatio, illis pro voto succeßißet, nisi diuina clementia, potentißimum & Serenißimum Ducem Carolum, in auxilium & patrocinium singulare excitaßet & submisißet: Cuius beneficij nomine, Deo præpotenti sit laus, honor, & gloria in omnem æuitatem; atq; S. C. copiosa in cœlo merces. Quippè has nefarias Regis Sigismundi molitiones, secundum Deum S. C. præcipuè anteuertit & elusit, cui ex intimis cordis penetralibus gratiæ persoluendæ, quòd afflictioni Sueonum sit commiserata.

Et quandoquidem S. C. inter Regni primarios supremus fuerit Magnas, cuius consilio Regem decuit Sueciam gubernare, secundum Iuramenti & Aßecurationis vigorem; Ideò non licuit Regi vllum intrudere Castellanum, & potißimùm quem diuersæ Religionis nouerat eße à Statibus Regni; Sed potiùs pro Iuramenti vigore, in quo spondet & promittit Rex Sigismundus, se consilio Illustrißimi Ducis Caroli, Regniq; Senatorum, Sueciæ Regnū moderatūrum, sese gerere decuit; Præsertim in eiusmodi negotio, quod Religionis immutationem concernebat, cum par fuerit, nihil eorum præuaricari, quæ vniuersis Regni Statibus, summis & infimis, Ecclesiasticis & Politicis promisißet ac spopondißet.

Hoc pacto Iuriiurando, & Aßecurationi Rex Sigismundus stetit egregiè, quantùm ad Religionem attinet: Quo facto imprudenter admißo, secundâ vice sine Regni Ordinum consensu & approbatione ex hoc Regno discesßit, relicto post se Castellano Pontificio, velut Prorege, atq; Templis & Monasterio Vastenensi occupatis, & à Iesuitis falsisque Concionatoribus repletis: Quo facinore præclaro, si Dijs placet, dißensionum ingentes in Patriâ procellas suscitauit, quam omni consolatione destitutam reliquit; Quemadmodùm videre & cognoscere li-

cet ex ijs caußis grauißimis, quibus Regni Senatores relicti Stocholmiæ, post profectionem regiam, sunt prouocati, et coacti Illustrißimum Ducem Carolum, nunc Regem nostrum legitimum, litteris suis Stocholmiam inuitare; obnixè rogando S. C. quò Reipub. Clauum sibi commendatum dignaretur hac tempestate (prout subsequens litterarum tenor testimonium perhibet,) administrare.

Rogatur Dux à Senatoribus vt Regimen capessat.

ILlustrißime Princeps, Domine Clementißime, V. C. humillima nostra obsequia, quàm officiosißimè perpetim deferimus. Serenißime Princeps & Domine C. V. humiliter significamus, R. M. Dominum nostrum clementißimum heri vesperi hinc soluiße: Deus præpotens S. M. prosperam nauigationem concedere dignetur, vt cum salute & prosperitate eum obtineat portum quem desiderat, eaq; profectio R. M. in encomium, huic autem patriæ nostræ cedat in emolumentum. Quamuis autem Illustrißime Princips et Domine, nos pro personis nostris quantùm poßibile fuerat elaborauerimus, vt omnia Regni negotia ante R. M. abitum, pro neceßitate deciderentur; Tamen plura adhuc infecta depræhendimus: Quamobrem speramus, sicut etiam humiliter postulamus, vt V. C. Regni grauißima negotia solito sibi habeat commendata amore, nobisq; clementem suam voluntatem super hac nostrâ petitione, primo tempore aperiat, quò vniuersa negotia, prout neceßitas summè postulat, legitimè expediantur: Siquidem quod attinet ad Gubernationem & illius Formam (de quâ hodiè V. C. responsum, cum apographo Formæ gubernationis, quam V. C. à R. M. Scriptis postulauerat, accepimus) porró non proceßimus, quàm V. C. à nostro Confratre Erico Gustaui postmodùm fortè cognouerat. Quantùm autem ad Regalia spectat, illa R. M. in hac Arce custodienda deposuit. Insuper V. C. notum officiosè cupimus, quòd Comitem Ericum in procinctu Castellanum Stocholmensem R. M. ordinauerit, contra quod nos protinùs in præsentiâ Comitis Erici protestati sumus, rogantes vt R. M. illud maturiore consilio examinaret; Atq; deinceps hodiè mentem nostram scriptis comprahensam, quà super his, quà de alijs, R. M. propediem offerendam curabimus, litterarum apographo C. V. primâ occasione destinato; Quod deniq; ad alia pertinet negotia, V. C. responsum quantociùs expectamus, vicißim ad omne officij genus prompti & parati sumus futuri. Hisce C. V. cum Illustrißimâ tori Consorte, Filiaq;

Itaq; Deo omnipotenti humiliter, & officiosè commendamus. Datum Stocholmiæ 15 Iulij, anno 1594.

Nicolaus Gyllenstern.	Hogenschildus Bielke.
Gustauus Baner.	Claudius Bielke.
Turo Bielke.	Steno Baner.
	Gustauus Gabrielis.

NEq; has Regni Senatores, tantam in Repub. Suecanâ videntes Ataxian, litteras misisse Illustrißimo Duci Carolo contenti, alijs denuò confectis S. C. Stocholmiam inuitarunt, prout sequitur:

Inultatur denuò ad Regimen Dux.

ILlustrißime Princeps, nostra C. V. humillima & promptißima imprimis obsequia semper sumus exhibituri. Clementißime Dne, redditæ sunt nobis heri vesperi C. V. litteræ nostris respondentes, gratiasq; submißè agimus, quòd velut fidelis Patriæ Princeps, in absentiâ R. M. Regni Sueciæ commodo & felicitati omnimodè sit parata deseruire. Quod profectò ad nos spectat, Dei auxilio freti, quantùm per vires licuerit, velut fideles & honesti Sueciæ Inhabitatores fideliter C. V. consilio & auxilio astabimus, eamq; obedientiam & promptitudinem, quam par est in omnibus ad R. M. & dilectißimæ patriæ nostræ emolumentum, subsidium, & erectionem spectantibus, fideliter exhibebimus: Quandoquidem verò, plurima magni momenti negotia, velut etiam quâ ratione manus Gubernaculo admouendæ, nec dùm perfectam dicisionem sortita; Ideò summoperè necessarium, nè V. C. sese Stocholmiam conferre (prout in suis clementer litteris spondet) grauetur, quò reliqua negotia speratum tandem sortiantur terminum: Itaq; quamprimùm nostri Consocij, apud R. M. nunc commorantes reuersi fuerint, omninò effecturi sumus, quò cuncti Senatorum V. C. præstolentur hic aduentum. Hisce C. V. cum Illustrißimâ Coniuge, & charißimâ Sobole, diuturnæ saluti, & prospero Regimini iugiter commendamus. Datum Stocholmiæ 20. Iulij, anno 1594.

HIs litteris Illustrißimus Princeps, ab Ordine Senatorio acceptis, protinùs respondit sequenti litterarum contextu.


Os Carolus Dei gratiâ Regni Sueciæ Princeps hæreditarius, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ, singularem nostram propensionem, & gratiosam voluntatem vobis deferimus. Accepimus litteras vestras, dilecti Domini Senatores, quibus nobis significatis, R. M. nostrum amicum Dominum Fratrem, præterito die Solis hinc vela ventis dedisse; ideò & nos M. R. eam profectionem quàm fælicissimam ex animo precamur, vt diuino adiuta auxilio, optatum prosperè nanciscatur portum, eòq; R. M. fausto itinere perueniat, quò magno desiderio aspirat. Verùm cùm prætereà suggeratis nihil eorum negotiorum esse expeditum, quæ ante R. M. profectionem fuerant transigenda, atq; idcircò humiliter petatis, quò vrgentia Regni negotia nobis habeamus commendata; Sanè licet ingenuè fateamur, nos Patriæ dilectissimæ emolumentum, omni nobis modo possibili promouere obligatos; Tamen cùm R. M. nullam Gubernationis Formam reliquerit, arduum nimis videtur, Regimini manus admouere; potissimùm hac negotiorum perturbatione, Aerario Reipub. exhausto, & ære alieno plurimùm obstricto, Regnoq; belli Moschouitici discriminibus apertissimè exposito, vt incertum prorsùs, quandò pace diu optatâ potiemur:

Dux perturbatum refugit acceptare Regimen.

tiemur: Deindè Coronæ reditus fortaßis, quo tempore R. M. hic paulisper commorata, tantoperè diminuti, vt non exiguus diprahendatur rerum defectus. Nihilominùs cùm jure propinquitatis, & ætate maturiore, annisq; ad Gubernationem inuitemur, hanc charißimam Patriam nostram, consolatione destituendam non duximus; sed quantùm per facultates nostras licuerit, eius defectibus, consilio & auxilio corrigendis operam sumus daturi: Scire duntaxat cupimus, vtrùm vos, qui Reipub. Senatores, & potißima in hoc Regno membra estis, nobiscum velitis conspirare ad R. M. & Regni emolumentum, nobis obedientiā in ijs, quæ pro Regni, & M. R. commodo mandauerimus exhibentes? Deniq; cùm de negotijs maioris momenti plurimis, primo tempore neceßariò consultandum, ideò benignè postulamus, nè ab inuicem discedatis, priusquàm fuerit deliberatum, quomodò Regni Clauo quàm commodißimè brachium porrigendum: Proindè parati sumus nos propediem Stocholmiam conferre, si desideraueritis; De his itaq; sententiam vestram quamprimùm cognoscere cupimus, hisce Diuinæ tutelæ vos commendantes. Datum Nycopiæ 18. Iulij, anno 1594.

Absq;

ABsq; morâ his Illustrissimi Principis Ducis Caroli litteris, Ordo Senatorius respondit, humiliter S. C. gratulantes, quòd in absentiâ regiâ Gubernationi præsidere dignaretur, promittentesq; seriò, quantùm humanum & possibile foret, se fideliter S. C. in Regni negotijs astituros, omnemqq; legitimam obedientiam, (vt eorum litteræ sequentes testantur) exhibituros.

Duci Senatores Regimen committunt.

Illustrissime Princeps V. C promptissima humillimaq; nostra obsequia officiosè deferimus. Deindè V. C. notum facimus, nos summo desiderio C. V. Stocholmiam aduentum præstolari, obnixè flagitantes insuper, nè V. C. Regni negotia inprimis necessaria, pro tempore suis grauetur humeris aptare sustinenda & moderanda: Nos autem V. C. quantùm factu nobis possibile, consilio, & auxilio, securitate & promptâ obedientiâ non sumus defuturi, Regniq; negotia & commoda, eâ manu fideliter tractaturi, vt ad honorem diuinum in primis, Incolarumq; singulare commodum maximè vergere putauerimus. Hæc C. V. humiliter intimanda duximus, omnes & singuli ad id, quod nobis ex officio incumbit, & ad voluntatem ac beneplacitum C. V. patriæq; subsidium spectauerit, parati, hisce C. V. cum Illustrissimâ Coniuge & Sobole, Dei præpotentis tutelæ committentes, vt diutissimè iuxtà ac felicissimè viuat valeatq;. Datum Stocholmiæ 9. Augusti, anno 1594.

Nicolaus Gyllenstern. *Hogenschildus Bielke.*
Gustauus Baner. *Claudius Bielke.*
Turo Bielke. *Steno Baner.*
Gustauus Gabrielis.

HIs porrò litteris Senatorum humiliter confectis S. C. prouocata, contulit se Stocholmiam, cum præfatis Regni Consiliarijs, de R. M. & Regni commodo actura. Quamobrem S. C. Stocholmiam aduenies, Comitem Ericum Castellanatus dignitate exuit, falsumq; Religionis exercitium in Arcensi templo, & in Ciuitate, Insulâq; Reginæ vigentem penitùs submouit. Hinc prompto & sincero iudicio Monarchæ Christianitatis colligere possunt, in quâ præfati Senatores fuissent angustiâ, nisi S C fideli patrocinio adiuti euasissent: Quanquàm præcipui eorum, malam S. C. pro hoc beneficio remetiti mercedem, ac ingratitudinem,

dinem, euentu postmodùm attestante, cuius commemorationi hic supersedentes, in progreßu Historiæ illam commemorabimus; Nimirùm quàm perniciosi fuerint S. C. toto Regis Iohannis tempore Gubernationis, detrimento S. C. iugiter intenti; Cuius peruersitatis tamen veniam S. C. illis prorsùs conceßit, prout anteà insinuatum. Verùm vt eò redeamus vndè digreßi sumus, hanc peruersam Religionem, quam Rex Sigismundus in præiudicium auiti Testamenti acceptauerat, nobis inuitis obtrudere machinabatur, eamq; frequentißimè mutationem diuini cultus in Ecclesijs Sueonum, multis dolis clanculùm & palàm ad opus perducere sedulò desudabat, quod copiosiore deinceps sermone retexetur. Iàm verò ad reliquam Iuramenti regij particulam inspiciendam, & orbis christiani Summatibus, Regis Sigismundi periuria insinuanda descendamus.

Ille namq; promißis, Iuramentis & sigillis Regni Sueciæ Ordinibus spopondit, se illos sine Legum Sueciæ, & Priuilegiorum transgressione, pro suâ quemq; conditione gubernaturum; Sicut etiam vniuersos, non minùs pauperes quàm diuites, regio suo patrocinio protecturum; Sed quomodò Rex Sigismundus his laudabilibus steterit promissis, cùm Stocholmiam peruenißet, Regni Ordines probè sunt experti: Siquidem vrbis excubatores, qui præ alijs singulari iurisdictione et priuilegio sunt protegendi, non solùm verbera sunt consequuti; Sed etiam Poloni diu noctuq; in armis versabantur, velut ad bella procincti, & nonnullos Ciuium, nocturnis per plateas intentos vigilijs, custodijsq; interfecerunt: Cùm verò huius violentiæ nomine, querelæ instituerentur, nulla iusticiæ exequutio subsequuta; Sed, prò dolor, cui aliqua vis & clades fuerat illata, non sine maximâ commiseratione perferre cogebatur. Hinc contigit frequentißimè plurimos diluculo quouis, in plateis crudelißimè trucidatos inuenire; quosdam verò miserrimè sauciatos; Licet autem hæc homicidia non solùm externis, sed etiam Indigenis quibusdam Nebulonibus, qui cum externis, eiusmodi facinoribus iugiter indulgebant, imputentur; Tamen quantumuis sæpenumerò querimoniæ hac de caußâ instituerentur, neq; apud Regem, neq; eius Consiliarios aliqua vindictæ exequutio, aut pœnâ in tales sicarios statuta; Imò vt multa paucis comprehendam, omne ius & iusticia prorsùs ab vrbe Stocholmensi exulabant,

Hanc exordia gubernationis Sigismundi Regis, nobis consolationem importarunt, vt nemo de vitâ in proprijs etiam ædibus securus fuerit, cùm tamen Domicilium debeat esse refugium tutißimum; De manè surgenti incertum erat, an vitæ munere propter Polonorum, aliorumq; Nebulonum insidias, vsq; ad vesperum esset fruiturus; velut quoq; vespertino tempore lecto incubans, de noctis tranquillitate & quiete non fuerat securus, ob Polonorum hostilem prorsus violentiam, cuiq; Indigenarum pertimescendam. Eiusmodi gubernatio mox secundum Regis Sigismundi Coronationem inchoata, & illo præsente ac inspectante continuata in vrbe Holmianâ. Hæccine regio Iuramento, & optimæ politiæ consentanea? Hoccine est amare & venerari, tueri & iusticiam suis Subditis administrare, regioq; illos patrocinio complecti? Id sanè omnibus æquitatis amantibus relinquimus iudicandum, quàm hæc regio Iuriiurando & Legibus Sueticis consentiant, quo sanctè promisit Iuramento, omnem veritatem amore & patrocinio sese prosequuturum, iniusticiâ & violentiâ omni pro regiâ suâ potestate exterminatâ; Imò tenore Legum Sueticarum M. R. ex officio incumbit, mansuetos & quietos protegere, (sicut ex Iuramento regio superiùs huic operi inserto planißimè constat) eosq; ab iniustis & turbulentis Indigenis, & Alienigenis defendere; Vbi similiter inculcatur Regi prouidendum, quò domicilium cuiq; sit refugium tutissimum. Sed hæ Iurisdictionis Sueticæ, & Iuramenti regij particulæ, sicut reliquæ omnes à Rege Sigismundo parui admodùm æstimatæ.

Præterea Rex Sigismundus Iuramento litterisq; sanctè promisit, se Castellis & Prouincijs de annuis reditibus, & prouisionibus circumspecturum, limitesq; Regni omni conatu ità protecturum, vt nihil prorsùs illis accidat decrementi, in emolumentum Regum & Gubernatorum succedentium, nisi vnanimi Statuum Regni Succiæ consensu approbetur. Illud autem Rex tantùm abest vt seruauerit, vt plurimùm sit transgressus. Nam non solùm Coronæ Sueticæ omnem Iurisdictionem quam habuit in Liuoniâ dono alienauit, (quæ ingenti pecuniarum summâ, multorumq; egregiorum virorum Sueticæ Nationis sanguine acquisita est) Sed etiam illud in præiudicium paternæ admonitionis, & litterariæ obligationis, non sine crimine admisit: Insuper contra promißa & adstipulationes, pactaq; & fœdera instituta, classem Reipub. Sue-

cana

cane naualem plurimùm diminutum iniit, nauibus & tormentis, non fine Coronæ Sueticæ dispendio illam despolians: Vndè colligere licet, quâ fide Sigismundus Rex, Castella & Prouincias in emolumentum Patriæ conseruauerit, quæq; indè ad Regnum Sueciæ commoda emendationis profluxerint: Quoniam si Regis Sigismundi fuisset satisfactum promissis, Liuonia Regno Sueciæ dudùm esset subducta, prout Polonis sponderat; Naues verò & tormenta (vt nulli non cognitum & exploratum) contra pacta & promissa à Repub. Sueonum alienata, quod accidit secundum Inducias Lincopiæ initas, de quibus postmodùm loquemur.

Insuper Rex Sigismundus in grande præiudicium auiti Testamenti, & Constitutionum Calmariæ anno 1587. sancitarum, quibusdam Transactionibus cum vicinis Monarchis, super Regni Sueciæ grauissimis negotijs se immiscuit, Illustrissimo Duce Carolo, Regniq; prorsùs Ordinibus inscijs, Sueonum Iurisdictione peculiari abalienatâ, velut cum Rege Daniæ liquet esse factum: Siquidem Rex Sigismundus per suum Legatum Ericum Sparre, à Rege Danorum dilationem compromissoriæ Transactionis, ratione Stemmatis Suecani, trium scilicet Coronarum postulauerat, quæ illo Transactionis die añõ 1591. ad riuum Flakeslöbeck dictum, vtrumq; Regnum inter celebrato, ad instantissimam Danorum petitionem, vsq; ad annum duntaxat 1597 suspensa: Hac ratione Rex Sigismundus à Danorum Rege illud precibus obtinere voluit, quod ille ab Ordinibus Regni Sueciæ, vix multis supplicationibus priùs consequutus est, Sueonum Iurisdictionem ad tres Coronas, Regni propria & peculiaria Insignia, atq; Regalia summa, hoc pacto abalienans, ad quod nullam habuit facultatem.

Verùm eâ solùm de caussâ hoc factum, vt Rex Sigismundus eo commodius hostili suo proposito indulgeret, & promoueret aduersus Illustrissimum Ducem Carolum, suasu Consiliarij sui Erici Sparre, in detestandum Testamenti auiti præiudicium, cuius verba hæc sunt: Porrò dilecti filij nostri omnes, non solùm ille, qui cum suâ progenie nobis in regali Throno subrogatur; Sed etiam reliqui filij nostri charissimi, cum suis

 legiti-

legitimis Successoribus, neq; per se aut cum peculiaribus suis Consiliarijs, famulis & Subditis molientur, tractabant, aut decident ea negotia, quibus vniuersi Regni fœlicitas & honos innituntur, bello, inducijs, fœdere aut alijs medijs Reipub. magni momenti negotia expediendo, nisi hoc fiat omnium eorum, & Ordinum Regni primariorum consilio & assensu. Huc vsq; verba Regis Gustaui. Nec minùs hoc Regis Sigismundi factum, proprio illius repugnat Iuramanto, in quo promittit seriò, se consilio Illustrißimi Principis Dni Caroli, Regnum suum gubernaturum; Sed Rex Sigismundus è Diametro facinus contrarium edidit, cùm Transactiones illæ in Daniâ, atq; alibi institutæ, S. C. fuerint prorsùs ignotæ, quibus nihil aliud quæsitum, quàm Illustrißimi Ducis Caroli, Regniq; certißimum detrimentum.

Quocircà vniuersæ Christianitatis Magnates amabò perpendant, quàm iniquè se Rex Sigismundus aduersus hoc celeberrimùm Regnum, & eius Inhabitatores gesserit: Deum profectò testamur, nos eam opinionem de hoc Rege nunquàm imbibere potuiße, (qui cùm naturæ quâdam bonitate singulari foret præditus) à peruersis Consiliarijs tantoperè seducendum, vt ea actitaret, quæ spiritualibus & secularibus negotijs, proprioq; Iuramento, & Aßecurationi contraria, capitali suum proximum Consanguineum odio persequendo; Nimirùm Serenißimũ Principem Dnum Carolum, secundum R. M. in hoc Regno primarium, & Sueciæ Principem hæreditarium, nec ullâ prorsùs aliâ simultatis causâ Rex Sigismundus permotus, quàm quòd S. C. eiusmodi actiones displicerent, cuiusmodi Sigismundo Regi ipsimet, & vniuerso Regno detrimenta importarent. Verùm Rex Sigismundus sui, atq; Reipub. Suecanæ amatorem, ab osore nequiuit discernere, plus prauos Consiliarios, quàm Illustrißimum Principem, aliosq; rectè sentientes, & patriæ salutem quærentes, sequutus est.

Ea præter S. M. promisso & Iureiurando fidem fecit Statibus Suecanis, se fidelem & securum vniuersis ac singulis Regni Sueciæ Indigenis

digenis fore, & nulli diuiti aut pauperi, summo aut infimo, vitæ vel corporis detrimenta illaturam; vt neq; vllâ ratione mobilia aut immobilia bona cuiquam, nisi Iure Suetico, & Iudicijs legitimè præuijs eripere permissuram.

Aduersus hoc regium suum Iuramentum Rex Sigismundus *Subditorum suorum naues atq; alia bona* Lubecæ, *& in alijs* Emporijs *maritimis arresto detinere, & mercibus cunctis spoliare mandauit, quò* S. M. *Subditi, acquirendæ sustentationis gratia fuerant ex* Sueciâ *profecti, nullam aliam ob caussam id faciens, nisi duntaxat vt hostiles illas & nefarias machinationes exequutioni mandaret, quas erga* Illustrissimum Principem Carolum, *Regem nostrum clementissimum fouebat; Siquidem illa Subditorum sustentatio nauigationibus acquisita,* Regis Sigismundi *proposito, & peruersorum Consiliariorum molitioni ponere videbatur aliquod obstaculum; Ideò persuasione Consilliariorum ad has illegitimas nauium arrestationes* S. M. *descendit. Deinde* Rex Sigismundus *paucis ante annis, cùm iustissimus* Deus Regnum Sueciæ, *iniquitatum nomine, flagellaret summâ annonæ caritate, mercatoribus* Dantiscanis, *aliarumq; Ciuitatum, secus littora maris* Balthici, Regno Poloniæ *subiectarum seuerè prohibuit Incolis, nè Commeatu Sueonibus subuenirent; De quo etiam alia Maris* Emporia, *imperio Romano subiecta frequenter sollicitauit: Imò* Rex Sigismundus *præfato tempore non est veritus, suasu malignorum Consiliariorum,* Reualiensi *Ciuitati* Regno Sueciæ *incorporatæ inhibere, nè sub grauissimâ apud* R. M. *indignatione contrahendâ, prouisione maritimâ inopiæ* Sueonum *subueniret. In quo negotio transigendo, horum perduellium virorum operâ, scilicet* Stenonis Baneri, Olai Suerkeri, & Lindormij Bonde *vtebatur: Proindè hac de caussâ grauissimo famis telo, multa hominum millia succubuerunt, superstitibus, argento, pecunijs, cupro, stanno, vestibus, supellectili domesticâ, & pecoribus ità exhaustis, vt nec dùm hoc bonorum suorum dispendium resarcire potuerint; eoq; tempore tantâ victualium penuriâ pressi Indigenæ, mortem vitæ vsuris prætulerunt. Hoc pacto* Rex Sigismundus *suo regio Iuramento & Asseurationi stetit; Quid est ingenuè fatendum, non multò fuerat melior* Sigismundus Christierno Secundo Rege Daniæ, *qui in* Sueciâ *atq;* Daniâ *impiam Tyrannidem exercuerat; Quanquàm non ipsemet quidem in propriâ personâ Ty-*

 ranno aßimilandus; Tamen effectus (ad quem sceleratißimi Consiliarij illum stimularunt edendum) Tyrannidem repræsentat immanißimam, ideoq; pro suâ personâ non secùs ac Rex fatuus factitauit, ad eiusmodi actiones iniquißimas se permoueri consilio prauorum sustinens.

Lubenti verò hic cognoscerem animo, quâ ratione his iniquis Sigismundi Regis facinoribus fuißet nobis obuiandum? Quoniam non fuerat neceßarium de bonis ab hoc Rege expectandis multùm desudare; Siquidem priusquàm in hoc Regnum aduenißet, ex illius cognouerimus litteris, Christianam in primis nostram Religionem ob illius aduentum periclitari: Quippe nobis omnibus per litteras spopondit, se neminem Religionis nomine, odio aut amore prosequuturum, existimans nullum sibi in Religione conformem tribulandum, & neminem peruersæ suæ Religioni difformem adamandum; Quam sanè litterarum peruersum sensum tempus Coronationis, septimanis dilatum sex nobis luculentèr manifestauerat; Cùm eo temporis spacio super Religione nostrâ Christianâ, alijsq; nos aßecurare S. M. tergiuersaretur: Neq; minùs illud ex Sigismundi Regis gubernatione secundum Coronationem Stocholmiæ inchoatâ cognouimus, vidimusq; non sine animi cruciatu, & audiuimus quantas S. M. copias, persuasione suorum Consiliariorum nequißimorum, Dantisci cogere meditabatur; Licet diuulgatis litteris sparserit, se ad Regni Sueciæ Incolas velut pacificum, securum & fidum Regem venturam, eos subintelligens his verbis Indigenas, qui illius partibus & machinationibus fuerant adhæsuri; alijs autem impedimenta S. M. molitionibus structuris, diuerso longè prandio apparato, prout abundè satis illæ pacis Teßeræ, quarum aliquot contenta Dantisci curauit imprimere, testantur; Nihilominùs bonis verbis vsa, licet dolus & deceptio sub illis occultarentur.

Quòd cùm ita sit, omnibus sinceris arbitris examinandum relinquimus, vtrùm S M. obedientiam, & fidelitatem, securitatemq; præstare nunc teneamur? quæ detrimento nostro summoperè inuigilauerat, & hodiè inuigilat acerrimè, non tantùm corporalibus, sed etiam spiritualibus nostris insidiando commodis: Illinè obedientiam præstare obligati, qui nos ad ærumnas, & miserias grauißimas cateruatim detrusit? Illinè seruiendum & obsequendum, qui nobis Ius & Iu-

stiaciam

ſticiam nunquàm adminiſtrauit? Illumne pro Rege noſtro colemus, qui capitibus noſtris hodiè ſolito more omne infortunium immittere laborat? Aut eum pro Gubernatore noſtro venerabimur, qui violauit conculcauitq́; Iura Iuſtitiamq́;? Illene ſuperioris loco obſeruandus, qui inteſtinis ſeditionibus atq; bellis ciuilibus nos afflixit? vel deniq; is Pater Patriæ vocandus, qui illam externo milite oppreſſit, vt vaſtitatem ei inferret, et perniciem peruerſæ ipſius cauſſæ ſubſcribere nolentibus conciliaret? Quamobrem quæ recta ratio perſuadebit, Sigiſmundum nobis Regni Sueciæ Ordinibus pro Rege poſthac agnoſcendum, à quo infinita detrimenta reportauimus, & indies magno cumulo reportamus, pro omnibus beneficijs quæ largâ illi manu exhibuimus? Qui neq; nos pro Subditis ſuis agnoſcit, Sed velut hoſtes capitales bello premit grauiſſimo; Noſtris ſanè partibus innumera rationum momenta ſuffragantur, quorum nonnulla hactenùs enumerauimus, Sed plura inpoſterùm recenſebuntur, quò noſtra innocentia toti mundo innoteſcat.

Nimirùm in nobis nullam reſidere culpam cauſſamuè, quòd Rex Sigiſmundus ſuo Iuramento nefariè rupto, indignis modis nobiſcum egerit; Sicut etiam nos ab illo non deſciuiſſe, ſed illum à nobis, ideoq; præſtito ei Iuramento liberati, dùm nos fidos ſuos Subditos hoſtium loco habuerit & afflixerit, ſuumq; proprium Patruum, nè vlla quidem anſâ porrectâ, inſtinctu ſceleratiſſimorum ſuorum Conſiliariorum, & Ieſuitarum ſummoperè perſequutus, quem amore & honore præ omnibus in Regno alijs complecti debuiſſet, velut eum à quo in imminentibus difficultatibus conſilium & auxilium ſecurè poterat expectare: Siquidem Iuramentum in ſolennitate Coronationis depoſuerit, quòd S. C. conſilio in omnibus Regni negotijs vſurus, quem tamen maximè perſequutus: Quid igitur nobis longè inferioris conditionis hominibus fuerat expectandum, ſi pro voluntate Regi Sigiſmundo licuiſſet eum chariſſimo ſuo Patruo procedere? Quâ ratione inquam nobiſcum fuiſſet actum, quibus per facultates reſiſtere integrum fuerat minimè? Omnibus itaq; viris prudentibus non ignotum, quòd Iuramentum Subditorum, Regio nitatur, ideoq; Rege Iuramentum ſuum & promiſſiones transgrediente, prout Sigiſmundus Rex fecerat, corruit prorsùs homagium fidelitatis à Subditis M. R. præſtitum.

Quanquàm verò Sigiſmundo Regi, quæ in nobis deliquerat libenter &

 ter & frequenter ignouißemus, tolerabilibus ac legitimis medijs, controuersiæ componendæ illi propositis; Tamen hanc nostram animi erga se propensionem prorsùs contempserat,vt commemoratum est; Proindè Iuramento fidelitatis absoluti, illi & vniuersæ eius progeniei obedientiam renunciare coacti sumus: Sed quâ ratione à nobis desciuerit, & quæ controuersiæ huius primordia, fusius in sequentibus manifestabimus. Enimuerò neminem propè fugit, Regem Sigismundum primâ vice anno 1587. ex hoc Regno, externum Diadema acceptatum discessisse, Ordinibus Regni Sueciæ prorsùs inscijs; In Poloniam autem eo tempore fæliciter perueniens, Iurisdictionem Sueonum in Liuoniam Polonis consignauit, inconsultis Statibus Sueticis, & contra promißionem suo Domino Parenti factam, litterasq; ad Illustrißimum Patruum hac super re conscriptas, atq; anteà huic libro insertas: Hanc vtilitatem primus Regis Sigismundi abitus ex Sueciæ Regno nobis attulit Sueonibus. Vndè quilibet vel mediocri iudicio præditus, abundè poterit cognoscere, Regem Sigismundum sine Ordinum consensu, suasu prauorum Consiliariorum se vltrò Regionibus atq; populis abdicare voluisse, qui ad illum nec dùm hæreditario iure fuerant delati, nullamq; proindè eosdem alienandi haberet Iurisdictionem aut potestatem.

Secunda etiam Regis Sigismundi profectio, persimilem nobis attulit fructum; Quippè regium suum Iuramentum Vbsaliæ deponens, spopondit & iurauit se Clauum Reipub. Suecanæ, consilio Illustrißimi Ducis Caroli, modò Regis nostri clementißimi moderaturum; Idcò sanctè promiserat se priùs ex Regno non abiturum, quàm consilio Serenißimi Patrui & Senatorum Regni, perfectam gubernationis Formam comprehendi curaßet, quâ ratione scilicet Regnum, & Subditorum multitudo quàm ordinatißimè gubernaretur; Quemadmodùm quisq; prudens arbiter diiudicare potest, Rege ex Regno absente neceßarium esse, vt Regni Ordinibus liquidò constet, à quo, & quali modò sint gubernandi: Inualuit siquidem in hoc Regno eiusmodi rerum confusio, vt nemo alteri auscultare dignaretur; Hunc verò lusum Regni Consiliarij primùm inchoarunt, libenter videntes, vt nemo Gustauianorum in Solio Sueonum, Diademate & potestate fulgeret; Sed illorum alter alterum præuerteret dominando, in extremam Regni perniciem: Deindè Rex Sigismundus aduersus Iuramenti sui tenorem, quibusdam Pontificiæ

Religio-

Religionis Hominibus Regimen commiserat, & precipuã Munitionem, qui plurimis de Ordine Senatorio affinitate fuerant iuncti, ità vt Gubernatio vniuersa illis fermè personis fuerit commissa, quas vel lyppus Romanensium superstitionibus addictos dispiceret. Nam Ericus Sparre Regni Cancellarius, Tori Consortem habuit Comitis Erici, *apertissimi fidei Romonæ Sectatoris Sororem; Claudius Flemmingius Gubernator Finlandiæ eiusdem duxerat in matrimonium Materteram; Ericus Gustaui Vestrogothiæ, Aruidus Gustaui Ostrogothiæ, Carolus Gustaui Smalandiæ fuerant Toparchæ & præfecti, Comitis Erici Auunculi, aliijq; quos longum esset recensere. Eiusmodi inordinatio & Regiminis intricatio eo tempore in Repub. Sueonum inualuerat, Rege Sigismundo nullam emendationem procurante, sed enumeratos affinitatis, & factionis eiusdem in primarijs Regni officijs confirmante.* Hac *ratione cùm Rex Sigismundus Clauum Regni Sueciæ pro voto ordinasset, ex Regno præproperè maturabat discessum, transmissã per Ericum Gustaui, & Claudium Slatte quandam Plenipotentiam ad Illustrissimum Ducem Carolum Nycopiæ commorantem, quam pro legitimã gubernationis Formã cupiebat acceptandam, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur.*

NOs Sigismundus Dei gratiã Sueciæ ac Poloniæ Rex notum *facimus, quòd cùm rerum circumstantijs ità exigentibus, tùm ob fidem Polonis datam de nostro ad illos reditu, tùm etiam alijs vrgentibus de caussis, consentientibus Illustrissimo Domino Carolo, Regni Sueciæ Principe hæreditario, Sudermanniæ, Nericiæ, Vermelandiæq; Ducε, Patruo nostro charissimo, & Senatoribus, aliorumq; Regni Ordinum libero assensu, in Poloniam regredi decreuerimus; Eo tamen proposito & intentione vt rebus ità exigentibus, & si Deus sanitatem largitus fuerit, velle nos Regnum hæreditarium aliquandò repetere. Nè igitur Regnum hoc, cuius singularem curam gerere tenemur, in nostrã absentiã bono Regimine & legitimã Iuris administratione eareat; Ideò præfato Illustrissimo Principi Carolo, Patruo nostro charissimo, tanquàm Regni Sueciæ Principi hæreditario, & inter alios Ordines Regni primario, adiunctis et fidelibus nobis dilectis Regni Senatoribus, datã illis simul Plenipotentiã, eius intereà Gubernationem & administrationem credidimus & commisimus; Ità tamen vt primùm & ante omnia* Forma gubernationis

 sine

sine vllâ contradictione nos, nostramq; masculam (si quam Deus dederit) prolem pro legitimis Regni Sueciæ Regibus, & Heredibus colant, & agnoscant. Atq; post hanc, dilectissimum fratrem nostrum, Illustrissimum Finlandiæ Principem Dnum Iohannem, quibus secundum Pacta hæreditaria, Regnum sartum ad fideles manus conseruare teneantur; Præterea nostra, Regniq; emolumenta quærere, procurare & promouere; Damna autem & detrimenta auertere, ac maturo consilio præuenire semper obligati sint; Reliqua item Regni negotia, cum communi præfatorum Senatorum consensu, & concordi voluntate, ità secundum Iura Suetica administrent, nè ex ijs damnum vllum detrimentumuè capiamus. Comitia verò siuè Conuentus publicos nequaquàm celebrare, statuta & Leges nouas sine nostro consensu nullo pacto, minimeq; concedere debent, prout ex Illustrissimi Ducis, præfatorumq; Senatorum litteris reuersalibus nobis super hac re datis, euidenter patet, & demonstrari potest. Mandamus igitur, & præcipimus omnibus fidelibus & dilectis Subditis nostris, tàm spiritualibus quàm secularibus, Nobilibus pariter & Plebeis, cuiuscunq; Status, gradus vel præeminentiæ fuerint, qui Regnum nostrum hæreditarium Sueciæ incolunt, & nobis iuramento fidelitatis & obedientiæ obstricti, ac obligati sunt, vt præfato charissimo Patruo nostro, tanquàm in Regimine præcipuo, fidelibusq; nobis dilectis Senatoribus, secundum vniuscunq; statum & dignitatem, debitum honorem, securitatem, & obedientiam ijs in rebus præstent atq; exhibeant, quas ad nostrum, Regniq; commodum & emolumentum fieri iusserint, atq; imperauerint. Quâ in re seriam & expressam voluntatem nostram exequentur, secundum quam vnusquisq; se dirigere & regulare debet. Datum in Portu nostro Elsnabben 28 *Iulij, anno* 1594.

Verumenimuerò hac Plenipotentiâ Serenissimo Principi Carolo porrectâ, & penitiùs perspectâ, suam de illa sententiam per litteras protinùs expeditas, Regi Sigismundo manifestauit subsequenti modo.

Dux Plenipotentiam à Rege datam renuit.



Otentissime Rex, amice Domine Frater, redditæ sunt nobis M. V. litteræ per generosum Claudium Slatte, adiectâ illis quâdam Plenipotentiâ, quam

M. V.

M. V. conſcribi curauit, & nobis ſuper Gubernatione in abſentiâ M. V. ſustinendâ tranſmitti: Similiter etiàm quoddam apographum, cuius viciſsim tenore M. V. à nobis cupit aſsecurari. Proindè M.V. ad hæc reſpondemus fraternè, nos paratos atq; promptos id faciendi, quod ad Patriæ noſtræ ſpectauerit emolumentum; Quamuis autem huic gubernationi manus admouere ſit difficile, propter incommoditates quæ hoc tempore in Regno paſsim vigent; Attamen cùm hæreditarius Regni Princeps ſimus, & in eodem primarius, cui per ætatem atq; annos Reipub. Suecanæ, in abſentià M.V. præſidere liceat; Ideò hoc onus detrectare jure non poſsumus; Verùm non aliâ instructi Plenipotentiâ, quàm quæ nobis à M. V. modò transmiſsa, id facere nullâ ratione poſsumus; Si quidpiam emolumenti in Regni negotijs ad M. V & Patriæ noſtræ vtilitatem, operâ noſtrâ voluerit expediri: Speramus proindè M.V. eiusmodi Plenipotentiâ in Regimine nos frui permiſsuram, cuiusmodi M. V. apographum transmiſimus; nos viciſsim M. V. abundè ſatis, illo Reuerſali aſsecurauimus, quod obſignatum M.V. vnà deſtinauimus: Si huic M. V. acquieſcere noluerit, ad Regni Ordines totum reijcimus negotium, vt conſtituant vnanimiter, â quo & qua-

 liter cupiant in absentiâ M. V. gubernari. Quātùm verò ad nos attinet, semper fidelem deprahendet M. V. Patruum, & tàm in absentiâ quàm præsentiâ M. V. fideliter seruantem, quæ in regiâ Coronatione spopondimus, & M. V. iurauimus; Et quandoquidem cum M. V. fideli Consiliario Erico Gustaui, litterariā Assecuratione̅ nostrā super his omnibus transmiserimus, ideò nobis vicissim de M. V. certo certius persuademus, inuiolabiliter in omnibus Articulis M. V. id omne seruaturam, quod nobis, alijsq; huius Regni Subditis proprio Iuramento in suâ Coronatione promisit & iurauit, Patriæ diuturnam prosperitatem ex animo nunquàm deponendo; Demùm hisce M. V. Dei omnipotentis tutelæ, cum charissimâ thalami Consorte, pro fælici transnauigatione, & reditu in Regnū Poloniæ, diuturnâq; & tranquillâ gubernatione, fraternè & amicè volumus commendatam. Datum Nycopiæ 23 Iulij, anno 1594.

POrrò amice Dne Frater, quandoquidem metuamus nè huius anni reditus ità sint distributi, vt parùm supersit, ideò relinquimus M. V. perpendendum, si (quod Deus auertat) non fuerit pax firma cum Moscho constituta, quo bellū neruo vlteriùs prosequemur? & potissimū vndè Munitionibus de victualibus, alijsq; rebus necessarijs inpri-

inprimis posthac prouidendum? Similiter quibus modis militares Copias, tàm quæ Castellis præfuturæ, quàm quæ in acie & aperto campo hostibus congressuræ, alacres et strenuas reddemus sustētabimusq;, atq; alia multa varijs necessaria modis conquiremus? Quamobrem cùm eiusmodi vacuis manibus nequeant expediri negotia, M. V. facilè cogitare potest, quæ grauamina nunc in Regno passim obuia, & quàm possibile gubernationem acceptaturo, Regni negotia expedire, vbi nihil in promptu est; Præsertim cùm M. V. adeò exiguam rerum expediendarum Informationem modò reliquerit; Proindè si quidquàm insperatò accideret, priusquàm Regnum aliquo modo pristinæ redderetur ordinationi, et huiusmodi periculis quæ nunc vndequaquè emicant, foret obuiandū, nos coràm Deo, & M. V. Regniq; Ordinibus cupimus esse excusatos; Quocircà M. V. hæc sibi curæ & cordi habeat: Siquidem verò grauissima Regni negotia diuturnam respuant moram, & M. V. à nobis et Regni Senatoribus postulet, vt ea humeris nostris aptata expediamus, ideò fraternè obsecramus, quò M. V. Regni Consiliarios admonere dignetur, nè priùs segregenter quàm nos cū illis, et illi nobiscum super Regni negotijs pro tempore ordinandis consultauerint; Nos profectò nulli

parce-

parcemus labori, in communicando fideli nostro consilio, prout rei dignitas postulauerit; Deniq; Finlandiæ & Liuoniæ Officialibus, apud M. V. nunc commorantibus mandet, vt sese Stocholmiã conferant, super Munutionum gubernatione, alijsq; rebus necessarijs Informationem accepturi. Hæc M. V. ex fraterno & amico animo significanda duximus. Datum vt in litteris.

CVm verò præsentium litterarum Lator, hoc S. C. responsum ad præfatam Plenipotentiam datum, foret R. M. oblaturus, commisit Sigismundus Rex vela ventis, de littore patrio in altum prouectus, Clauo Reipub. Suecanæ in maximâ Ataxiâ remanente. Proindè Illustrissimo Principi Domino Carolo innotescente, nullam gubernationis Formam à M. R. constitutam, præter mutilam quandam Regiminis Plenipotentiam extraditam; Sicut etiam Regem Sigismundum alijos æquali potestate, imò maiori (vt tempus postmodùm partim in Sueciâ, partim in Finlandiâ docuit) cum S. C. ad Reipub. Gubernaculum constituisse, ægerrimo id sanè pertulit animo, meliorem omni industriâ circumspiciens negotiorum ordinationem, atq; necessitatum prouisionem: Nam licet omnis inordinatio in Regimine præsente Rege Sigismundo, non obscuris emicuerit scintillis, Tamen indies vberiore excreuit incendio, secundum regiam profectionem: Quandoquidem in cuiusq; prouinciæ angulo aliquis emerserit, qui loco Regis populum & prouinciam se gubernaturum protestando glorietur: Ex hoc fonte multa infortunia, ærumnæ & miseriæ inter Subditos copiosè profluxerũt, tumultu et discordiâ in quouis Territorio gliscentibus, vt timendum fuerit, nè progressu temporis in detrimentum & ruinam huius celeberrimæ Reipub. tàm in Ecclesiastico, quàm Politico statu cederent, ni tempestiuè maturo consilio illis obuiaretur:

Idcircò vt omnis inordinatio, & infortunia imminentia, quæ indè pullulatura videbantur, & iam iam in foribus erant, maturè impedirentur, coactus est Serenissimus Princeps Dux Carolus, cum consensu

sensu Senatorum Regni, & prouocatus singulari Dei prouidentiâ, summâq; rerum sapientiâ, Comitia Sudercopiæ indicere, mense Octobri, anno 1595 celebranda. Ad quem Conuentum generalem, totus Senatus, & Regni Ordines, Comites, Barones, Episcopi, Equites, Nobiles, Clerus, militarium Duces Copiarum, Vrbium Indigenæ cum plebeculâ certatim conuolarunt, de vrgentibus Regni negotijs consultaturi: In quibus sanè Comitijs plurima proposita, tractata, & decisa in commodum Sigismundi Regis, & Patriæ suo pondere inprimis vergentia, si omnia saltem obseruationi & exequutioni mandata fuissent. Quippè in hoc Conuentu inprimis cautum est, nè quidquam tractaretur, aut concluderetur in præiudicium Regiæ authoritatis & eminentiæ vergens; Sicut etiam vt eo proposito hæc Tractatio nullâ ratione celebraretur, vt aliquo modò Regni Ordines Iurisdictionem, securitatem R. M. oretenùs, & litteris, Iuramentoq; sæpius præstitam atq; promissam transgrederentur, prout ipse Conuentus litteris comprehensus, & hic subnexus testatur.



Os Carolus Dei gratiâ Regni Sueciæ Princeps hæreditarius, Sudermanniæ, Nericiæ, Wermelandiæq; Dux, & nos infrascripti Senatores Regni Sueciæ, Episcopi, Equites, Nobiles, Vasalli, Clerici, Militum Officiarij, Ciues, Milites & promiscuus populus, qui hisce in Comitijs Sudercopensibus, tàm plenâ omnium Prouinciarum ex potestate, quàm priuatis solùm nominibus sumus congregati, notū facimus, et coràm omnibus profitemur, quòd siquidem Serenissimus Princeps & Dominus Sigismundus, Sueciæ & Poloniæ Rex, Dominus noster clementissimus, cùm nuper exiguo admodùm tempore S. M. in hoc Regno commoraretur, Comitia Sudercopensia.

occasio-

occasionem non habuerit, partim propter plurima, eaq; summa, interna atq; externa negotia; partim etiam propter subitam ex Regno profectionem, ità absolutam rerum omnium ordinationem, velut par fuerat, instituendi, quâ ratione nimirùm in absentiâ S. M. Reip. Gubernaculo manus fuerant admouendæ: Atq; licet S. M. Secundum hanc profectionem, aliquommodò huius nomine admonita sit litteris & internuncijs; Nihilominùs tamen R. M. in Poloniæ Regno constituta, & dubio procul, plurimis illius Regni negotijs atq; curis distenta, vlteriorem aliquam super his rebus resolutionem & ordinationem dare nequiuit: Vndè in Regimine huius Regni multa inordinatio paßim emersit, & sese ostendit non obscuris indicijs, atq; adhuc porrò metuenda, quæ progreßu temporis in R. M. & huius charißimæ patriæ nostræ tumultum, discordiam, & tandem ad irreparabile detrimentum, quà in spiritualibus, quà sæcularibus negotijs vergere poterit, nisi tempestiuè rationabiliter, & legitimè huic obuiatum fuerit incommodo.

Quamobrem cùm Deus omnipotens legitimis & tolerabilibus conditionibus, diuturno ac sanguinolento bello Muschouico, optatum tandem finem imposuerit, vt pro tempore, ope diuinâ adiuti, vnde-

vndequaq; cum nostris vicinis pacem habeamus; Cuius nomine, diuinæ Maiestati gloria atq; honor sit sempiternus; Proindè nihil magis hoc tempore necessarium videtur, quàm vt interna concordia et animorum conspiratio (in quibus plurimùm situm est) denuò reflorescant; Atq; hoc pacto pace, quam nobis Deus clementer largitus, cum vicinis optimâ potiti, vit illā jure et justiciâ confirmantibus legitimè vtamur & fruamur; Ideò plurimùm sumus permoti vt præsentia & iam fermè absoluta, Deoq; auxiliāte, fæliciter celebrata indiceremus Comitia, obedienter illa frequentaremus, atq; maturo consilio, libero suffragio in nominè sanctissimæ Trinitatis, super Articulis sequentibus hac ratione conspiraremus, nos vniuimus & seriò conclusimus.

Principiò nè vllus eam concipiat opinionem, quòd nos illam jurisdictionem, securitatem, & fidelitatem, quæ R. M. in scriptis & oretenùs promisimus addiximusq;, hisce vllo pacto transgredi ac violare intendamus, ideò nunc velut anteà spondemus, nos R. M. factum Iuramentum & Promissum inuiolabiliter firmiterq; seruaturos; atq; modò R. M. absente, & quousq; visum fuerit R. M. in hoc Regnum suum hæreditarium redire, casuq; mortis, (quem Deus clemēter

ter auertere & perendinari dignetur) R. M. masculis hæredibus, Regnum cum vniuersis Indigenis ad fideles manus conseruaturos, prorsùs R. M. & Regni commodum quærentes atq; promouentes, pericula detrimentaq; præcauendo & auertendo, ac tempestiuè præmonendo pro extremis nostris viribus, atq; facultate; pariq; modo absentes vt præsentes R. M. fideles & obedientes futuros, nihil addubitando quin R. M. inculpabiliter factura; quæcunq; Ordinibus Regni Sueciæ in regiâ suâ Coronatione vicißim promisit & addixit. Deindè quandoquidem R. M. hanc patriam nostram de pristinâ Religionis libertate (omnibus alijs Sectis, earumq; exercitijs exclusis) in regali Coronatione aßecurauerit, neq; hactenùs perfectæ exequutioni mandatum, partim quòd sperauerimus pontificiæ Religionis vsum & exercitia, omninò secundum R. M. Assecurationem, sine vlteriore aliquâ sollicitatione sublatum iri; partim per se ruinas & occasum petituram, velut iustum fuißet: Verùm cùm minimè id factum sit, sed indies maiora incrementa capiat, & quod magis & peius est, nonnulli inquieti ex eâdem Religione plurimas vsurpent minas; Quod profectò secundum regiam illam Aßecurationem, hoc tempore potißimùm, plurimùm

mùm nos permouit, vt præfatum R. M. promissum, prorsùs velut ad litteram sonat, sine diuturniore morâ prosequeremur, & legitimo vigori restitueremus. Itaq; approbamus & consentimus, vt cuncta Conuenticula, seu publica seu priuata à Pontificijs in hoc Regno hactenùs, aut alijs Sectis, quocunq; nomine gaudentibus frequentata prorsùs sustollantur, eorumq; Sacerdotes & concionatores relegentur, citra sex septimanas post hunc Conuentum ex Regno discedentes; Siquidem inquietè sese gesserint, nihilq; in hoc Regno habeant negotij, cùm pseudolatriæ indulgere & vacare non liceat illis inposterùm.

Neq; etiã vllus plebeiorum, huius vel alterius Sectæ, ab hac vniuersali nostrâ Religione alienus, ad aliqua Regni munera, eminentiora aut humiliora promouebitur; proindè neq; ullum salarium ex hoc Regno promerebitur & consequetur; Sed reditus in eiusmodi homines impensi hactenùs reuocabuntur; Attamen quamdiu quietè & tranquillè se gesserint, nulli prorsùs machinationi, aut iuniorum vel seniorum seductioni inuigilantes, jure Suetico, priuilegijs & libertatibus, illis sit integrum frui, secundum regiam Assecurationem, & velut Vbsaliæ in regiâ Coronatione approbatum & concessum fuerat: Si verò

 depra-

 deprahensum fuerit aliud, clàm aut palàm, poteritq; optimis rationibus probari, puniantur & velut cæteri ex Regno oblegentur.

Quantùm etiam attinet ad Monasterium Vastenense, cùm regiæ Assecurationis tenor sit, vt contra Augustanam confessionem, & Synodum Vbsalensem, anno 1593. celebratam, nihil prorsùs vllibi, siuè exercitio scholastico, siuè functione Ecclesiasticâ huic Regno bonis aut malis medijs obtrudatur, aut vllo pacto aliquod impedimentum Religioni nostræ struatur; Sed in his procedendum & tenendum, prout Regis Gustaui vltimo, & Iohannis Regis primo, (vterq; inclytæ recordationis) gubernationis tempore fuerat, ideò omnis abusus in præfato monasterio, eiusq; Inhabitatores omninò indè exterminandi.

Præterea quandoquidem Illustrissimus Princeps Dux Carolus, modò coràm omnibus Regni Ordinibus, velut etiam aliâs diuersis vicibus, non obscurè insinuauerit, quas molestias S. C. sustineat, & caussas quarum nomine in absentiâ M. R. huius Regni nequeat diutiùs gubernationem sustinere, nempè propter insignes aliquos defectus, quos oretenùs S. C. aliquoties, atq; etiam illo scripto quod S. C. nunc in nostrâ præsentiâ apposuit, enumerauit, proindè cupiat S. C. *Regi-*

Regiminis huius molestiâ liberari, nisi his grauaminibus S. C. aliqua poterit emendatio conciliari; Quamobrem cùm S. C. huius Regni Princeps sit hæreditarius, cui etiam plurimum incumbat, vt Regni negotia benè & ordinatè procedant, ideò humiliter modò postulauimus, nè S. C. (prout R. M. Dominus noster & Rex clementissimus ipsemet desiderauit) concredito ità inposterùm velut hactenùs, vnà cum Regni Senatoribus, Regimini & eius negotijs prospicere grauetur, in R. M. (cui Regnum vniuersum fidelitatis juramento obstrictum) & Successorum, Fratris q; minorennis, & vt vno verbo dicam, tàm Regalium quàm Ducalium hæredum, secundum pacta hæreditaria & successionem, emolumentum atq; commodum; Velut etiam vt Regni Subditi atq; Inhabitatores jure Suetico, libertatibus, & legitimè acquisitis fruantur priuilegijs: Atq; cùm S. C. denuò consenserit, se Regimini manum admouere velle vnà cum Regni Senatoribus, proindè vnanimiter & peculiariter nos Regni Ordines, Ecclesiastici & Politici, Nobiles & plebeij, summi atq; infimi promittimus, quantùm nobis possibile, S. C. pro nostro Præside & Regni Gubernatore, in absentiâ M. R. & quousq; R. M. in Regnum suum redierit, in emolu-

V 3 *men-*

mentum R. M. & Regni agnoſcere atq; obſeruare velimus, exhibendo S. C. omnem legitimam obedientiam, fidelitatem & prompta obſequia, proq; noſtris perſonis S. C. Regni Gubernatorem compellando. ac ſalutando; Tamen minimè in præiudicium eminentiæ & iurisdictionis regiæ, & ſecundum eam litterariam Transactionem inter S. C. & Regni Senatores priùs approbatam: Quocircà quicquid Regiminis negotia in hoc Regno attingit, & alicuius momenti fuerit quod R. M. hîc expeditum cupit, S.C. inprimis & Regni Senatoribus præ alijs omnibus perſcribetur; Si ſecùs autem fieret, quiscunq; tandem ille eſſet qui eiusmodi Commiſſiones obtineret, nullam habebit poteſtatem, in ijs aliquid ex proprio conſilio ſtatuēdi & expediendi, priusquàm Illuſtriſſimum Principem, & Ordinem Senatorium huius nomine compellauerit, qui poſtmodùm ſine dubio id facturi & ordinaturi, quod R. M. & Regno, pro vtriusq; Iuramento vtiliſſimum & commodiſſimū eſſe poterit.

Pari ratione concluſum eſt, nè ſuper Sueciæ negotijs in Poloniâ determinatio et reſolutio quaratur ac poſtuletur, R. M. hoc pacto moleſtando; Potiſſimùm cùm R. M. eorum virorum apud ſe non vtatur operâ, quibus R. M. Sueticorum negotiorum

gotiorum expeditionem committere poßet: Quamobrem omnes Proceßus juridici, grauamina & querelæ in Regno secundum jura Suetica, & illud mandatum anno 1593 Vbsaliæ super hac re publicatum, quod R. M. ipsamet confirmauit, examinabuntur & definientur; Neque in Poloniam reijcientur, aut indè judicium vel resolutio aliqua exigetur: Si verò hac ratione quispiam se grauatum censeret, ad Regium prouocet aduentum; Sicut neq; regia sententia in exteris lata, ad aliquā hîc exequutionem acceptanda; Aliâs nemini sit prohibitum, R. M. super priuatis negotijs, & alijs rebus legitimis & rationabilibus, in nullius præiudicium, eorum præsertim qui Regni Gubernaculo aßident, inuisere & compellare; Ità tamen vt R. M. Diplomata & Mandata, S. C. in primis, & Ordini Senatorio, velut commemoratum est, inscribantur & offerantur, nulli alteri immediatè horum expeditione commißâ.

Quod autem spectat ad Regni officia, vbi neceßitas postulauerit, liberum sit S. C. cum Senatorio collegio, aliorumq; primariorum Ordinum, (quos negotium attingit) consilio et consensu in absentiâ R. M. de talibus personis circumspicere, ità tamen vt Regij & Reipub. proprij, juramentoq; obstricti viri atq; seruitores, Regni munijs & officijs

ficijs præficiantur, ratioq; seriâ habeatur personarum veterum & benè meritarum; Sicut neq; primaria Regni munera vlli plenè committentur, priusquàm illius Ditionis Inhabitatores, vbi eiusmodi officialis requiritur, aut etiam aliâs quos illud negotium attingit, libera habuerint suffragia, tribus Candidatis constitutis, prout Iura Suetica in quæ R. M. jurauit, de eiusmodi primarijs muneribus aliquo modo loquuntur; Attamen velut regia Iuris dictio postulat, meritò R. M. de Candidatis significandum, ex quibus vnum Rex consentiat, quicunq; illorum tandem R. M. placuerit. Atq; si deprahensum fuerit R. M. legitimas aliquas, aut rationabiles contra eos non habere caussas, & nihilominùs Candidati approbationem procrastinetur, in Regni fortè & Regiminis insigne aliquod detrimentum, potestatem habeat S. C. interim vnius, ex tribus illis Candidatis operâ in præfato munere vtendi; Non tamen eos munere exuendi officiales, quos R. M. coràm officio præfecit, nisi contra illos legitimæ rationes fuerint inuentæ, quæ justè & penitiùs inspiciendæ examinandæq;, vt melius dignoscatur an eiusmodi officiorum jacturam sint promeriti; Neq; ullus ad plura promoueatur officia, quàm benè & cum vtilitate Regni sustinere poterit,

Nos

Nos vicissim Carolus Dei gratiâ, Regni Sueciæ Princeps hæreditarius & Gubernator, Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ Dux promittimus, nos diligentiam omnem adhibituros, vt Regni negotijs vnà cum Senatorio ordine, tàm spirituali quàm sæculari modo, eâ sollicitudine & fidelitate pro ingenij nostri tenuitate prospiciamus, velut R. M. secundum Regni huius commoditatem vtile, charissimæ Patriæ nostræ, & illius Ordinibus fidelibusq; Subditis salutare; proficuumq; omnimodè cognouerimus; Quò vnusquisq; in purâ Euangelij Religione, inprimis secundum Augustanam Confessionem, & illam fidei Transactionem Vbsaliæ institutam; Sicut etiam secundum Iura Suetica, illaq; Priuilegia, Prærogatiuasq; conseruetur & protegatur, quæ vnus quisq; pro suâ conditione â Regibus antecessoribus & Gubernatoribus habet, ac iure consequutus est: Nec minùs Regnum Sueciæ, eiusq; negotia consilio Senatorum gubernabimus, omninò pro tenore juramenti, quod R. M. Vbsaliæ in Coronatione suis præstitit subditis, & in scriptis assecurauit, nosq; ex optimo & syncero ingenio cognouerimus, atq; putauerimus R. M. vtile, et Regni Ordinibus atq; Subditis esse emolumento, tàm spirituali quàm corporali modò,

X *prout*

 prout coràm Deo, R. M. et Regni Ordinibus, Deo auxiliante, respondere cupiamus.

Quicquid etiam nostro, & Senatorum libero consilio (quod sine omni indignatione liberum illis erit communicare) approbatum & conclusum fuerit, (vt neq; nos in rebus magni momenti ad Regnum, et Regimẽ spectantibus, citra Senatorum calculos quicquàm prorsùs statuemus) hoc vnanimiter propugnabimus & defendemus, vt firmum & irreuocabile modernis, & futuris temporibus seruetur, ac deinceps omnes pro vno, & vnus pro omnibus illud profiteamur, atq; tueamur, si progreßu temporis ità exigatur & postuletur. Deniq; quòd hanc Transactionem, commemorato modo sponte instituerimus & approbauerimus in S. M. Regis nostri clementißimi emolumentum, Regni, Inhabitatorumq; prosperitatem, atq; eam prout hic manifestè secundum litteram in omnibus punctis sonat, inuiolabiliter obseruare velimus, sine regiæ eminentiæ, & jurisdictionis, prout Iura Suetica exigunt, & juramenti nostri præiudicio atq; violatione, nos Carolus Dei gratiâ, Princeps Regni Sueciæ hæreditarius & Gubernator, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ, nosq; præfati Regni Ordines, his sigilla nostra apposuimus, et manu pro-

priâ

priâ subscripsimus. Atq; si nos, aut alij hic præsentes, aut absentes, qui hunc Conuentum non accesserunt, (quod ex inobedientiâ quâdam, aut peruicaciâ factum esse non arbitramur) hæc præfata vnà nobiscum approbare recusauerint, quæ hic conclusa in R.M. & Patriæ commune bonū (de quibus, Comitijs finitis, in omnibus prouincijs significandū) cùmq; prauiâ informatione, et admonitione, legitimas his in contrarium non obtenderint rationes, quòd etiam illis liberum est futurū, nos illis sanè prorsùs nuncium remittemus, atq; pro Regni inquietis, & disiunctis membris eos ducemus: Quicunq; etiam his partibus sese non aggregauerint, si in Regni summis officijs fuerint cōstituti, publicam authoritatem, atq; potestatem illorum diminui curabimus, prout omnes vnanimiter juri, & rationi consentaneum judicauerimus, nè Regnū Sueciæ hinc alia detrimēta, atq; dissensionū fomenta concipiat: Similiter qui ab hac nostrâ generali, liberâ, & vnanimi Transactione exorbitauerint, siuè propter Magnatum gratiam, propriam vtilitatem, aliasuè caussas, quocunq; nomine tandem dictas; siuè etiam suam operam ad hoc detulerint, vt contra hæc de quibus S. M. Regnum assecurauit, et in quibus hæc nostra Transactio fundata, vis quæpiam, â quocunq; tandem illa obtrudi pos-

di poßet, afferatur, palàm aut clanculùm, eòs ducemus pro R. M. infidis & Regni tumultuosis, infidelibusq; viris, atq; Patriæ perditoribus, in eorum persequutionem, & propulsationem pro virili auxiliantes. Datum Sudercopiæ 22. Octobris, anno 1595.

His Comitijs potentißimus Princeps Dux *Carolus*, Regni *Sueciæ Gubernator designatus est; Quandoquidem nobis impoßibile, & intolerabile sub tali viuere* Regimine, *vt contra* Iura *Suetica, quouis* Prouinciarum *angulo, nouo velut* Regi *pareremus:* Itaq; *licet præfata* Comitia *in emolumentum Sigismundi* Regis, & Regni *Sueciæ maximum fuerint instituta, vt hac ratione quàm commodißimè omnis inordinatio de* Repub. *eliminaretur, imò & multis infortunijs anteuerteretur, ac præueniretur, quæ in foribus eße, & progreßu temporis imminere euidenter licuit videre; Id quod sanè deinceps non sine grandi incommodo nostro, horum* Comitiorum *decisione non obseruatâ, prô dolor, experti sumus:* Nam Rex *Sigismundus hæc memorata* Comitia, *cum maximâ S. M. vtilitate coniuncta, impedire & ad nihilum redigere summoperè nitebatur, quâ litteris suis patentibus, quà minis & pollicitationibus, magnisq; præmijs* Regni Ordines *à commemorati* Conuentus *obseruatione auocans atq; deterrens;* Illis *quippè* Rex *seriò & seuerè suis* Diplomatibus *mandauit, nè præfata* Comitia *frequentarent, si summam illius indignationem cuperent effugere, quibusdam magnis promißis ad regias partes pertractis:* Verùm *cùm* Regni Ordinibus *luce meridianâ clarius constaret, maximam rerum inordinationem, in quauis* Regni Ditione *emerßiße, illamq; operæprecium eße maturo consilio emendare, ideò ad indicta* Comitia *certatim* Indigenæ *confluxerunt, pluris facientes vniuersale commodum* Patriæ, *quàm regia* Mandata *in detrimentum* Regni *diuulgata.*

Siquidem omnibus fermè liquidò constabat Comitiorum *scopus vtilißimus, quòd in illis videlicet aliud nihil tractàndum, quàm quod* Patriæ *vtilitatem solùm spectaret;* Quanquàm *plurimi* R. M. *adhærentes, & præcipuè* Finnones *multi, commemoratis* Comitijs *non interfuerint*

fuerint, cùm in eâ Prouinciâ, pro voto regiæ magis successerint machinationes in perniciem nostram, quàm in Regno Sueciæ; Etenim (Deo laus in æternum) plures hic inueniebantur, ità emunctæ naris, vt non difficulter intentionem Regis Sigismundi, eiusq; Consiliariorum, propediè ad opus perducendam, potuerint subodorare: Verùm nec solùm hunc Conuentum Regno Sueciæ fructuosissimum, suis litteris Rex Sigismundus frustrari conatus; Sed etiam eâdem operâ nefariâ, in Finlandiâ grauissimum tumultum, dissensionemq; suscitauit; Imò adeò sanguinolentum bellum, tyrannide Claudij Flemmingij ibidem commouit, vt in illo aliquot millia insontium rusticorum, Coronæ Tributariorum, dùm sese inauditis illis exactionibus, & militum stationibus Finlandicorum opponerent, miserrimè sint trucidata: Copiosissimus namq; miles ille erat, Indigenis longissimo tempore sustentandus, quem Rex Sigismundus machinationibus dolosis Claudij Flemmingij, Aruidi Erici, & Axelij Kurck ad sua castra pertractum, in Patriæ perniciem decreuit propediem armare atq; instigare; Cùm verò eiusmodi Subditorum grauamina in Finlandiâ Regi Sigismundo insinuarentur, illas parui pendit querelas, nullâ prorsùs emendatione constitutâ, donec Subditi & militares copiæ vtrinq; exacerbati, in mutua ruerent vulnera & internecionem, vt plurimi Coronæ Tributariorum, non solùm omnium bonorum iacturam perpessi; Sed vitæ etiam vsurâ priuati; Quandoquidem Incolas miles impius possessionibus primò spoliauerit, vndè multitudo plebeculæ ad vim vi repellandam prouocata; Ideò exercitus pro voto rapinis indulgere sibi non integrum animaduertens, in promiscuam & inermem, simplicemq; multitudinem rusticorum, armis instructissimus irruens, Duce Claudio Flemmingio eiusq; Commilitonibus, illam miserrimè trucidauit, atq; in rotas, prô nefas, egit.

Hæc autem Rex Sigismundus adminiculo Claudij Flemmingij facinora, cùm in Finlandiâ perpetrasset, nimirùm ingenti tumultu ibidem excitato, multis Incolarum millibus trucidatis, superstitibus diuexatis exactionibus inauditis, contra regium suum Iuramentum, & Iura Suetica, non multo post Comitia Sudercopiæ celebrata tempore, suos in Sueciam Legatos expediuit, nempè Comitem Ericum de Visingsborg, & eius auunculum Aruidum Gustaui, cum Stanislao Dzialinsky, Stanislao Czykousky, & Nicolao Sapieha; Qui Polonorum Legati

 in suâ

 in sua Oratione, Illustrissimum Ducem Carolum, nunc Regem nostrum clementissimum, & Regni Sueciæ Ordines, qui Comitia Sudercopensia frequentarunt, illorumq; Decisionibus consensum præbuerunt, infidelitatis erga Regem Sigismundum grauissimè incusarunt, prout sequens Legatorum Oratio testimonium perhibet.

Oratio Legatorum Regni Poloniæ.

Nihil vnquàm naturam (miram aliàs operum suorum artificem) oculis hominum arctiore coniunctionis necessitudine compactum exhibuiße, membris corporis humani proprij sui capitis iudicio & imperio subiecti ac directi, diffitebitur opinor nemo, Princeps Illustrissime, Senatores ac Consiliarij prudentissimi, cæteriq; viri ornatissimi: Tàm arctam enim eorum coniunctionem, talem voluntatum consensum, mutuam cointelligentiam, miramq; sympathiam eorum experimur profectò in nobismetipsis indies, vt ex ijs vel minimi Articuli periculo commota membra alia, ad ferendum eidem mutuum statim conuolent auxilium. Quanto verò maiore curâ & solicitudine eò intenta diriguntur omnia, vt capitis sui dignitatis & salutis conseruandæ præcipuam habeant rationem; Idq; ideò maximè, quia non ignorent, ex capitis vti directoris & Domini sui salute, consilio, prudentiâ, dignitate, authoritate, salutem communem, dignitatem, fælicitatemq; totius corporis dependere: Econtrà, languente capite, & suâ ex præeminentia moto, vel à suis membris in minimis destituto, languere omnia, turbari ordinem eorum, sequi certam post totius corporis ruinam, ac interitum indubium, Naturâ vel ipsâ, ac post quotidianâ, (rerum Magistrâ) experientiâ edocta non ignorent.

Nihilo dissolutiore aut remissiore coniunctionis compage, Regnorum ac Rerumpublicarum conciues & populi, vnius Principis imperio subiectos, inter se (si aliâs saluam eße cupiunt Rempublicam) cohærere debere. Hoc admiratione digno, prudenti ac prouido naturæ officio admonentur ac edocentur omnes facilè; vt amoris concordiæque vinculis, quasi concatenati eße videantur, pacem, tranquillitatemq; perpetuam inuicem alant, nihil periculi alteri eorum immittentes, cùm suum periculum iudicent, illudq; pro virili ope, consilio & auxilio propellant & auertant: Præcipuè verò, supremi sui Principis ac Domini, tanquàm capitis ac directoris totius corporis Reipublicæ, qui à regendo Rex dicitur, summam vt habeant curam & rationem, nè quid dignitati,

dignitati, authoritati, praeminentiæ ipsius decedat; Neuè Maiestatis ipsius Iuribus à quopiam hominum derogetur, diligenter prouideant.

Tantò magis in hoc sedulò & sollicitè elaborando incumbere debent, nè ab ipsismet Subditis, in exhibendis honoribus debitis, obseruantiâ, fide, obedientiâ, in omnis generis seruitijs præstandis studio Maiestati ipsius, vel minimùm desiderari possit, & quod absit eò longius, ab ipsismet Subditis aliquid horum detrahi; Cùm in Maiestatis ipsius Iuribus illibatè conseruandis, salutem totius corporis Reipub. consistere, ijs verò in minimis læsis & violatis, vel à quopiam (Subditorum præsertim quod absit) sibi ascitis, turbari ordinem totius corporis Reipub. sequi interitum & ruinam Regni illius indubiam necesse est: Non minus ac si manus vel pedes, capitis sui iudicio & imperio spreto, suis tantummodò quoduis eorum membrorum indulgeat affectibus, deserto certè ab ipsis capite, mox & ipsa languere, suis destitui viribus, ac post collapsa, interire oportere, quemuis ex sui ipsius proprij corporis dispositionis consideratione facilè colligere posse, nullum mihi inest dubium.

Nihilo dissolutiorem, minùsq; firmam coniunctionis compagem, amoris concordiæq; concinnationem, mutuamq; necessitudinem inclyto Regno Poloniæ, cum itidem clarissimo hoc Regno Sueciæ, Illustrissimi Senatores, et amplissimi Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ Ordines, intercedere non immeritò iudicant, ac certò apud se habent, Princeps Illustrissime, Senatores ac Consiliarij Regij prudentissimi, et viri ornatissimi: Eaq; non friuolis, sed firmissimis semper comprobata extitisse argumentis, ità existimant, vt antiquorum scriptorum voluminibus euoluendis exempla indagando, & tempus, omni preciosius auro, & aures Sueticarum historiarum peritiorum aggrauare operæprecium minimè esse arbitramur. Vnum duntaxat atq; alterum exemplorum, quæ mihi nunc ferè hæc facienti verba vltrò sese ingerunt, ac nè sicco (vt aiunt) prætercam pede, omninò admonent, inferam: Ac primò quidem non indignas memoriâ vestrâ iudico recolligendas, non vulgares certè amicitias, sed plusquàm fraternas coniunctionis necessitudines, inter VVladislaum olim Polonorum, & Ericum decimum tertium eius nominis Suecorum, Reges arctissimè semper habitas.

Ne qui-

Nec quidem deindè silentio prætereundas censeo, eiusdem Erici cum Alexandro VVladislai fratre, magni tùm Ducatus Lithuaniæ Duce, eiusdem arctitudinis amicitias coalitas, sanctißimè cultas ac inuiolabiliter semper obseruatas.

Occurrunt post tertio loco, eâdem serie, ipsius Casimiri, & re & nomine magni, Polonorum Regis, ac summâ meritò cum veneratione memorandi Principis, insignis pietatis ac verè regalis munificentiæ argumenta, olim Carolo Canuti eius nominis octauo Suecorum, Noruegorum, Gothorumq; Regi, nec non & Regno huic clarißimo Sueciæ abundè exhibita: Quem Carolum cùm à quibusdam, Daniearum tùm partium, Regno pulsum ac exulem septennio integro hospitio liberalißimè excepißet, condolens tandem iustitiæ amantißimus Heros, destituti omni ope Principis summâ iniuriâ Christiernum Danorum Regem, perduellium quorundam ope & auxilio fretum, Regno potiri: Etsi tùm grauißimis bellorum fluctibus exagitatus, ac varias in partes distractus, validißimâ tamen instructâ claße adiutum Regem exulem, Regno priùs ab hostibus & perduellibus, summâ quâ inter Principes viguit prudentiâ & regali, vel paternâ potiùs authoritate repurgato, ac ex ciuilium discordiarum salo, in portum tranquillitatis planè reducto, eidem Carolo, simul regali dignitate pristinâ ornato, tutißimam ac pacatißimam Sueciam restituit.

Sed quid antiquioribus conquirendis hæreamus? cùm nostra hæc iam ipsa tempora, nostra hæc ætas, satis superq; exemplis, quæ suppeditet, abundat: Quis Sigismundi primi (dicam non immeritò sanctißimi Principis, nè amplitudini eius, ac virtutum cumulis, minùs apto epitheto aliquid adimam, qui & pater Regum & Imperatorum ab ipsismet appellari sæpißimè consueuit) Sigismundi inquam primi Polonorum Regis, cum Gustauo olim Suecorum Rege magnanimo, arctißimas amicitias quis ignoret?

Aut cui hominum (nostri temporis) Sigismundi secundi, ac omni ex parte Augusti, cum (sanctæ memoriæ) nuperrimè vitâ functo, Iohanne tertio Suecorum, Gothorum, VVandalorumq; Rege Potentißimo simul ac prudentißimo, arctißimæ neceßitudines ac amicitiæ indißolubiles ignotæ eße poßunt? Certè antiquitùs ista pacta & fœdera, nec non post, & affinitates per contracta matrimonia inter

eosdem

eosdem potentißimos Reges, & Regna inliæ, firmißimis posteritatem edocere facilè poterunt argumentis; cùm inter eosdem ità coalitæ amicitiæ, exemplis ac monimentis hucusq; clarißimis confirmatæ sunt, ijsq; talibus, quæ et vberrimis fructibus & amplißimis vndequaq; scatent accesßionibus, ac exornatæ hucusq; relucent: Extant tot victoriæ, tot Trophæa de communi hoste Moscho, summâ cum vtriusq; gentis laude reportata: Præ manibus sunt & spolia opima & vberrima: Recuperatæ manu forti Prouinciæ amplißimæ: Tyrannidi barbaricæ multâ annorum serie expositi Conciues, ex iugo seruitutis vindicati, Libertati pristinæ restituti, Religione, Iuribus, Legibusq; sanctißimis exornati.

Sed ijs omnibus accesßit arctior multò, imò arctißimus, indißolubilisq; eorundem Regnorum concatenationis nodus, Sigismundus tertius, Sigismundus inquam tertius, Polonorum Suecorumq; Rex: Ac Rex certè magnus fauore altißimi, clarißimi Regni huius Succiæ: Imò vester inquam, Princeps Illustrißime, viri illustres, magnifici ac generosi: Vester inquam omnium alumnus, hìc à vobis educatus, & hæres, antiquißima Serenißimorum Regum Succiæ progenies: Infante, Poloniæ Serenißimâ, eâdem pientißimâ, eâdemq; Iagellonide susceptus, Princeps regalibus omnibus diuinitùs exornatus dotibus, vitæ sanctimoniâ, pietate, iusticiâ, prudentiâ, fortitudine, consilio, magnanimitate eximius: Ac ne virtutibus eius adæquare verba mea velle videar, vno duntaxat dicam verbo: Virtutum planè omnium exemplar est & norma: Subditis clemens, pius, mansuetus, benignus: Amicis amabilis: Hostibus verò (Angelo Domini exercitibus eius duce, hucusq; semper præuio existente, ac pedibus vncti Domini omnes hostes fælicißimè substernente) terror, pernicies ac interitus.

Hoc inquam Sigismundo tertio, Regni huius clarißimi Succiæ hærede, ac diuinâ fauente clementiâ, inaugurato coronatoq; Rege, quòd eiusdem altißimi sic præordinante prouidentiâ, communibus ijsdemq; liberis omnium ordinum Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ suffragijs electo ac coronato, vtriq; populi vtimur; eidemq; vtriq; populi paremus Domino, quòd hunc eundem Sigismundum tertium, habenarum Regni vtriusq; Rectorem & Moderatorem vnicum, diuinitùs datum & constitutum, vtriq; populi agnoscimus, veneramur & colimus,

 mus: Quis prudentißimè ac fœlicißimè hucusq; gubernante & regente (quod quidem vt fœlix faustumq; toti Reipub. christianæ, ac Subditis vtriusq; Regni, Sacræ Regiæ Maiestatis commodo ac emolumento, idq; quàm diutißimè, imò Nestoreis diutiùs annis, eidem Sacræ ac Serenißimæ Regiæ Maiestati & Domino, Domino omnium nostrûm clementißimo, eße velit Rector vniuersi, optimus maximusq;) in vnum iam quasi corpus, vtrumq; Regnum compactum ac coadunatum est: Vndè vti mutua salus, pax, tranquillitas, fœlicitasq; vtriusq; Regni, tàm Poloniæ quàm Sueciæ, tàm Ordinibus Regni Sueciæ, quàm Poloniæ pari curæ eße debet; Ità maximè & ante omnia, vt ipsius supremi, mutuiq; Principis dignitas, Maiestas, Regalia, Iuraq;, illibatè sarta tectaq; conseruentur, pari vtriusq; Regni Ordinum curâ & solicitudine prouideri & procurari debet, cùm Maiestatis ipsius iuribus, dignitate, præeminentiâ, per omnia saluis, salua vtriusq; Regni omnia: Illis econtrà suâ ex dignitate in minimis motis, salua vtriusq; Regni corpora nequaquàm eße, nec permanere poße, facilè quisq; iudicauerit.

Hæc igitur tàm arcta pientißimaq; tantorum Regnorum ad mutuam salutem, et tranquillitatem conseruandam, animorum, voluntatumq; coniunctio, iustum ac debitum S. Reg. Maiest. ac Domini Dni nostri clementißimi, dignitatis ipsius Regiæ illibatæ conseruandæ studium, tàm & innata semper genti Poloniæ fides, obseruantia, officiumq; debitum, nec non & iusiurandum ipsum, amplißimis Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ Ordinibus, caußa huius nostræ Legationis huc expediendæ præcipua, principalis ac eßentialis extitit.

Cùm enim in Conuentu Regni Poloniæ generali Varsauiensi, proximè Varsauiæ celebrato, fama publicè percrebuißet, Conuentum in hoc Regno Sudercopiæ habitum, ac quid in eo, & quoq; modo actum constitutumq; fuißet, scripto etiam in vulgus edito, ac in Regnum Poloniæ de industriâ perlato, ibidemq; sparso, publicatum fuißet, non prætermittendum illustrißimi Senatores, amplißimiq; Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ Ordines censuerunt, quin de totâ eâ re, quæ non solùm Regni huius clarißimi Sueciæ statum, sed & dignitatem Sac. Reg. Maiest. ac Domini, Dni vtriusq; nostrûm clementißimi, complecteretur & afficeret diligenter cognoscerent.

Quibus omnibus Articulis Transactionis Sudercopensis diligenter perpensis

perpensis & examinatis, rogabant S. R. M. ac Dominum, Dnum suum clementissimum, vt ipsius Maiestatis venia, hisce de rebus cum Illustrissimâ Cels. vestrâ, tùm & illustribus, Magnificis ac generosis Dominationibus vestris, vti Senatoribus Regni huius agere, itâ ut fraternæ charitati, quæ nihil perperàm agere consueuit, nec non & fraternæ beneuolentiæ aptum & consentaneum esset, liceret.

Neq; verò dubitant Illustriss. Senatores, amplissimi Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ Ordines, clarissimos Regni huius Sueciæ Ordines, in fide erga Sac. Reg. Maiest. ac Dominum, Dnum suum clementiss. et Principem hæreditarium, cui & naturæ & hæreditatis iure, atq; iurisiurandi Sacramento obstricti sunt, constanter vti debent permanere & permansuros esse, quemadmodùm etiam idipsum, in illo pariter Tractationis Sudercopensis scripto, palàm professi sunt; Tamen cùm sæpenumerò ex diuersis opinionibus, multa præter voluntatem deliberatam, & communem omnium, in alijs quoq; Regnis soleant obrepere, quæ vel Principum authoritati, vel Legibus ipsis vetustis, atq; adcò saluti publicæ repugnent: Itâ in illo quoq; Conuentu Sudercopensi, diffiteri amplissimi Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ Ordines, pro fraterno candore non possunt, multa quoq; eiusmodi interuenisse, quæ nisi maturo corrigantur consilio, grauem aliquam in hoc Regnum veteris Ordinis, iustiq; imperij perturbationem afferre posse videantur.

Initium talium perturbationum esse solet, cùm legitimo Domino præterito, ad Consilia publica, alieno vocatu conuenitur: Leges feruntur. Exactiones irrogantur: Formula gubernationis immutatur: Ministri Regij loco mouentur: Quæ Regiæ Maiestatis propria sunt, ea in alios transferuntur, quæ quidem omnia, quiuis vel mediocriter rerum Politicarum peritus, quantis illa sint periculis plena & obnoxia, facilè colligere ac diiudicare poterit.

Neminem autem in hoc clarissimo Regno Sueciæ esse, Illustrissimi amplissimiq; Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ Ordines censent, qui benignitatem S. R. M. ac Domini, Dni. nostri clementiss. atq; adeò in hoc paternum Regnum suum amorem ignoret, quiq; non facilè idcircò persuaderi sibi patiatur, ipsam R. M. Subditorum suorum rebus ac commodis quàm optimè prospectum esse percupere: Quin

imò etiam eandem R. M. *minimè Subditis suis* Conuentum *denegaturam, sed potius benignè authoritate suâ regali concessuram atq; indicturam fuisse, si vel res & actiones* Suetici Regni *publicæ, atq; adeò hoc tempore omninò, illum necessariò desiderasse viderentur; Aut certè illum prospexisset* R. M. *vt modus & ordo, legibus* R. M. *consentaneus, in eo obeundo seruatus fuisset.* Nullos *etenim* Conuentus *ritè & legitimè in Regnis obire posse, nisi consensu, voluntate, authoritate, imò & præsentiâ ipsorum Regum fulciantur, neminem certè inficias ire posse arbitror.*

Sed nihil certè quod ad statum Regni *istius, neq; ad veteres, vsitatasq; in* Sueciâ *leges & Instituta quicquam hoc tempore desiderari potuisse visum est: Prospexerat enim* R. M. *ac Dominus noster clementissimus, vt desiderata pax Regno suo paterno, ab hereditario hoste* Moscho *constitueretur: Domestica etiam ità ordinata reliquerat, vt hoc tempore nihil perturbationis, nihilq; detrimenti metui meritò debuisse videretur.*

Itaq; præter omnem spem & expectationem, cùm R. M. *ac* Domini *nostri clementissimi, tùm omnium* Regni Poloniæ, *magniq;* Ducatus Lithuaniæ *Ordinum, nullâ vrgente necessitate publicâ, (vti quidem ex ipsis eius* Conuentus *actis constat) is* Conuentus *Sudercopiæ habitus est. In quo instituendo, primùm legitimi* Principis, *ac inaugurati, coronatiq;* Regis *assensus & authoritas defuit, ac ità quidem defuit, vt etiam edicta, quò minùs fieret interuenerint, quæ tamen edicta, quemadmodùm & contra eius acta admonitiones & protestationes, minimè locum habuisse visæ sunt.*

Deindè verò, constituta sunt illic permulta, quæ R. M. *iura, dignitatem & superioritatem directè labefactare, ac quasi ex* Diametro *oppugnare videntur, quæ quidem in illo ipso* Constitutionum Sudercopensium *scripto, facilè in oculos hominum, qui non omninò lippiant, incurrunt, vt sunt: Præter institutum* R. M. *priuatâ authoritate* Conuentus *habiti: Arces in aliorum potestatem traditæ:* Diplomatum *regiorum sublata authoritas:* Moneta *alieno nomine percussa:* Appellatio *ad* S. M. *atq; adeò ipsa dignitas* Regia *multis modis circumscripta.*

Quibus omnibus diligenter reuisis, ac iustioris trutinæ examini subic-

subiectis, nec non quid talia periculorum secum vehant, optimè intellectis, Illustrißimi Reuerendißimiq; Senatores, ac Proceres, nec non amplißimi Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ, aliarumq; omnium Regno, Ducatuiq; adiunctarum Prouinciarum, Ducatuum ac Ciuitatum principaliorum omnium Ordines, Illustriß. Celß. vestram, nostris, Legatorum suorum verbis, obnixè ac instanter rogant & obtestantur, vt C. V. Sacræ ac Sereniß. Maiestatis Ius & dignitatem, in omnibus saluam, illæsam ac inuiolatam eße velit, id quod certè ipsius sanguinis tàm arctæ coniunctioni, C. V. debet, debet itidem & Regni istius hæreditarij saluti, quæ maximè dignitate Regiâ innititur.

Dominationes itidem vestras Illustres, Magnificas ac Generosas, vti Consiliarios Regni huius hæreditarij R. M. quorum fidei, prudentiæ, vigilantiæ, cura eiusdem à R. M. demandata, ac concredita est, fraternè ijdem Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ amplißimi admonent, rogant & obtestantur Ordines, vt ipsi quoq; omnes in Serenißimum ac hæreditarium Principem, Regemq; suum coronatum, eundemq; semper clementißimum, officiorum suorum fideiq; partes diligenter expendunt; Quæ certè eò præcipuè directæ eße debent, vt dignitas, præeminentia ac Iura Maiestatis salua & illæsa conseruentur. Si qui verò sint (quod quidem in magnis Regnis difficilè est aliquandò euitari) quos res nouæ, mutationesq; delectant, eos priuatorum commodorum de caußâ, publica peruertere velle statuant, neq; persuasionibus eorum, quibus tanquàm validißimis arietibus, animos hominum quaßare ac concutere solent, locum dandum eße censeant; Imò illis potiùs tanto fortius resistant, vt talento sibi diuinitùs, & à S. R. M. concredito, gnauiter se negociatos fuiße ostendant, ac toti mundo palàm re ipsâ attestentur.

Periculosißimæ etenim, imò vt magis propriè dicam, perniciosißimæ sunt Regnis omnibus mutationes, præsertim eæ quæ legitimi, hæreditarijq; Principis, ac supremi Domini, coronatiq; Regis Iura peruertere, ac violare nituntur: Quæ certè, nisi etiam Maiestate ipsâ diuinâ, per quam Reges regnant, & potentes iura decernunt, violatâ, nequaquàm violari, nec poße nec debere. Certum eße, Galliarum florentißimum ac Potentißimum Regnum à triginta sex: Belgium quondam diuitijs tumens à viginti septem (nisi me fallit memoria) annis,

aßiduis armorum ciuilium ſtridoribus, in proprijs graßantium viſceribus excruciatum, turpi madens cruore, ſqualitum, diſcerptum, deſolatum, ac penè humi proſtratum, exempli loco ſatis eſſe, prô dolor, oculis noſtris lugendum ac gemendum exponunt. Verumenimuerò talia quidem ab initio homines vafri non ſolent apertè aggredi, ſed ſenſim ex ijs, ac minutim ſemper aliquid decerpere, vt ità non ſentientibus, imò ne fucum quidem ſubolfacientibus fidelibus ſubditis, cuius generis cuniculis paulatim ſubactis, totum poſteà Regni ſtatum facilius conuellant, ſuaúq; opes & potentiam firment.

Debere hoc it ꝙ *Illuſtrißimam Celſitudinem veſtram, debere illuſtres, magnificas ac generoſas Dominationes veſtras, pro amore debito in Patriam, amore, fide, atq; obſeruantiâ in R. M. Dominum ac Principem ſuum hæreditarium, Regem coronatum, eundemq; ſemper clementißimum, talibus conatibus obuiam ire, eaśq; leges, conſtitutiones, ac tales confœderationes, quæ R. M. Domini ac Principis Regni huius hæreditarij, Regisq; coronati, dignitati, præeminentiæ, ac regalibus Maieſtatis Iuribus, planè ſunt contrariæ, eáq; directè, quaſi ex Diametro oppugnant, penitùs abrogare & abolere, ijsq; malè iam cæptis conſilijs, pro ſuâ, quâ in hoc Regno pollent & prudentiâ & authoritate, exemplò curſum reflectere, nè ijs debilitato quodammodo capite, poſteà totum Regni corpus malè habeat.*

De Sacrâ quidem ac Sereniſsimâ Regiâ Maieſtate, ac Domino, Dno omnium noſtrum clementißimo, Illuſtriß. Celß. veſtrâ, ac Illuſtres, magnificæ, generoſæq; Dominationes veſtræ, certò certius ſibi perſuadere & polliceri velint, quòd etſi hoc tempore R. M. grauißimis, ac certè opinione multò grauioribus curis, de vniuerſæ Chriſtianitatis commodis promouendis & procurandis diſtenta ſit; nunquàm tamen Regni huius ſui hæreditarij curam intermittet; Et tanto minùs Iura ſua ſupremæ Maieſtatis, ab vllo vnquàm hominum refringi, labefactariq; patietur; Ea verò quæcunq; ſaluâ dignitate, Iuribusq; regalibus, fideles Subditi, ritè & ſuo ordine, à S. R. M. humillimè expetiuerint, illa omnia, omni procul dubio, quæ illorum commodis augendis & propagandis ſeruire videbuntur, R. M. pro ſuâ innatâ benignitate, ac munificentiâ regali, præſtabit ſemper libentißimè.

Ipſa verò interim Illuſtriß. Celß. veſtra, ipſæq; illuſtres, magnificæ

ficæ ac generosæ Dominationes vestræ, amore debito, obseruantiâ, fidelibus studijs & obsequijs, eandem S. R. M prosequi debent; Ac certè meritò. dùm quidem vos S. M. nullâ re aggrauat, quin imò potiùs, quorundam etiam in se offensas (ac quidem quòd à suis, à quibus minimè lædi oportuit, profectas, tanto poitatu grauiores) Regio tamen planè animo (qui proniores in humanitatem, quàm sæuitiam semper esse, & debent & solent) Regali inquam (ac certo affirmo) animo eas perferens, modò erroris emendationem videat, clementissimum Principem, ac magis certè patrem benignissimum, sese cuiq; Subditorum suorum & nunc præbet, & futurum liberalissimè pollicetur: Communibus verò Christianitatis rebus, in quibus etiam clarissimum hoc Regnum Sueciæ continetur, summo conatu ac studio, magnisq; assiduè ijs inuigilando consulit laboribus.

Quemadmodùm itaq; de Illustriss. Celss. vestræ, ac de Illustriss. magnificarum & generosarum Dominationum vestrarum, nec non de omnium amplissimorum, clarissimi huius Regni Sueciæ Ordinum amore debito, fidelitate constanti in S. R. M. ac Dominum, Dnum omnium nostrum clementissimum, nihil planè Regni Poloniæ, magniq; Ducatûs Lithuaniæ, amplissimi dubitant Ordines: Quin imò potiùs de ipsâ Celss. vestrâ, ac de Dominationibus vestris Illustribus ac magnificis, Regniq; huius Ordinibus omnibus, optima quæq; semper sibi pollicentur: Ità eundem quoq; suum esse, ac permansurum semper in S. R. M. ac Dominum, Dnum suum clementissimũ, constantem, immotum ac immobilem animum, amplissimis Regni huius Ordinibus omnibus certò constare desiderant & percupiunt.

Quem quidem suum animum, vt semel iam satis superq; attestati sunt, dùm sponte voluntateq; suâ, Regno ad S R. M delato, illi ipsi fortunas, libertates, vitam imò & ipsam liberalissimè deuouerunt; Ità & nunc quoq; pro Maiestatis ipsius dignitate, salute, Iuribus regalibus, omnia ea, ac charissima quæq; pro more gentis Poloniæ, quæ Principum suorum dignitatis vindicandæ caussa, vitam contemptui semper habuerat, impendere sese esse semper paratissimos profitentur, idq; tàm coniuncti, ac mutuis cum Celss. vestrâ, & Illustribus, Magnificisq; Senatoribus, nec non cæteris omnibus Regni huius Ordinibus, tàm coniunctis inquam & animis & consilijs & auxilijs, quàm

& si-

 & sigillatim ipsi quoq; per se omnes Regni Poloniæ*, magniq;* Ducatus Lithuaniæ*, aliarumq; Regno, Ducatuiq; adiunctarum Prouinciarum, Ducatuum, nec non &* Ciuitatum *principaliorum omnium Ordines amplissimi, Sacræ ac Sereniss.* Regiæ Maiestati *ac Domino suo clementissimo, promptitudinem fidei, seruitiorum, ac subiectionis suæ lubentissimè ac liberalissimè semper offerunt, & pollicentur, hac nostrâ præsenti attestando Oratione, se quodcunq; ad vindicandam vel minimam suæ Maiestati, &* Regio *ipsius nomini illatam iniuriam pertinere videbitur, nihil quicquam in se desiderari vnquàm passuros esse;* Quod *itidem Illustrissimi,* Reuerendissimiq; *Senatores, nec non & amplissimi* Regni Poloniæ*, magniq;* Ducatus Lithuaniæ *Ordines generaliter omnes, de Illustrissimâ Celss. vestrâ, ac inclyti* Regni *huius Sueciæ, ornatissimis* Ordinibus *omnibus, certissimè sibi, imò omni semotâ tergiuersatione, indubiè pollicentur.*

Quod *superest, obnixè ac instanter petimus, vt ad singula* Legationis *nostræ capita, scripto authentico, responsum obtinere possimus, cùm id nostra permultum interest, vt amplissimis* Regni Poloniæ*, magniq;* Ducatus Lithuaniæ *Ordinibus, à quibus præsentis* Legationis *munus, non grauatè obeundum suscepimus, nos summâ fide & diligentiâ mandata eorum obiuisse, comprobare responso possimus authentico, ab Illustrissimâ Celsitudine vestrâ, ac Dominationibus vestris illustribus ac magnificis, amicè & fraternè in manus nostras consignatum.*

PAri *ratione* Comes Ericus*, &* Aruidus *Gustaui, nonnullos aduersus Illustrissimum* Ducem Carolum *Articulos attexuerunt, in quibus plurimæ* S.C. *obijciebantur iniquè criminationes; Ideò à Serenissimo* Duce Carolo *eodem tempore refutatæ, prout ex sequentibus manifestum euadet paginis;* Verùm *criminationum tenor eiusmodi est.*

Criminationes à Comite Erico S.C. iniquè obiectæ.

SI *eorum recordamur, quæ proximo die* Saturni *de punctis & articulis in Instructione* Legatorum Serenissimi Regis *contentis proposita sunt, hoc quidem præcipuum fuit, quòd nimirùm Illustrissimus* Princeps *satis in mentem reuocare poterit, quàm frequenter* R. M. *post transactam* Coronationem*, tàm per internuncios quàm per litteras, cum* S.C. *agi curauerit, quibus rationibus* Regni *sui hæreditarij* Sueciæ *gubernatio in* S. M. *absentiâ institueretur, quemadmodum ea etiam quæ-*

stio

stio inter Regem, Senatumq; Regni diu multùmq; sit disceptata: Vnde tandem eò res deducta est, vt forma quædam Gubernationis ab ipsâ R. M. subscripta, & consignata sit, quæ posteà Illustrißimo Principi, sicut & Senatoribus ipsis exhibita fuit.

Quanquàm verò Serenißimus Rex; & statim & deinceps non secùs cogitare potuit, quàm vt dicta ordinatio ità eßet composita vt nihil in ipsâ desideraretur, quod alijs saluâ Maiestate à se permitti poßet, & ad Regni emolumentum ac salutem spectaret: Quapropter oportuißet Illustrißimum Principem eâ optimè contentum fuiße; Sed tamen cognouerat R. M. partim ex Legatis, partim ex litteris diuersis temporibus datis, non solùm non illi Plenipotentiæ acquiescere, sed etiam pleniorem potestatem postulare, quàm cùm ipsi Serenißimus Rex, non absq; euidenti S. M. Regijq; nominis eleuatione, ac detrimento permittere potuit; Ideò R. M. se hoc facere non poße decenter excusauit, fraternè, amanter, & grauiter monens, vt vlteriori eiuscemodi petitionis molestiâ liberaretur, & potiùs acquiesceret illâ Plenipotentiâ, quæ Principi in formâ Regiminis priùs est à R. M. directa; Præsertim cùm ipsius vigor, non vsq; adeò erit diuturnus, quandoquidem cogitet Rex, Deo remige & auspice, quamprimùm ad nos reuerti, vt sic præsens statuat & disponat de rebus omnibus, quæ neceßariæ eße, & reformatione aliquâ indigere videbuntur. Sed cùm Illustrißimus Princeps nollet eam rem in tantum tempus differre, & moram reuersionis Serenißimi Regis valdè impatienter ferret, atq; ideò excitaret Ordines Regni ad Conuentum Sudercopiæ cogendum, vt per eorum suffragia ampliorem gubernandi potestatem adipisceretur; Vehementer igitur displicuit Regi, quòd Subditi, qui iuramenti Religione ad S. M. fidem adscripti sunt, contra illius edictum vocati eò confluxerint, & quidem eo proposito fine, vt quid contra M. R. æstimationem concluderetur: Cuius rei cogitatio, Serenißimum Regem non mediocriter vrit.

Sed tamen vt tàm Illustrißimus Princeps videat & cognoscat, quâ constantiâ Serenißimus Rex velit & desideret, vt mutuus ille fraternitatis respectus, & illud beneuolentiæ vinculum, quod ipsa Natura, & sanguinis propinquißima ratio illis imposuit, sanctißimè conseruentur: Quàm etiam vt omnes Regni ordines cognoscant, quàm sollicitè desi-

 deret

 deret R. M omnes confusiones, quæ in Repub. oboriri poterunt, ex quibus Regnum in nonnullum discrimen vocari & adduci posset, salutaribus, iisdemq; tempestiuis remedijs præueniri: Complacuit eâ de caussâ, præter Regias hortatorias litteras, amoris plenissimas, etiam per Legatos plenis mandatis interpellaretur & caueretur, vt supremis dissidiorum facibus, & motionum occasionibus sublatis, acquiesceret Regiminis ordinationi, quam Serenissimus Rex nobis, patriâ excedens tradidit & reliquit; iisq; omnibus abstineret, quæ contra fore putarit, præsertim cùm multa habeantur inter Decreta Sudercopensia typis excusa, quæ videntur spectare ad crimen lesæ Maiestatis, iis præcipuè violatis, quæ ex placitis Suecanæ Legis, soli Regi competunt, quæ Sereniss. R. M. sibi, & posteris cogitat vsurpare, & tueri, eiusq; generis Regalia, succedentibus Regibus ità prorsùs relinquere, quemadmodùm ea ex Maioribus, S. M. tradita sunt & nuncupata. Cuius dignitatis tuendæ gratia, Subditi secundum Leges Sueticas, & concepta iuramenta, atq; suffragia, obnoxij sunt & obligati.

Debent itaq; prædicti Legati, summâ prudentiâ & studio, eô sententiæ Illustrissimum Principem perducere, vt prorsùs velit antiquata quæcunq; in Conuentu Sudercopensi contra anteactam ordinationem decreta esse consciuerit, & Statutis priùs à Rege datis adhæreat, & acquiescat, atq; habeantur illi Ordines & officia, quæ in iis constituta sunt, debito in vigore.

Vectigalia Regni, à Cameræ præfectis, aliisq; in eam rem ordinatis, colligantur, & ab iisdem iuxta Sereniss. Regis præscriptas rationes, & litteras vnicuiq; datas, expendantur.

Officiarij omnes, in functionibus attributis persistant, & restituantur remoti.

Omnes quæ Coronæ sunt Arces, Præsidia, Ciuitates, Prouinciæ & Dynastiæ, vt & cætera omnia, Seruitoribus R. M. iuratis olim commissa, iterùm illis pateant & commendentur; quandoquidem ex ipsis qui ad earum rerum administrationem vtiles existunt sanè, eorum copia non modica existat. Illustrissimi verò Principis ministri remoueantur administratione Regni, neq; ex publicis Coronæ bonis alantur, aut vlla stipendia faciant.

Sic & Patrocinia per litteras Regias, quibusuis personis facta & collata,

collata, secundum Legis Suecanæ authoritatem, pro ratis sanctè & reuerenter habeantur, vt nè quis caußa non legitimè cognitâ ac disceptatâ, in carcerem, vel aliud quoduis supplicium per vim rapiatur.

Omnia Ciuitatum, aliorumq; iustè acquisita Priuilegia, debito sint in rigore, & respectu, vt si quid ijs contrarium fuerit, repudietur & abscindatur.

Inusitata onera, exactiones, structuræ, & sumptus qui hospitaliter exigi consueuerunt, absq; singulari Regis permißione & mandato, Subditis non imperentur.

Veteranis Seruitoribus Aulæ, vti sunt Equitibus, Cursoribus, Armigeris & cæteris decenter ac debitè persoluatur, quiq; ad seruiendum ampliùs inutiles non fuerint, necessarijs sumptibus sustententur.

Porrò cùm Titulus ille, qui Illustrißimo Principi, nomine iuris hæreditarij nuncupatus est, tàm apud Exteros quàm inter Nostrates, multò sit magnificentior et laudabilior illo, nuperè ex Decretis Suder-cepianis adscititio, quo Illustrißimus Princeps sese inscripsit Gubernatorem Sueciæ; Et cùm ille ambiguitatem pariat, siquidem ab omnibus similiter non intelligatur & accipiatur, eius igitur vsu nihil penè accedit vel decedit Illustriß. Ducis Plenipotentiæ & authoritati. Debent igitur Legati id potißimùm elaborare, vt Illustrißimus Princeps omittat & renunciet Titulum Gubernationis, qui priùs nunquàm sub Regibus legitimè constitutis, in vsu cuiquam fuit, sed vsitato sit contentus saltem, cùm inter omnes sit honestus satis & commendatus.

Commotionem autem istam, quam contra Flemmingium exortam esse persenserat, non patitur R. M. serpere, & propagari; sed flagitat vt omne admissum, iuxta Legem patriæ vindicetur & corrigatur.

Cùm Prouentus annonæ, vti comperimus, adeò nunc tenuis sit, vt non immodica illius fiat caritas admonendus est Illustrißimus Princeps, nè quidquā frumenti ad exteras Nationes exportetur, vndè Subditi ad summam famem, inopiam & calamitatem adduci possent; quod periculum R. M. omni consilio libenter præuenerit & auerterit, vt ex hac etiam parte, Reipublicæ ratio habeatur.

Demùm cùm S. C. Vectigalia Regni, per aliquot annorum curricula in manibus habuerit, debent Legati efflagitare rationes, vt planæ & expeditæ sint, si quandò Rex in patriam reuenerit (quod per Dei

gratiam propediem fiet) ac statim pateat, quæ debita Regni fuerint persoluta, & quæ secùs.

Hasce quæstiones Legati tenebuntur, quo possint modo, solertiâ & prudentiâ (uti ipsis confidimus) proponere, proindè ac res nostras atq; negocia quàm rectissimè confici, voluntatem ac mandatum nostrum quàm perfectissimè expleri posse arbitrentur.

Verùm ad orationem illam Legatorum polonicorum, quâ tàm S. C. quàm Regni Senatores, Sueciæq; ordines vniuersos compellarunt, atq; ad eas quas Comes Ericus, & Aruidus Gustaui intentarunt immeritò criminationes, nomine S. C. Senatorumq; Regni responsum est; Sicut infrà luculenter commemorabitur; Sed quantùm ad illas attinet obiectiones, quas Sigismundus Rex illustrissimo Duci Carolo peculiariter mouit, cuiusmodi rationum illas robore S. C. illo tempore conuulsit & elisit;

Nam quòd Illustriss. Principi obijcitur, quòd formulam Gubernationis immutauerit.

Refutatio criminationum syncera.

A*D hoc Illustriss. Princeps respondet, se nullam Gubernationis formam vidisse, nedùm immutaße; Sed solùm à R. M. plenam potestatem, per Ericum Gustaui transmißam, in quam tamen nunquàm consentire voluit, cùm imperfecta eßet, nec eam in se potestatem contineret, quam benè constituta Respublica postularet. Quarè se imperio omninò abdicare in animum induxerat, nisi Regni Senatores, atq; Ordines suis precibus, aßiduisq; sollicitationibus, eum à proposito dimouissent, demisseq; rogassent, vt Patriæ salutem sibi magis curæ esse vellet, quàm quæ in illâ Plenipotentiâ reperiretur imperfectio. Quarè suspicari Illustrißimus Princeps non potest, de quâ Gubernationis formâ R. M. Dominiq; Legati loquuntur, dùm R. M. Regnum sine Gubernatore & Prorege post se reliquerat, qui omninò in benè constitutâ Repub. perfectâq; Gubernationis formâ, requirebatur.*

Adhæc, non potest certam Gubernationis formam Subditis præscribere, iuxta quam Regnum in suâ absentiâ administrari debeat. Nam Regni status in dies mutatur, multiq; noui casus incidunt, qui vnius angustæ Formæ cancellis se includi non patiuntur, quod vel ex ipsis legibus animaduertere licet. Nam etsi Leges inuentæ & latæ sint, vt Ciuibus perpe-

perpetuam quandam actionum formam omnium præscribant; Vsu *tamen ità exigente immutantur & abrogantur, inq; earum locum nouæ, quæ vtilitati* Patriæ *magis accommodatæ sunt, substituuntur.*

Quòd *si autem nomine formæ Gubernationis* R. M *intelligat, eam quam diximus plenam potestatem, næ illa cùm propter adductas rationes, tùm etiam eas, quæ sequentur, multis modis vitiosa est.* Nam *cùm Illustriß.* Principi *multa obijciuntur, quæ in illâ plenâ potentiâ prohibita non inueniuntur, sequitur aut* Principem *iniustè accusari, quòd eo pacto contra* Gubernationis *formam à* R. M. *datam egerit, aut eam imperfectam censendam, cùm illa omnia non contineat, quæ ipsa* R. M. *in benè ordinato* Imperio *requirit.*

Deindè repugnat eadem sibiipsi, cùm Illustriß. Principi *iniungatur, vt* Regni, Regisq; *commodis consulat atq; prouideat, & tamen ei interdicatur, nè* Comitia *celebret, cùm sine his publicæ vtilitati, rectè aliter consuli neq. eat;* Quod *vel ex eo manifestum est, quòd nulli vnquàm ferè extiterint* Reges, *qui sine* Comitijs Rempub. *laudabiliter gesserint.*

Postremò repugnat hæc Plenipotentia R. M. *Iuramento,* Regniq; Sueciæ *Priuilegijs & Iuribus: Sanctißimo etenim iureiurando* R. M. *confirmauit, se hoc* Regnum *hæreditarium* Sueciæ, *Patrui sui* Ducis Caroli, Regniq; *Senatorum consilijs administraturam; At verò cùm ea Gubernationis formula conscriberetur, ex cuius præscripto* R. M. Regniq; *Senatores in consilium adhibiti non fuerunt, multò minùs eam approbauerunt; erat enim externorum quorundam consilio compilata; quâ de re etiam minoris authoritatis esse debet, ideoq; iuramentum* Regis *violaretur, si* Subditi *mandato* Regis, *se eidem* Formulæ *subijcere cogerentur.*

Secundò inclytum hoc Regnum *ex antiquißimis* Priuilegijs, Rege *absente,* Conuentus *cogendi facultatem habuit, talia & id genus alia* Priuilegia, R. M *salua conseruare, & defendere iuramento sese obstrinxit.*

Quòd *verò* Domini Legati *præoccupare conantur,* Illustriß. Principem *imperfectæ gubernandi formulæ obedientiam debuisse, quandoquidem exiguo tempore ea gubernandi* Formula *duratura erat,* R. M. *enim per occasionem, primo quoq; tempore in hæreditarium suum* Regnum Deo *benè fauente, redire constituerat.*

Ad hæc S. C. respondet, quòd grauissima Regni negotia, de quibus supra dictum est, tàm necessario tempore, moram non admitterent, et rebus sic stantibus, Regno vel vno mense irrecuperabile damnum facere potuisset, multò maiora damna, duorum annorum spacio exoriri potuissent: Accedit quòd discedente R. M. in Sueciam reuersionis spes ferè omnis sublata fuerit, cùm Dominis Senatoribus, & Ordinibus Regni Poloniæ, usq; ad vitæ finem se mansuram, R. M. ipsis confirmauerit.

Secundò conqueritur R. M. illius Celsitudinem Feuda concessisse, quod soli Regi, de nostro Iure, in signum supremæ præeminentiæ, est reseruatum.

AD hoc S. C. respondet, si R. M. rectâ secùm viâ reputare velit, quid propriè sit Feuda concedere, de quo nostrum Ius loquitur, S. C. hac in re, contra M. R authoritatem quicquam commisisse non demonstrabitur. Nam quòd S. C. nonnullis illustribus personis, quasdam Prouincias, & Prædia aßignauerit, in eo Feuda conceßisse dici non potest, cùm ea, non vt Feuda ipsis relicta sint, sed partim oppignorata nomine æris alieni, quod ipsis à Regno, & R. M. debebatur, & iam longo tempore caruerunt, vt eorum annuis prouentibus vsuræ compensarentur, nè capitalis summa, cum Regis, Regniq; detrimento nimiùm exeresceret; partim propter operam, quam Regno nauarunt, & adhuc quotidiè præstant. Et si hoc R. M. displicuißet, R. M. aliam viam ostendere oportuißet, quâ dißolui contracta debita potuissent, & cursus vsurarum impediri, quod tamen hactenùs factum non est, licet R. M aliquoties eâ de re admonita fuerit. Nam cùm iure hoc ipsis debebatur, non potuit Illustrißimus Princeps illis hoc denegare, aut per vim auferre. Ad hæc, per litteras R. M. Illustrißimum Principem sollicitauit, vt de medijs, quibus nonnullis ex ijs satisfieret, cogitaret, in cuius rei euidentiam, litteræ in medium produci possent. Huc accedit & illud, quod quicquid illis Illustrißimus Princeps reliquerat, id cum hac conditione conceßerit, si R. M. consensum impetrare possent, quo ostendit se superiorem agnoscere, sine cuius consensu, nihil aggredi velit, quod ad S. M. spectat.

Tertiò obijcit R. M. quòd Suæ Maiestatis fideles Ministri apprimantur, & loco moueantur.

Ad hoc

AD *hoc respondet Illustrißimus Princeps, S. M. fideles Seruos se non persequutum esse, vel iniuriâ affecisse.* Nam quòd nonnullos Pontificio *fermento infectos, quos* R. M. *rerum Gubernaculis,* S. C. Regniq; Con*silia rijs inconsultis, admouerat, suis officijs priuauerit, in eo fideles* Ministros *oppreßisse dici non potest, cùm* R. M. *suâ* Cautione, *illis ad eiusmodi munera, & bonores aditum intercluserit.*

Deindè *iusticiæ proportio vetat, vt ex* Regni *reditibus sustententur, cùm ex præscriptione* Cautionis Regiæ, *ab officijs sint remoti, nullamq; operam* Regno *præstent, vel vnquàm anteà nauarunt.*

Tertiò cùm ipsis iuxta Regis Aßecurationem, *plùs non debeatur, quàm vt vnà cum reliquis* Incolis, Regni *priuilegijs, iuribus, & immunitatibus perfruantur, quomodò potest illis aduersus hanc limitatam conditionem aliquid vlteriùs, saluo* Regis Iuramento *concedi?* Nam qui *plùs alicui permittit, quàm* Regis Iuramento *cautum est, ille in* Regis Iuramentum *impingit.*

Quarè Illustrißimus Princeps *illos non oppreßit (si modò oppressio aliqua dicenda foret) sed illi primùm seipsos, qui relictâ nostrâ* Religione, *in* Pontificiorum *castra transierunt;* Deindè *etiam* R. M. *qui suâ* Cautione, *illos officio ac dignitate priuauit.*

Insuper dißimulari non potest, quòd maxima pars illorum, quos R. M. *eiusmodi muneribus præfecerat, planè inepti ad rem gerendam,* Subditisq; *inutiles fuerint; nec cum consensu* Illustrißimi Principis, Senatorum Regni, *ac* Subditorum, *vti* Leges *præcipiunt, ijs officijs sint præfecti;* Quarè *iure ab ijsdem remoti.*

Postremò nonnulli ex ijs, quibus talia officia aßignata erant, nefandorum scelerum accusabantur: Et *quià seipsos regere non potuerunt, nec alijs vt imperarent æquum erat.* Quos *etiam* Illustriß. Princeps *sibi persuadere non potest, inter* R. M. *fideles* Ministros *numerari, cùm illud* R. M. *dedecori, & opprobrio esset futurum, si talium hominum operâ vteretur.*

Quarta R. M. querela, quòd S. M. litteræ inhibitionis, aliaq; Diplomata contemnantur.

AD *hoc* Illustrißimus Princeps *respondet, se* Diplomata *regia nunquàm contemptui habuiße, quandò secundum præscripta* Legum *data essent, nec cognitionem, legitimamq; causæ decisionem impedirent.*

Quod

Quod autem Illustrißimus Princeps nonnullos, qui præiudicio communis famæ laborabant, ac inauditorum criminum accusabantur, in iudicio comparere compulerit; Deindè etiam quosdam mendaces homines, qui de S. C multas criminationes in vulgus sparserant, iniuriarum actione conuenerit; Ac præterea nonnullorum aliorum imperium, qui se Sudercopensi Decreto opposuerunt, abrogauerit, quos tamen homines omnes suis diplomatibus, nè in iudicio comparerent, suam in fidem et tutelam R. M. receperat; In eo Illustriß. Princeps cogitare non potest, se contra litteras M. R. inhibitorias, de quibus Iura loquuntur, quicquam admisisse, cùm illæ ipsæ litteræ, iure, nullæ eßent.

Non potest autem R. M suis litteris eiusmodi homines tutari, cùm iuramento receperit, se Iura Regni salua conseruaturam, & Legibus expressum sit, vt qui communi famâ oneratus fuerit, se suspicione liberet.

Deindè, nec Cæsari tanta potentia est, vt tertio ius suum auferre posit, aut cui culpam condonare, nisi cum parte læsâ priùs transigatur. Quarè cùm ijdem homines illustrißimum Principem, nec non alios læserint, non potuit R. M. illos ab omni actione suis diplomatibus immunes præstare.

Adhæc, cùm nihil in Sudercopensi Conuentu actum sit, quod non ad salutem R. M. & Patriæ plurimùm conferat, ac Religionis concordiæ inseruiat, vndè etiam legitimus idem Conuentus non iniuriâ vocatur, ideò earum litterarum, quibus illi, qui Sudercopense Decretum impugnant, defenduntur, authoritas ulla esse non poterit; præsertim cùm ijsdem R. M. magnam fenestram dißensionibus, animorumq; distractionibus in Regno aperiat, prout quotidiana experientia ostendit, & nunc in Finlandiâ luce meridianâ clarius est, vndè Regum ac Regnorum interitus nasci solet.

Deniq; aduersantur eædem litteræ Regis Iuramento, Iuriq; nostro municipali, in quo ità descriptum extat.

Omnes suos Subditos tuebitur ac defendet, præsertim verò pacificos & quietos, qui Secundum Legum præscripta viuere velint, tàm contra turbulentos & contentiosos Indigenas, quàm exteros

teros defendet; Inprimis autem immunitatem Ecclesiasticam, omniaq; beneficia mulieribus & domibus indulta, atq; concessa tuebitur. Nam contra hæc omnia peccandi, Regijs Diplomatibus captatur occasio. In Finlandiâ etenim ad apertum bellum res deducta est, Subditorum facultates nouis, intolerabilibusq; exactionibus exhaustæ, & attenuatæ, ità vt R. M. tributum pendere nequeant, & fame aliquoties centeni perierint. Præterit iam Illustriss. Princeps reliquas iniurias, quibus Subditi afficiuntur, vt sunt, rapina, raptus, stuprum, vis aperta, pacis domesticæ violatio, ac multa alia, quæ nunc recensere nimis longum foret. Quæ tamen omnia non solùm impunita hactenùs manserunt, licet R. M. aliquoties de ijsdem admonita fuerit, verùm insuper R. M. missis Legatis edixit, nè aduersus illum, qui huius mali author & caput est, de iure procederetur.

Quod verò ad alia R. M. Diplomata attinet, illis sua authoritas semper salua mansit, vbi Legibus, Regisq; Iuramento conformia fuerunt. Deindè non solùm in Sueciâ, verùm etiam apud alias gentes ferè omnes vsu receptum est, vt quidquid Reges in suâ absentiâ gestum velint, ad eum, qui Regno præfectus est, perscribere soleant, vt ex sæpè memoratâ Vnione apparet. Accedit ad hæc, quòd falsis eorum narratis, qui R. M. de his litteris sollicitant, in fraudē deducatur, talesq; litteras det, quæ Regno maximo detrimento essent futuræ, si exequutioni mandarentur. Postremò R. M. iureiurando promisit, se de consultu Ducis Caroli, Regni Senatorum, Regnum, dùm in Poloniâ commoratur, eorumq; hominū præsentiâ destituitur, quorum operâ se vsuram receperat, gubernaturam.

Quintò, Illustrissimo Principi obijcitur, quòd Subditis nouas exactiones, ædificiorum structuras, hospitumque alendorum onera imposuerit.

Ad hoc Illustrissimus Princeps respondet, quòd R. M. id factum esse nunquàm euincet; Quamdiu enim Illustrissimus Princeps Gubernationi præfuerat, in hoc semper incubuit, vt Subditi oneribus, quibus hactenùs premebantur, leuarentur, de quo testimonium omnes Incolæ perhibebunt. Quæ autem Sudercopiæ communibus suffragijs decreta est contributio, eam Subditis Illustrissimus Princeps non imposuit, sed

Subditi vnanimi consensu approbarunt. Nam cùm magnifici Senatores ad Ordines Regni referrent, quantis nominibus esset obstrictum, quæ sine Subditorum auxilio dissolui non possent, & ab ijs peterent, vt communicatis consilijs, media excogitarent, quibus Regnum ex hisce debitis liberari posset, omnium voces in hanc contributionem derigebantur.

Ad hæc Princeps illis demandauit, qui ad contributionem colligendam deputati erant, nè plùs quàm facultates Subditorum permitterent, & ipsi sponte conferre vellent, à quoquam exigerent. Quarè immeritò R. M. Illustrißimum Principem accusat, quòd nouis exactionibus Subditos onerauerit.

Deindè, tolerabilior Subditis hæc contributio est, crebris illis, grauißimisq; exactionibus, & nouis aucupijs, quibus bonis Subditorum velut prædis, insidiæ structæ sunt, illiq; ad summam inopiam redacti.

Quartò, hæc exactio nisi in casibus de iure permißis, Subditis imposita est; Quamuis enim, Dei beneficio, desiderata pax ab hoste Moscho Regno eßet restituta; Attamen militibus quorum operâ hoc Regnum, pro suâ salute, contra suos hostes vsum fuit, & alijs, qui magnas pecuniæ summas, ad gerendum illud bellum, in vsum Regni mutuas exposuerunt, nondùm erant sua stipendia, & debita persoluta. Hæc fuit caußa exactionis, quæ imposita est Subditis, non aliter ac si bellum adhuc gereretur, quandoquidem debita, tempore belli contracta, nondùm, vt dixi, erant soluta.

Quintò, erant quædam illustres personæ, & Regum filiæ, quæ dotem suam ex Regno petebant; Vt igitur id quod ipsis dotis nomine debebatur, impetrarent, Subditos secundùm Leges contribuere debere, visum fuit; Imò R. M. ipsa postulauit, vt illustrißimus Dux Subditis contributionem imponeret, ad elocandam Dominam Annam, Regiam virginem; Ideoq; S. C. fit iniuria, cùm accusatur, quòd Subditos nouis exactionibus onerauerit, præsertim cùm ijdem Subditi, suâ sponte in eandem exactionem consenserint, seq; ex Legum præscripto eam non recusare debere affirmarint: Accedit quòd summa Regni neceßitas, quæ lege caret, vt suprà commemorauimus, postulauerit.

Quod ad noua ædificia attinet, quibus erigendis Subditi occupati, & grauati dicuntur, non venit illustrißimo Principi in mentem, se alia, nisi ea ædificia, & opera imperasse, quæ ad Arces, & Prædia sarta tecta conser-

conseruanda, nauesq; reficiendæ, & alia præstanda, quæ ad propulsandas hostiles irruptiones, & Regni defensionem, tempore necessario opus essent, facere ex Legibus Sueticis Subditi obligati sunt; Et tamen in his omnibus illustriss. Princeps limites eius Constitutionis, quam R. M. Dominus Parens (inclytæ memoriæ) sanciuit, atq; R. M. discedens reliquit, non egressa est. Si verò R. M. ea quæ diximus ædificia omninò prætermittere videatur, illustrissimus Princeps non repugnat.

Ad hospites quod attinet, qui Subditis alendi, quo iure, quauè iniuriâ obtrusi dicuntur, confidit illustrissimus Princeps neminem, neq; de se, vel suis Ministris hoc nomine meritò, & iure queri posse.

Sextò criminatur R. M. non rectè collocatos esse Regni prouentus, & reditus, ideoq; ad reddendam rationem S. C. adhortata est.

AD hanc criminationem S. C. respondet, se nè teruncium quidem, ex Regni reditibus in suum vsum transtulisse; sed quicquid S. C. accepit, optimè se collocasse affirmat, nempè ad Reipub. æris alieni solutionem, & alias necessarias Regni expensas, vt Regi Rationatores, qui Tabulas expensarum asseruant semper, de ijs rationem reddere poterint; Quicquid verò illustrissimus Princeps ipse per suos Ministros accepit, vt cuprum, butyrum, aliasq; merces, id omne S. C. nomine solutionis debitarum sibi pecuniarum, aliarumq; rerum, quas S. C. multis ab hinc annis, R. M. Domino Parenti, (inclytæ memoriæ) & Regno, mutuò dederat, sibi vendicat, & restat adhuc non contemnenda summa, quæ nondùm persoluta est, vt ex Tabulis expensi, & accepti videre est.

Et si R. M. in memoriam reuocare velit, quomodò huius Regni reditus, per suas largitiones, litteris in Poloniâ scriptis imminuerit, & alia per sua Diplomata, ac litteras salariorum profuderit, atq; dissipauerit, certè non satis caussæ ad postulandam ab illustrissimo principe rationem, S. M. haberet. Nec est quòd R. M. ex voto quandam rationem exspectet, cùm reditus Finnoniæ profusi, & facultates Incolarum à militibus, quos alere coacti sunt, ità attenuatæ & exhaustæ sint, vt Regi, vel Regno nihil pendere possint; Illustrissimus princeps etiam non solùm diligenter in hoc incubuit, vt reditus Regni justè conseruarentur, ideoq; malam gratiam apud multos iniuit, verùm etiam dedit operam,

 vt redi-

vt Reditus regij augerentur, ſicut doceri poteſt, reditus ex fodinis, multò eſſe quàm anteà ampliores, & plùs etiam commodi accedere his potuiſſet, niſi quorundam inobedientia impedimento fuiſſet.

Septima R. M. obiectio eſt, quâ accuſat Illuſtriſsimum Principem, quòd Religionem mutare conatus ſit.

AD *hanc obiectionem* S.C. *ſic reſpondet, ſe in* Religione *nihil mutaſſe; quod* Regni Senatores, *Epiſcopi*, Proceres, *atq;* Ordines *in* Conuentu *Vbſalenſi comprobauerunt, id* S. C. *ipſorum arbitrio permiſit. Neminem enim fugiebat, quàm graues, & perículoſæ ſuperioribus annis, ſub* R. M. Domini Parentis Regis Iobannis *(inclytæ memoriæ) imperio, diſſenſiones & diſsidia exorta fuerant;* Idcircò *ſpe, conſilioq; his malis remedium afferendi, controuerſias componendi, concordiæq; in* Religione *reſarciendæ ſtudio, Vbſaliam conuenerunt.* Eſt *enim* Religionis *concordia,* Subditorum *maximum vinculum, quod corda, & voluntates eorum, potiſsimùm inuicem conciliat, & conglutinat:* Econtra *verò, nullâ ex re maior animorum, & voluntatum diſtractio,* Rerumq; *publicarum pernicies naſci poteſt, quàm ex* Religionis *diſparitate.* Quamobrem R. M. *Illuſtriſsimum* Principem *immeritò accuſat, imò potiùs in* R.M *hæc obiectio retorqueri poteſt.* Nam S.M. *quidem reſtaurationem* Pontificiæ *Religionis diſsimulat, dùm libertatem* Religionis *permittere videtur, interim ſuos emiſſarios,* Pontifici *addictos Sacerdotes, contra* Iuramentum, *&* Cautionem *præſtitam, ſubmittit qui* Pontificias *Superſtitiones, & libellos in vulgus ſpargant, cuius rei teſtis eſt* Stocbolmia, *Cænobium item* Drotningbolmenſe, *&* Vaſtenenſe: Præterea *etiam proximè ſuperioribus diebus,* S. M. Subditos *ad* Pontificias *ceremonias, quæ fiunt eleuatione, ſale, & candelis, aliaſq; ſuperſtitiones, quæ ſacrarum litterarum fundamento non innituntur, approbandas & amplectendas ſuo* Diplomate *adhortata eſt:* An *non hoc magis ſit tentare* Religionem, *quàm id quod* Illuſtriſsimo Principi *obijcitur, cuiuis affectibus non præoccupato iudicandum relinquitur?* Si *verò* R. M. *eam rem hac viâ aggreſſa fuiſſet, vt exemplo* Vbſalenſis *Synodi (quæ nationale* Concilium *fuit) pium & liberum* Concilium *celebraretur, non poſſet dici* R. M. *tentaſſe* Religionis *mutationem;* Nam *hoc pacto* Iuramentum, & Aſſecuratio Regis *ſarta, tectaq; maneret;* Nec *opus eſſet* Pontificios *libellos paſsim in hoc* Regno *ſpargere, & boneſtorum* Ci-

uium

uium liberos seducere, ac imperitæ multitudini, præsertim iuuentuti fucum facere, sicut proximè superioribus temporibus factum esse, & adhuc fieri, doceri potest; de quo Subditi quotidiè queruntur.

Deindè Illustrissimus Princeps omninò confidit, si quædam ceremoniæ, ordini in Ecclesijs non magnoperè seruientes, sed Pontificiæ Idololatriæ non dissimiles, multis scandalū præbentes, ex libertate Christianâ abrogantur, non esse eam rem innouationem, vel mutationem Religionis appellandā: Agit enim Illustrissimus Princeps Deo Opt. Max. gratias, qui ipsius mentem verbo suo ità illustrauit, vt S. C. verbum Dei, hominum commentis discernere queat. Præterea etiam Ecclesiasticæ nostræ Constitutiones, earum ceremoniarū, quæ iam sublatæ sunt, abrogationem permittunt.

Octauò R. M. Illustrissimum Principem accusat, quòd Sua Celsitudo, occasionem mutationis status Reipublicæ dederit.

AD hanc obiectionem ità respondet S. C. sibi non in mentem venire, quâ ratione eiusmodi mutationis occasionem dedisse videatur, cùm S. C. magno ardore, Dei beneficio, puræ Religioni studuerit, Leges, & bonum ordinem (absit dicto inuidia) in Regno conseruauerit; Nam vbi ea, quæ diximus, conseruantur, non præbetur caussa, vel occasio immutationis, vt naturalis ratio, & communis experientia ipsa, documento esse poterit. Econtrà verò, vbi ea negliguntur, & non conseruantur inuiolata, Regni status non potest esse diuturnus.

Quamobrem Illustrissimus Princeps, R M. non sine caussâ adhortatus est, nè R. M. caussam, vel occasionem mutationis præberè velit; Quandoquidem S.C satis intellexerit, quàm sæpè contra R. M. Iuramentum, & Assecurationem, tùm etiam contra Iura Suetica, tàm in Ecclesiasticis, quàm Politicis negotijs, vt antè dictum est, peccatum sit.

Nonò R. M. Illustrissimum Principem criminatur, per suam adhortationem, quòd S.C. degenerauerit à Domini sui Parentis virtutibus, quibus Ius hæreditatis partum, & acquisitum sit.

REspondet S. C. ad hanc obiectionem, quòd R. M. magis egeat tali admonitione, quàm S. C. Quoniam R. M. vestigijs Aui sui mi-

 nimè insistit, & multa contra Avi Testamentum egit, quo Testamen o quasi fundamento, Pacta hæreditaria, vt dictum est, innituntur: Et quidem Pacta hæreditaria in hunc finem acquisita non sunt, vt Rex suum Iuramentum, Ius & Iusticiam, eaq; quæ ad fælicem statum, & ordinem in Gubernatione spectant, negligat, quiduis pro libitu agat; & ea quæ ad Patriæ salutem, summâ vrgente necessitate constituta sunt, aboleat; sed potiùs vt ea omnia sarta tecta conseruet, per quæ Pacta hæreditaria suum vigorem obtineant.

Decimò objicitur à R. M. Illustrissimo Principi, quòd R. M. per caussam Religionis, S. C. apud Subditos in inuidiam vocet.

AD hoc respondet S. C. probari non posse, quòd S. C. conetur abalienare mentes Subditorum à R. M. verùm econtrà, eosdem semper ad fidelitatem erga ipsius Maiestatem adhortata sit, vt apparet ex Decreto Sudercopensi. Si verò Subditi animos à R. M. abalienarint, vel inposterùm abalienaturi sunt, hoc R. M. sibi ipsi imputet; Ipsa enim eius rei caußa est, quòd Subditorum iura negligat, nec ea præstet, quæ S. M. ipsis Iuramento suo, vt dictum est, confirmauit.

Vndecimò R. M. criminatur Illustrissimum Principem, quòd Regnum affectauerit.

REspondet Illustrißimus Princeps, nullâ ratione probari posse, S. C. vel verbo, vel re ostendisse, quòd se Regem facere velit; Contrarium verò probari facilè potest, nempè quòd S. C. Regium nomen nunquàm appetiuerit; Et si S. C. tanto desiderio eius nominis tangeretur, & illegitimè affectaret, probatu non esset difficile, quòd S. C. sæpè oblatum sit, & etiamnùm offerri poßit, si S. C. à Pactis hæreditarijs, & à Iuramento fidelitatis, quo R. M. obligata est, discedere, ijsq; medijs, & authoritate vti velit, quâ Sua Celsitudo valet. Nec ideò dici potest S. C. Regnum appetiuiße, quòd S. C. molestißimum Gubernationis onus, vnà cum Senatoribus illustribus & magnificis susceperit; Quià olim multi, humiliori familiâ orti, minori iure, dignitate & potestate, quàm S. C. præditi, Rempub. Sueticam, absente Rege, administrarunt; Nec proptereà ipsis obiectum fuit, quòd rebus nouis studentes, Regnum affectarint, vt videre est ex Vnione, quæ gubernante Margaretâ Reginâ facta, & posteà sub Rege Erico XIII. renouata est; Quo tempore Dapiferi, absente

absente Rege pari potestate ac Rex præditus fuerit; Qui tamen conferendus non est cum Illustrissimo Principe, qui totius Regni hæres est, quem etiam Reipub saluti magis consulere decet, quàm eum, ad quem Ius hæreditatis non pertinet.

Duodecima R. M. obiectio est, quòd S. C. dicatur milites quæstui habuisse, & eorum stipendia fraudasse.

R*Espondet S. C. se sperasse R. M. tali in S. C. criminatione nunquàm vsuram, quòd S. C. Dei benignitate, non contemnendis annuis reditibus, ipsa aucta sit, vt S. C. pro dignitate sui ordinis, etiam sine tali illegitimo quæstu viuere possit, Nec opus ipsi est, vt cum Regni damno aliquid lucri faciat; Quòd igitur mercaturam aliquam, illis schedulis quæ militibus, subductâ ratione, in testimonium residui, datæ sunt, exercuisse Illustrissimus Princeps dicatur, non venit S.C. in mentem: Nisi fortasse in hoc reprehendatur Illustrissimus Princeps, vbi semel S. C. operâ Marci Meuij mercatoris Lubecensis, & R M. subditi Petri Flagmanni, Scribæ militaris vsa est, vbi non priuato S. C. compendio, sed Regni vtilitatibus seruitum fuit, pro quo S. C. gratia, non contumelia debetur; Et caret adhuc S. C, sicut & antè commemorati Marci Meuij iam defuncti hæredes, non mediocri summâ pecuniæ, in redimendis eiusmodi equitum schedulis, expensæ & erogatæ, magno cum vtriusq; partis detrimento: Quamobrem S. C. vniuscuiusq; iudicio permittit, quo iure R. M. hac in re criminari possit, & ad quem emolumentum redeat, vtrùm ad R.M. & Rempub. (quæ non contemnendam summam pecuniæ indè lucrata est) An verò S. C. aliquid lucri cœperit, quæ suâ pecuniâ hactenùs caruit, nec emolumentum aliquod indè sperat?*

Decimotertiò, quod attinet ad litteras obligatorias, quas Illustrissimus Princeps R. M. dedisse quidem, sed posteà violasse perhibetur.

R*Espondet Illustrissimus Princeps, non decere posse, quòd talibus litteris sese obligauerit, vel suo consensu eas approbauerit; Quamuis verò R. M. ante suum discessum ex hoc Regno, tales litteras à S. C. postulauerit, nullâ tamen ratione probari potest, R. M. eas impetrasse; Nec vllo quidem iure talibus litteris S. C. obligare se potest: Quandoquidem*

antiquissi-

antiquißimis Regni Iuribus sunt contrariæ, eáq; oppugnant, quibus S. C. nihil detrahere potest: Quarè nulla ex ijs efficax obligatio nasci potest, etiamsi Illustrißimo Principi tales litteras imperaßet; Deficit enim sic & consensus, & approbatio Iuris: Quapropter nullius momenti est, quòd R. M. eas alleget, & demonstrare conetur, quòd Illustriß. Princeps ex ijs sit obligatus: Secundò, etsi posset probari, Illustriß. Principem se talibus litteris obligaße (quod tamen non factum est) non tamen indè sequeretur, Principem esse obligatum sine exceptione, ea quæ continentur in litteris exequi; Primùm enim considerare decet, an illæ litteræ iure, vel sub conditione datæ sunt Et si sint datæ sub conditione, tùm Illustriß. Principem antè non obligant, quàm conditio impleta sit: At conditio impleta non est, nam R. M recusauit S. C. tale Mandatum, seu Plenipotentiam, qualem S. C. requisiuit, Deindè talis obligatio, merè est ciuilis, & potest per exceptionem elidi; Quandoquidem ea Plenipotentia non subsequuta est, cuius causæ, litteræ ex obligatoriæ datæ dicuntur: Ideò R. M. eo nomine arguere S. C. non potest, quòd contra suas litteras, & assecurationem egerit; Et quamuis ità S.C. ex antè commemoratis litteris obligata non sit, tamen S. C. talibus litteris se subijcit, quæ consentaneæ sunt ei Plenipotentiæ, quam S. C. requirit; Quàm iustum verò sit asseuerare, quòd Illustriß. Princeps tales litteras obligatorias dederit, quale exemplar huc mißum est (quod quidem nullo modo concordat cum istâ obligatione, quam S. C. dedit) omnibus æquis hominibus iudicandum relinquitur.

Postrema R. M. criminatio est, quòd Illustrissimus Princeps, suo nomine, & Typis Monetam cuderit, quòd est Regale, & hac ratione S. M. dignitatem, & iura oppugnauerit.

Respondet Illustrißimus Preneeps; Quamuis S. C. non lateat, quòd ius cudendi Monetum sit Regale; Tamen S. C. Sibi tale ius, & potestatem, eâ ratione acquisiuit, quâ alij Prineipes, Domini, & Ciuitates sibi illud ius acquirere solent; nempè Superioris consensu, & approbatione. Nam etsi Ericus Rex esset Tyrannus, qui in hoc totus incumbebat, vt Fratrum suorum iura, & dignitatem imminueret; ius tamen cudendi monetā eis permisit, vt illam scilicet cuderent eius materiæ, & ponderis,

ponderis, quo ipsius Regia moneta percussa fuit, sicut patet ex istis Constitutionibus, quæ Arbogiæ anno LXI. *factæ sunt, quas tamen* S. C. *in quibusdam alijs Articulis non acceptauit.*

Secundò, R. M. *Dominus Parens (inclytæ memoriæ) non recusauit eam rem, siq; in reliquis negotijs conuenire potuissent, monetæ cudendæ* S. C. *ius facilè concessisset, vt videre est ex Constitutionibus Vastenis, & Stegeburgi factis. Et postquàm omnes controuersiæ, quæ inter* R. M. *& Illustriß. Principem exortæ fuerant, paucis ante ipsius obitum annis, essent compositæ, ità ut etiam Decretum Vastenense, quod obtrusum* S. C. *anteà fuerat, aboleretur, tùm* S. C. *Rege adhuc in viuis superstite, suo nomine monetam cudit. Quamobrem* R. M. *ea, quæ semel constituta sunt, & nihil dubij habent, rursus in dubium vocare, vel abrogare non potest.*

Tertiò, Serenißimus Rex Gustauus (laudatißimæ memoriæ) in suo Testamento, S. C. *eiusq; fratribus, vnicuiq; suum Ducatum, cum omnibus iuribus, moriens ità legauit, sicut eius Maiestas ipsa eos possederat; Et quià ipsa Maiestas in quouis Ducatu potestatem, et ius cudendæ monetæ habuit, eius Maiestas etiam ipsius Celsitudini idem ius concessit, & reliquit. Ideoq;* R. M. *Sueciæ, & Poloniæ Aui sui Testamentum impugnat, dùm Illustriß. Principi, cudendæ, suo nomine, & insignibus, monetæ, ius adimere conatur.*

Vltimò, parùm laudis R. M. *hinc sperare potest, si Patruo suo fidelißimo hoc denegare nitatur, quod tamen* R. M. *suis Subditis permittit. Quod verò* R. M. *incuset* S. C. *quòd & ponderis, & materiæ vilioris monetam cudat, quàm* R. M. *atq; hoc modo in detrimentum Subditorum, deteriorem reddat Regni monetam, hoc non posse probari, Monetarius, & alij multi testes esse possunt.*

Quamobrem, quoniam Illustriß. Princeps, R. M. *dignitatem, ius & iusticiam, Leges Sueticas, & Pacta hæreditaria, nullo modo impugnarit, aut læserit, nec earum criminationum reus sit, quas* R. M. *obiecit* S. C. *& expostulauit, Sed ab ineunte Regis ætate, imò ab incunabulis, se erga* R. M. *ità gesserit, ut fidelem Patruum decuit, quod & inposterùm se facturam,* S. C. *pollicetur, quatenùs* S. C. *iudicare potest, id & Deum, & homines probaturos, id quod antecedentibus, euidentissimisq; rationibus satis superq; demonstratum est; Caussa profectò* S. C. *latet, quæ*

tet, quæ R. M. ad litteras tàm minaces, insuetas, criminationibus plenas impulerit; Cùm tamen ea, quæ S.C. obiecta sunt, longè aliter se habeant; Sed tamen eam suspicatur Illustrißimus Princeps caußam esse, quòd S. C. ab ineunte R. M. magistratu, nunquàm S. M. Religionem approbare, & admittere potuerit, ut Pontificiæ superstitiones in hoc Regnum inueherentur: In alijs verò rebus omnibus, nè minimum quidem, in S. M. se commisiße meminit, quod reprehensione dignum sit.

Quapropter R. M. fraternè, & officiosè, Illustrißimos verò, & Reuerendißimos, Illustres, Reuerendos, Generosos, & Magnificos Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ Senatores, Proceres, & Ordines amanter, & benignè, prout postulat vniuscuiusq; conditio, Illustriß. Princeps rogat, & requirit, vt æquis animis S. C. satisfactionem accipiant; Nec sinistrè interpretentur, quòd S. C. iustam suam defensionem, vrgente necesitate, latiùs & clariùs susceperit, ad quam grauibus caussis permota, hoc tempore necessariò descendit; Tamen S. C. spem erga R. M. Dominum agnatum, & fratrem suum, pulcherrimam fouet, S. M. post iustam deliberationem, maturum consilium, inposterùm tales criminationes prætermissuram, & in hoc hæreditarium Regnum venturam, vt ipsamet R. M. eidem Regno poßit præesse, & illud secundum normam præstiti Iuramenti gubernare eo consilio, vt hoc Regnum, quod in Politicis negotijs reformatione maximè eget, in statum feliciorem, quò omnes confusiones, quæ in Rempub. irrepserunt, abolescant, restituatur. Si verò R. M. quamprimùm in hoc Regnum venire integrum non sit, officiosè rogat S. C. vt R. M. gubernandæ Reipub. rationes tales ineat, quibus Regni saluti, & Subditorum vtilitati consulatur: Illustrißimum enim Principem non fugit, se in magnam inuidiam apud R. M., falsis Aduersariorum criminationibus vocatum esse, quòd molestißimam hanc Gubernationem, & Rempublicam susceperit. Et quamuis Illustrißimus Princeps Reipub. suam operam non obtruserit, sed rogatu R. M. ad eam administrandam acceßerit, quod posteà Regni Ordines vnâ mente comprobarunt, posteà iterùm, discedente ex hoc Regno R. M. diuersis vicibus S. C. vt Rempub. capesseret, rogata, & ad hoc munus vocata sit; Tamen decreuit S. C. posthac inuitâ R. M. Rempub. non administrare; Sed consilio, & arbitrio Senatorum, & Ordinum Regni permittit, quâ ratione illa, absente R. M. Respublica gubernanda videatur. Et quan-

Et quandoquidem multa, & grauia negotia hoc tempore incidunt, quæ deliberanda, & expedienda sunt, nisi Regno irrecuperabile damnum inde nasci debeat, vt sunt: Primùm, Discordia & controuersiæ in Religione, quæ gliscunt indies: Deinde perfecta pacis compositio, cum magno Moschorum Duce: Item traditio arcis Kexholmensis, & sufficiens assecuratio pacis perpetuæ, cum eodem Duce: Postremò bellum, & seditiones in Finlandiâ, in eius Ducatus perniciem, & exitium exortæ, aliaq; negotia grauissima, quæ necessariò deliberanda, & expendenda occurrunt, vt posteà in R. M. & Regni vtilitatem perficiantur, quæ fortassis per hæc, quæ iam tractantur consilia, negligi possent, vndè in Regno, multò maior quàm antè discordia existere posset.

Quamobrem S. C. hoc scripto protestatur, se esse hac in re innocentem, & satis tempestiuè S. M. Regni Consiliarios, & omnes Ordines, eâ de re fecisse certiores.

Et sperat S. C. & benignè petit, vt omnes boni, hoc iustum eius Responsum, & Protestationem, in optimam partem accipiant. Quod superest, S. C. omnibus Regni Ordinibus, Ciuibus & Incolis, Ecclesiasticis pariter ac Politicis, pro vniuscuiusq; conditione, suam beneuolentiam, & gratiam benignè, clementerq; defert.

Iam verò sequitur responsum, quo S. C. & Ordo Senatorius, reliquis occurrerunt R. M. obiectionibus.

Primum R. M. grauamen est, quòd Illustrissimus Princeps, in indicendis Comitijs Sudercopensibus, & Decreto ibidem facto, derogauerit ipsius Maiestatis dignitati, præeminentiæ, & iuribus regalibus.

AD quod primum obiectum, Illustrissimus Princeps sic respondet: Quamuis secundum vulgatam Iuris Regulam: Actore non probante reus absoluitur, hanc accusationem silentio præterire posset; Quandoquidem R. M. non probet, quo pacto S. M. iuribus, ijs capitibus, quæ Sudercopensi Decretò inserta sunt, aliquid derogetur; Sed nudam duntaxat suam accusationem proponat, nullâ adiectâ ratione, quâ accusatio nitatur, & confirmetur; Attamen vt S. C. innocentia innotescat, sequenti argumento S. C. demonstrat, id quod modò dixi Decretum, non solùm S. M. dignitatem, & existimationem non imminuere, verùm etiam eandem stabilire, & munire.

 Primum

Primùm enim, nemo sanæ mentis (nisi affectibus præoccupatum animum ad iudicandum afferat) inficias ire potest, quin Decretum *pariens concordiam* Religionis, *administrationem iuris, & iusticiæ confirmans, confusiones in* Rempub. *inuectas tollens,* Iuramentum, *&* Assecurationem *Regis, Pactaq; hæreditaria sarta tecta conseruans,* R. M. *dignitatem, & iura magis confirmet, quàm imminuat; Cùm igitur* Decretum Sudercopense, *de quo controuertitur, tale, vt modò diximus, sit, vt ex eodem (cùm iam trium linguarum Typis excusum vulgò extet) vnicuiq; facilè apparet, & posteà latiùs declarari potest.*

Quare omnis suspicio meritò abesse debet, hoc Decretum R. M. *authoritatem labefactare; Dictitat enim naturalis ratio, Historiæ, & quotidiana experientia testantur, quód in ijs locis, quæ Religionis disparitas inuasit, iuris & iusticiæ ratio nulla habita fuerit, regnauerit Ataxia, exorta sit Polycratia, ideoq; Reipub. salus non fuerit diuturna. Reges breui tempore regnarint, nec eorum dignitas, & iura conseruata sint: Deindè Regia dignitas diuturna esse nequit, vbi Regis officia negliguntur, quæ sunt: Propagare in Regno Religionem, ius & iusticiam administrare, ataxias abolere; His enim quasi iactis fundamentis, Rerumpublicarum salus innititur, Regumq; tantisper fœlix fuit gubernatio, quoad illi, ijs quas diximus rebus, dederunt operam. At verò simul atq; illi curam earum rerum remiserunt, eorum gubernatio labefactata fuit, sicut ex Historijs, quas recensere hoc loco nimis longum foret, videre est.*

Iàm oritur quæstio, quæ res tandem inueniatur, in Decreto Sudercopensi, *quæ paulò antè commemoratis aduersetur? Statim enim in initio* Decreti, *fit promißio & confirmatio fidelitatis, quâ* Subditi *ratione sui* Iuramenti, *tempore Inaugurationis præstiti,* R. M. *obstricti sunt: Deindè Religionis concordia constituitur; Omnes enim qui externas superstitiones inuehere, & in vulgus spargere conantur, exigente* R. M. *Iuramento, & Aßecuratione, repelluntur; Omnia illegitima Conuenticula prohibentur; quibus rebus, Reipub. commodis maximè prospicitur; Quâ ratione enim concordiæ in ijs Regionibus consulatur, vbi Religionis disparitas admittitur, quotidiana experientia, & potentißimorum Regnorum interitus, ac Rerumpub. euersiones docent.*

IN *Secundo eiusdem* Decreti *membro agitur, de S. C. Titulo, & autho-*

authoritate, Reipub. Rege absente, gubernandæ. Neq; hoc ipsius R. M. dignitati, & iuribus quicquam detrabit; Sed potius confirmat; Reipub. enim interest, eiusq; vtilitatibus hoc modo consulitur, si vnus quispiam præest, qui potentiâ, & authoritate præcellit, quod ex damnis polycratiæ, tùm in hac, tùm in exteris Regionibus ortis, facilè existimare licet, sicut externorum, maximè verò huius Regni Annales demonstrant: Ex hac enim orta sunt intestina bella, Regnumq; in sui detrimentum & interitum, alieno iugo subiectum; Nam naturaliter homines ad dissentiendum sunt faciles. Secundò, etiam malè consulitur Reipub. si multi, pari potestate præsint: Indè enim secundum communem præsumptionem (sicut etiam quotidiana experientia, in hoc Regno demonstrat) sequitur, vt vnusquisq; proprijs, non communibus commodis sit intentus; Tunc quoq; alter alteri nimiùm confidens, suum officium negligit, iuxta versum: Segnius expediunt commissa negotia plures. Naturale est quoddam vitium, vt quod communiter possidetur, plerumq; negligatur.

Tertiò, apparet hoc ex nostris Legibus Sueticis, vbi ità habetur: Regnum hoc Sueciæ vniuersum, vni, & non pluribus Regibus sit Subiectum. Vndè liquidò constat, quòd dignitas, & Salus Regni, non nisi vno gubernante, firma consistere possit. Huic Legi Sueticæ, etiam externæ Leges, exterorumq; iudicia adstipulantur, sicut ex sequenti textu apparet: Commodiùs per vnum Regna, & Imperia gubernari possunt, quàm per plures. Item: Plures difficulter aliquid boni præstare possunt. Item: Hæreticum est ponere duos Vicarios in terris.

Quartò, in hoc Regno superioribus sæculis non fuit vsitatum, vt Rege absente, plures pariter Reipub. administrarent, vt liquet ex Vnione, quæ Imperante Margaretâ Reginâ facta, & Regnante Erico XIII. renouata est; Præterea etiam semper in Interregnis vsitatum hic fuit, vt vnus quispiam ex Regni Senatoribus eligeretur, qui Rempub. capesseret, pluribus verò administratio commissa non est. Quamobrem cùm his rationibus abundè demonstratum sit, gubernationem Regni non pluribus quàm vni mandandam esse. restat vt dispiciamus, an absente Rege, aliquis vel præferendus, vel collega cum pari potestate, præter præscripta Legum adiungendus sit: At certissima Regula Iuris est: Quod is, qui sentit commodum, sentiat quoq; onus. Et, qui sperat suc-

 cessionem, bona tueatur. Quæ regula etsi plerumq; in Titulis soleat allegari, tamen hic etiam locum habere potest. Vbi enim eadem ratio est, idem quoq; Ius Statui debet; Et, quæ non differunt ratione, non differunt Iuris dispositione; Et, quorum æqualis est sanctitas, eorum æqualis celebretur festiuitas: Cùm igitur S.C. sit huius Regni Princeps hæreditarius, ad quem, eiusq; hæredes, hæreditas huius Regni propriè spectat, si fortaßè talis improuisus casus accidat, quem tamen S. C. deprecatur, imò optat potiùs, vt R. M. eiusq; Succeßores, Dei benignitate conseruentur incolumes, vt Regnum per ipsos pacificè, legitimè, diuq; gubernari poßit; Si inquam ex improuiso is humanitùs casus accidat, ipsum Ius hæreditatis postulat, vt absente R. M. Regno S. C. præsit: Præsertim cùm ex hac Regiâ familiâ, qui eò ætatis proceßerit, vt ad gubernandam Rempub. idoneus accedere poßit, reperiatur nemo; Nec Leges permittant, vt alius Regno præficiatur, quàm proximus agnatus.

Secundò, naturalis etiam ratio, in quam omnes Leges, Patriæq; commoditates coniurarunt, postulat, vt illi Gubernatio Reipub. committatur, qui ei maximè est addictus; At secundum Leges præsumptio est pro illo, qui se, suosq; hæredes, aliquandò succedere poße sperat. Proindè cùm S. C. vt modo diximus, sit Princeps hæreditarius huius Regni, nunquàm committet S. C. ut sua Respublica aliquid captet detrimenti: Nam S. C. eiusq; Succeßoribus maximum damnum indè oriretur, si, quod Deus auertat, quid grauius Reipub. accideret; Ideoq; S. C. nemo vel præferri, vel Collega adiungi potest. Siquidem igitur euidentibus rationibus, ex præcedentibus concludi potest, quòd absente Rege, vniuerso Regno non plures quàm vnus præeße poßit, & præter S. C. accedere ad rem gerendam poßit nemo; Quandoquidem alij per ætatem idonei non sunt, sequitur ergò ex his, sine vllâ controuersiâ, quòd hac in re, cum ipsius Maiestatis dignitatis præiudicio nihil actum, sed hoc duntaxat decretum sit, quod iubent Leges, & publica Patriæ requirit vtilitas: Nam S. C. non hoc egit, vt R. M. quod absit, ex Regno excluderet; Sed absente R. M: Patriæ saluti, & commodis seruiret; Nec etiam S. C. Reipub. suam operam obtrudit, sed rogatu Regni Sueciæ Ordinum, ad rem gerendam acceßit.

Quod ad Titulum attinet, neque is oppugnat R.M. dignitatem, & præeminentiam;

Prima

Prima ratio est, quòd non sit Titulus Regis, sed eius qui Regis officio præest, & vicem gerit.

Secunda, neque in hoc, neque in cæteris Regnis, non fuit vsitatißimum, vt ij qui Regnis, & Prouincijs præessent, talibus Titulis appellarentur, vt patet ex nostris Annalibus, vbi Torchllus Canuti, Suanto Nicolai, Steno Sture Iunior, & multi alij, Regni Præsides, & Administratores vocati sunt.

Tertia, dignitati Regiæ hoc Titulo nihil detrahi potest, cùm R. M. suis Diplomatibus Claudium Flemmingium eodem Titulo honorarit, quod in Regiâ Cancelariâ etiam nunc vsu obseruatur; Qui tamen Titulus, vt à Regni Ordinibus non approbatus, Flemmingium minimè decet: Nam Flemmingio Illustrißimus Princeps multùm præstat, neq; etiam par est vtriq; ius gubernandi; Nam S. C. ex Regiâ Familiâ orta, huius Regni Princeps Hæreditarius est, sed Flemmingius R. M. & S. C. est Subditus.

TErtium Caput Decreti de Appellationibus, nec quicquam aliud continet, quàm quod Legibus Sueticis, & externis est consentaneum; In eâ etiam prouinciâ, ex Legum præscripto agenda caußa, vbi erat delictum; Et ibi extare exemplun pænæ debet, vbi exemplum culpæ extitit, multæq; indè confusiones, & Patriæ pernicies oriretur, si omnium caussarum cognitio in Regno Poloniæ fieri deberet.

Primùm enim, caußarum cognitio, tàm certò vt debet, illic fieri non potest, certius enim in re præsenti, delicta cognosci possunt.

II. Fieri etiam poßet, vt is qui iustam caußam fouet, propter inopiam, caußâ caderet, quandoquidem ipse præsens esse, suam actionem intendere, & in iudicio prosequi, testes producere, & alia quæ ad legitimam probationem, & caußæ cognitionem pertinent, secùm habere nequeat.

III. Incolarum facultates, per talia longa itinera prorsus exhauriuntur, eorumq; indubitatam, & ineuitabilem perniciem indè sequi neceße est.

IIII. Regni Sueciæ vetustißimæ Iurisdictiones, Leges & Priuilegia violantur; Quod tamen vt fiat, committi non debet, nec potest, ad quæ conseruanda, omnes vnanimiter Nationes adeò obstinatè elaborarunt, & enixæ sunt, vt dicere non sint veritæ, illos teneri pænâ fractæ pacis,

pacis, qui alienam Iurisdictionem violant; Item quòd caussam trahens ad forum incompetens, eâ mulctetur.

Quandoquidem igitur R. M. *iurisiurandi* Religione *se obstrinxerit*, Iurisdictionem Regni Suetici *violare nolle, contra* Iuramentum *suum impingeret, si committeret, vt* Regni Sueciæ Incolis, *forum competens vel in* Poloniâ, *vel alibi constitueretur;* Hine *etiam magnas difficultates tùm* Rege Erico XIII. *tùm alijs* Regibus *imperantibus, exortas esse, nostri* Annales *docent.*

V. Huc *accedit, quòd* R. M. *caussas* Sueticas, *in* Regno Poloniæ *neq; cognoscere, neq; determinare eâ de caußâ poßit, quòd* S. M. *ad eam rem præstandam, illi viri desint, quorum consilio se administraturam* Rempub. *Sueticam, iurauit.*

Quartus Articulus, *vbi disceptatur de officiorum distributione,* Legibus *Sueticis fundatus nititur, et quoniam* Leges, Regis Ius *exprimunt, non dubitamus quin* R. M. Leges *patrias approbatura sit: Si igitur* S. M. Leges, *in quas iurauit saluas esse velit, non licebit illi absenti, & vniuscuiusuis, qui ad eam veniat, particularibus precibus permotæ, officia distribuere;* Accedit *quòd capite primo de iudicijs, secundum* Lges *Sueticas celebrandis, expreßè* Rex *absens, iudicem* Prouincialem *constiturere prohibeatur;* Sed *eius* Iudicis *constitutio penes illum est, cui* Rex *eam rem commisit, quiq; Regis absentis vicem gerit;* Quanto *minùs id fieri debet in officijs grauioribus c semperq; fuit vsitatum in* Sueciâ, *vt* Regni Dapifer, *seu* Prorex, *absente* Rege, *officia distribueret, vt apparet ex* Vnione, *quâ eadem potestas ipsi delata est.*

Quandoquidem *igitur ex suprà memoratis* Articulis, *reperiatur nullus, qui non spectet ad* Religionem *propagandam,* Ius & Iusticiam *administrandam, & confirmandam, ad* Regni *vtilitatem, omnes confusiones tollendas,* R. M. Iuramentum, & Aßecurationem, Pacta *itidem hæreditaria conseruanda, ex his sine vllâ controuersiâ liquet, quòd id quòd diximus* Decretum, R. M. Iura, & *dignitatem non violet;* Sed *potiùs amplificet, & illustret; Ideoq; si præscripta* Legum *obseruentur,* S. C. *ex promißo* Regni Ordinum, *meritò & haberetur, & referretur gratia, quòd absente* Rege, *hoc gubernandi, molestijs & curis plenißimum onus obicrit, & susceperit:* Nec *deceret contumelijs, & ignominiosis verbis, quibus litteræ, ad* S. C: *datæ, scatent, hoc pium officium*

teme-

temerari; Leges enim de eo, qui aliena negotia curat, in hunc modum loquuntur; Quòd illi suum officium damnosum esse non debeat: Et, quòd illi detur actio, vt consequatur quicquid impendit, vel amisit, ratione gestionis; Et, quòd beneficio conuentus vti posit, quamuis euentus non respondeat, modò tamen sine culpâ negotium gestum sit. Multò magis in S. C. hæc conueniunt, quæ Dei omnipotentis beneficio, summâq; suâ diligentiâ, adeò fœliciter Rempub. administrauit, vt exiguo illo tempore, quo magnis laboribus, & curis S. C. præfuit, multæ confusiones, multaq; damna, & incommoda, quæ Regno, si sine Rectore eo tempore fuisset, impendebant, & imposterùm eo casu imminere, & accidere possunt, sublata sint. At verò si R. M. affirmet, se non tàm de ipsius Decreti articulis queri, & protestari. (quòd ij Articuli S M. dignitati, & Iuribus, non adeò aduersari videantur) quàm de ipso Iure, & potestate indicendi Comitia, quam S.C. sibi arrogauerit Quandoquidem ea potestas inter Iura regalia, quæ soli Regi competunt, recenseatur.

Ad hanc obiectionem S. C. sic respondet, quòd Legibus non facilè posit probari, ius indicendi Comitia, inter Regalia esse recensendum; Cùm ea Regalia, quæ ex speciali concessione in aliam conferuntur personam, non egrediantur; Secùs autem in iure Comitiorum obseruatum, exempla ostendunt: Quod ipsum, ex rebus gestis Polonorum apparet, vbi tantam Archiepiscopo Gnesnensi potestatem esse legitur, vt Comitia indicere & Senatusconsulta definire, absente Rege, posit. Et quamuis Lex aliqua in contrarium allegari posit, meritò tali Legi, hoc in casu omnis vis derogatur, Quandoquidem tale ius Regno Succiæ, longâ præscriptione acquisitum, quemadmodùm Regalia omnia de iure acquiri possunt: Sicut ex multis Comitijs in hoc Regno celebratis, præsertim Erico X I I I. & Iohanne I I. Regibus imperantibus, videre licet. Prætereà etiam, vt hic Conuentus ageretur, patriæ salus, & summa necessitas postulauit, quæ necessitas omni caret lege, nec legem admittit.

Cùm ex hisce probationibus enumeratis, manifestum sit, liquidoq; constet, quòd sæpiùs memoratum Sudercopense Decretum, nihil in se contineat, quod non ad Religionis vnitatem conseruandam, & prouehendam, Iurium & Legum confirmationem, defensionemq; condi cere videatur; Nullis equidem argumentis, quantumuis subtilibus euertere,

 irritamq;

Irritamq; Transactionem Sudercopensem R. M. *reddere potest, nisi eadem operâ Iuramentum suum, in dubium vocare velit : Verùm vt omnia firmiori innitantur fundamento, quæ ad Transactionem Sudercopensem elidendam, conuellendamq; à* R. M. *adducuntur argumenta,* S. C. *breuibus dißoluet, atq; refutabit.*

Principiò hunc in modum R. M. argumentatur: In omni Conuentu legitimo, duo potissimùm requiruntur, quorum prius, vt adsit approbatio, & consensus Superioris; Deindè vt caussæ impellentes, necessitasq; indicendi Conuentum, maturè illi exponantur. Cùm autem Conuentus Sudercopiæ habitus, sine R. M. consensu, caussarumq; vrgentium maturâ significatione celebratus sit, illum mutilem, illegitimumq; pronunciandum R. M. censet.

Ac vt R. M. sententia, ratione, Legumq; authoritate suffulta, communitaq; videatur, ad eam confirmandam, & stabiliendam, ex secundo capite, Titulo de Regalibus, textum adducit, in quo scriptum extat: Mandato Regis Subditi parere tenentur; At R. M. edicto interposito prohibuit, nè Comitia indicerentur, vt ex Diplomate apparet, ergo &c.

AD *hoc Illustrißima* S. C. *respondet, quòd quantùm ad ipsam propositionem attinet, ea rationibus destituitur : Nam si illi Conuentus solùm legitimi vocandi, qui caußarum præcedente significatione indicuntur, sequeretur indè, multa impia Concilia, atq; Comitia approbanda, quæ hunc in modum indicta, & celebrata sunt; & vice versâ, multos vtiles, & neceßarios Conuentus irritos censendos, cùm sine supremi Magistratus voluntate, illoq; planè nescio, sint habiti, quod dictu esset periculosum : Cùm in illis multa sint conclusa, & definita, quæ ad vtilitatem, & salutem Imperiorum, ac Regnorum spectant, vt ex nostris, aliarumq; gentium Annalibus manifestum est. Itaq; eundem Syllogismum ità confirmare oportuit : Legitimus Conuentus est, in quo nihil pertractatur, quod non Legibus consentaneum sit, atq; ad salutem, optimumq; Reipub. statum pertineat : At in Conuentu Sudercopiæ habito,*

nihil

nihil est determinatum, quod non cum nostro, aliarumq; gentium Iure conueniat, & Patriæ apprimè vtile sit, vt ex ipso Decreto, tripiici idiomate donato, & in vulgus edito, apparet; Quis igitur eundem Conuentum illegitimum iudicat? Et si legitimus Conuentus vocandus ille sit, de cuius caussis, ac necessitate admonita R. M. *fuerat (quod* R. M *ac Reuerendissimum, Illustrissimumq; Poloniæ Senatum velle, ex litteris* R. M. *Orationeq; Dominorum Legatorum conspicuum est) non potest hic Conuentus vllo pacto illegitimus appellari; Cùm de caussis, quibus* Illustriss. *Princeps, Regniq; Consiliarij permoti, hæc Comitia indixerunt, maturè* Illustriss. S. C. & *Regni Consiliarij* R. M. *certiorem fecerint, vt ex litteris Stocholmiæ* 28. *Iulij datis, liquidò constat.*

Ad hæc, non latuit R. M. *quantis in confusionibus, & omnium rerum perturbationibus, Regnum post se reliquerat, quò minùs* S. M. *de caussis sollicitam esse oportebat; Nec propterea hic Conuentus illegitimus esset iudicandus, etiamsi caussæ ad* R. M. *præscriptæ non fuissent; Cùm nulla* Lex, *quæ illud præcipiat, in Iure nostro municipali reperiatur, illudq; illegitimum vocetur, quod Legibus aduersatur: Et si vlla extaret* Lex, *quæ, nè* Comitia, *nisi priùs caussis* R. M. *expositis, celebrarentur, vetaret, meritò illa coangustanda, vel prorsùs antiquanda foret, vbi periculum ex morâ pertimescendum, in quo casu à communibus Iuris Regulis recedere licet, quæ exceptio hic locum, procul dubio, habet. Nam quantam in moram pertrahuntur responsa, quæ ex* Poloniâ *expectantur, quotidiana experientia ostendit, vt ferè annus excurrat, priusquàm illi, qui eo oblegantur, negotia sibi commissa expedire possint. Deinde, etiamsi* S. C. *tamdiu Conuentum distulisset, quoad* R. M. *litteræ allatæ essent, parùm eâ re actum fuisset, cùm iam intelligat* S. C. *totum hoc negotium planè* R. M *displicere, ex quo fieri potuisset, vt* R. M. *hunc Conuentum prorsùs inhibuisset, non sine Regni huius detrimento, Regiæq; dignitatis maximâ iacturâ. Et quamuis gratum, & acceptum aliquod responsum* R. M. *dedisset; Tamen hoc immemoriatæ* Regni *huius consuetudini repugnasset; tùm quià* Regno *huic liberum, permissumq; semper fuerat, Rege in exteris Nationibus hærente, necessitateq; extremâ vrgente, Comitia indicere; Tùm etiam quià* Regni *huius administrandi modum, ac formam ab exteris petere, Regno huic dedecori, ac ignominiæ esset futurum. Quàm necessarius autem hic fuerat* Conuentus, *sequentes rationes docebunt.*

Primò

Primò enim omnibus in confeßo est, quod Regia Maiestas fateri cogitur, nisi eâdem operâ, Regnum hoc S. M. non incommodè carere poße, asserere velit, Nullum Regnum, modò in florenti statu perdurabit, sine certo Capite, ac Rege, certâq; administratione esse poße; Iàm Regno egreßa R. M. erat, illudq; sine Gubernatore, certâq; gubernationis Formâ, post se reliquerat, nec spes vlla reditus in hæreditarium Regnum affulgebat, cùm certo constaret, R. M. Ordinibus Regni Poloniæ, priusquàm indè soluisset, fidem dediße, simul ac Regno esset inaugurata, constitutisq; in Sueciâ rebus, statim ad illos reuersuram, reliquumq; vitæ tempus ibidem exacturam; Quod etiam exemplar obligationis, Polonis Cracouiæ præstitæ, S. C. à Comite Erico, Nycopiæ 15. Ianuarij exhibitum, apertè ostendit. Quarè omninò necessum erat, vt de medijs, quibus Regnum, R. M. absente, gubernari posset, deliberatio institueretur, nè Regnum ex illâ confusione, quæ paulatim pullulare incepit, aliquid detrimenti caperet. Quià autem nec Gubernator Subditis præfici, nec Forma certa præscribi, sine illorum consensu, ac voluntate potuit, necessum omninò erat, vt Regni Ordines conuocarentur, communibusq; suffragijs, aliquem eligerent, qui Regnum iam penè Rege destitutum, & quasi in Interregno constitutum, gubernaret.

Deindè, nisi Subditis de Gubernatore prospectum fuißet, ad quem suas querimonias deferre potuissent? Sed quiuis illis pro libitu imperare potuißet, à quo vix nunc abstinetur, postquàm Regno aliqua Gubernationis forma reddita est, ius, atq; iusticia administrantur, idq; ideò, quòd R. M. Sudercopense Decretum irritum, suspectumq; reddiderit, atq; in contemptum adduxerit; Indè fortaßis occasionem Subditi captare potuißent, recedendi ab eâ, quâ R. M. deuincti sunt, fide, & obedientiâ, cùm se à legitimo, & inaugurato, atq; coronato Rege desertos viderent, & sui facti ratione, Maiorumq; exemplis non destituerentur.

Ad hæc, aliquod aliud incommodum indè resultare potuisset, ità vt plurimùm fit, vbi nullus certus Gubernator, nullaq; administratio certa est: Atq; præter has enumeratas rationes omnes, illud etiam accedit, quòd nondùm bello, quod nobis cum Moscho intercedebat, quodq; iam annos 26 durauerat, finis impositus fuerit, appropinquaueritq; hyems, quo tempore hostis, arma huic Regno inferendi, damnoq; afficiendi, optimam commoditatem habuit; Limites etiam Regni, præsidiario milite

ftte denudati fuerint, ac planè hostium impreßionibus expositi, ad quem conducendum, communis consensus, communeq́; auxilium requirebatur. Quarè omninò neceßum erat, vt hisce imminentibus periculis, maturè occurreretur, quod nullâ aliâ ratione commodiùs fieri potuit, quàm Sudercopensi Decreto.

Quòd autem R. M. *ex prædicto textu* II *Capitis*, *Titulo de Regalibus, vbi omnes* Subditi, *Regis mandato parere iubentur, euincere conetur, hunc* Conuentum *illegitimum esse, animaduertendum* S. C. *censet, quomodò ex eodem textu, hoc ipsum deduci queat; Duplicem autem* Regis *verba interpretationem admittuut: Prima, vt* Subditi *Regis mandato obedire teneantur, cùm fuerit* Legibus *consentaneum, illisq́; vestitum; Quem sensum, si* Regis *verba recipiant,* S. C. *disputationem* R. M. *non mouebit; Sed solùm sciscitabitur, vtrùm eiusmodi* Conuentus, *Legibus prohibetur? Quod si* Lex *adferri nulla poterit, quâ eiusmodi* Conuentus *interdicuntur, non inconcinnè* S. C. *indè colliget, eosdem de* Iure *esse permißos; Quidquid enim non est prohibitum, permißum censetur. Et quod lex non dicit, nec nos dicere debemus: Quæ* Leges *in proposito nostro, vel ideò magis locum habent, quòd hic de priuatione* Iuris *agatur, quòd nemo priuandus sit, nisi* Legibus *id expreßè caueatur. Quòd si autem illa verba idem significent, quod* Leges *præcipiunt, vt quidquid* Rex *mandauerit, id* Subditi *exequi debeant; Ex eo multæ incommoditates sequentur; Eo enim pacto fiet, vt quidquid* Rex *præcipiat, siuè iustum, siuè iniustum id fuerit, omne vim* Legis *habeat,* Subditiq́; *exequi teneantur. Quæ lex magis* Tyrannum, *quàm* Christianum Principem *redoleret.*

Quamuis enim Cæsar Monarcha *sit, cuius in pectoris scrinio, omnia* Iura *continentur, quiq́; potest rescribere, atq́; statuere contra* Ius *positiuum;* Non *indignum tamen suâ* Maiestate *iudicauit, dicere se subiectum* Legibus; *Econtrà verò* Tyrannorum *omnium communis vox est: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.*

II *Non potest eadem lex, tàm generaliter intelligi, vt voluit* R. M. *cùm* Regis *imperium,* Iuramento, Cautione, *&* Legibus *sit circumscriptum, atq́; limitatum, nec se latiùs diffundat, quàm illa permittunt; Quibus etiam ad id respondetur, quod* R. M. *litteris suis inseruit, se non absolutum, sed limitatum* Imperium S. C. *conceßiße; Cùm enim* R. M. *absolu-*

 absolutum imperium, vt iam demonstratum est, non habeat, quomodò illud in alium transferre potuit, quod non habet?

III Cùm expreßè in Iuramento Regis, & nostro Iure municipali contineatur, quòd Rex nihil aliud imperare Subditis debeat, quàm quod coram Deo, & hominibus æquum, iustumq; sit, quomodò Rex Subditis quidquid velit, mandare potest? aut quomodò Subditi illius imperio, in omnibus quæ mandauerit parere sunt obnoxij, præsertim si aliquid præcipiat, quod Legibus, Statutisq; Patriæ aduersetur?

Cùm igitur hæc Lex, cum exceptione intelligi debeat, vt iam est demonstratum, nec se latiùs extendat, quàm Iuramentum Regis, Regniq; Iura permittunt, rectè quæri potest, vtrùm tantam potestatem Rex habeat, vt Conuentum Sudercopensem impedire, vel disturbare poßit? Primò enim R. M. Iuramento promisit, se nouâ Lege Subditos non aggrauaturam, nisi consensu, ac voluntate illorum priùs impetratâ; Cùm autem Lex in toto nostro Iure reperiatur nulla, quæ Conuentus, Rege apud exteros commorante, celebrari vetat, & vt talem Legem R. M. sancire, & introducere queat, Subditorum approbatio inprimis requiratur: Certo autem certius est, Subditos ad hanc rem consensum suum non accommodaturos, cùm omnium eorum studia, ac voluntas, in Sudercopensia Comitia conspirauerint, illaq; vnanimes inuiserint, & confirmauerint. Quapropter talem Legem R. M. ferre non potest, ideoq; nec Conuentum Sudercopiæ habitum prohibere, nisi R. M. contra Iuramentum præstitum, datamq; fidem, & huius Regni Iura agere velit; Tùm etiam Regnum suum hæreditariùm in summum discrimen adducere.

Secundò etiam R. M. Iuramento cauit, se omnia Iura, ac Priuilegia huius Regni, sarta tectaq; conseruaturam; Cùm autem Regni huius peruetustum Ius, ac Priuilegium sit, Comitia indicere Rege absente, nec Regni Statum ità Ordinante, vti par, æquumq; fuerat, quod ex Comitijs, superioribus seculis celebratis manifestum est; præsertim verò imperantibus Erico XIII. & Iohanne II. vbi Regni Ordines conuenisse leguntur, ad componendas litteras, quibus Regem officij sui admonerent, ac hortarentur, nè Regnum in tantis perturbationibus relinqueret, vti tunc factum est. Et quamuis Illustrißima S. C. haud ignoret, quòd non exemplis, sed Legibus sit iudicandum; considerandum tamen existi-

existimat, exempla in duplici esse differentiâ, quorum alia Legibus ex diametro repugnant, alia cum Legibus consentiunt, illorum nulla authoritas est, hæc cum Legibus æquam vim habent; Cùm verò prædicta exempla, Legibus non sint contraria, vti iam probatum est, & in sequentibus vlteriùs demonstrabitur, non potest R. M. eadem Iure improbare: Deindè S. C. non tàm exempla respicit, quàm frequentiam Actuum, cursumq; temporis ad præscriptionem requisiti; Quæ consuetudo, non solùm æquam cum Legibus vim habet, sed etiam illis interdùm authoritatem suam derogat.

Quarè Illustrißimæ Suæ Celsitudinis sententia, apud æquos Indices defendi facilè potest, quòd anteacti temporis exempla allagauerit.

Tertiò, cùm R. M. sanctè promiserit, se nihil quod ad huius Regni salutem, florentemq; statum pertineret, intermissuram, S. M. Sudercopense Decretum, irritum reddere non potest, cùm in illo nihil contineatur, quod non ad salutem, & incolumitatem Patriæ prouehendam, augendamq; plurimùm conferat, vt ex antè demonstratis est manifestum: Et si vlla extaret Lex, quâ caueretur, nè Comitia in absentiâ Regis celebrarentur; Rebus tamen sic stantibus, ea restringenda foret, vbi Regni salus, propter absentiam Regis, periclitaretur; Salus enim populi, suprema Lex esto. Et, Princeps publicam vtilitatem, priuatæ anteponere debet.

Siquidem igitur S. C, & reliqui huius Regni Inhabitatores, vlteriùs R. M. non sint deuincti, & illius mandato parere tenentur, quàm quoad Iuramenta, Cautiones, ac Iura permittunt, Regioq; Iuriiurando aduersetur, si celebrata Comitia, & Decretum communi consensu factum, & approbatum, R. M. impedire velit; Rectè igitur sequeretur, Subditos ad hoc non esse obligatos, vt eius edicto sint obedientes, præsertim cùm hic Conuentus Regni, Regisq; saluti innitatur.

Secunda R. M. obiecto est, quòd postquàm Regnum ex electitio, hæreditarium esset factum, nulli vnquàm, viuente Rege, Conuentus tales sint celebrati; Quarè si idipsum nunc tentaretur, repugnaret hoc R. M. dignitati, ac Iuribus Regalibus.

A*D hoc S. C. respondet, quòd ab eo tempore, quo primùm Regnum Sueciæ hæreditarium factum est, nunquàm Reges, duo tàm longo inter-*

maximam partem, R. M. *multa commisisse*, S. C. *docere posset, nisi* R. M. *honori, ac existimationi consuleret.*

Deinde lædit eadem obiectio magis R. M. *caussam, quàm illam propugnat, quòd* R. M. *dicat se recenti memoriâ tenere, quæ in Inauguratione* S. M. *facta, transactaq; fuerunt.* Pro *suâ enim excellenti prudentiâ* R. M. *facilè aßequi poteß, quæ suspicio indè oriatur, cùm quis omittit, quod se iure facere debere sciuit.*

III. *Hinc etiam iudicium fieri poteß, quomodò in posteritate illud ipsum seruabitur, cùm in initio, datâ operâ, negligatur.*

IIII. *Ad hæc, infrequens non eß, vt quod semel eß conclusum, renouetur; Multa enim in Constitutionibus, publicisq; Edictis reperiuntur, quæ in nostro Iure sunt comprehensa, quod etsi nemini ignotum eße debet, vel poteß: Attamen cùm multis modis, aduersus illud peccetur, commodum Reges, Regniq; Ordines duxerunt, si illa Capita, in quæ potißimùm Subditi impingunt, in nouas Constitutiones, ac Edicta congesta, populo proponerentur. Quod etiam aliarum Gentium exemplis illustrari, & amplificari poßet, nisi ea commemorare nimis longum foret.*

Quinta Regiæ Maiestatis obiectio eſt, quòd Illustrißimus Princeps, hisce Comitijs occasionem præbuerit, vt R. M. & S. C. ac tota Posteritas, Regno, & successione priuentur, ideò Sudercopense Decretum omninò esset abrogandum.

HVic *Illustrißimus Princeps respondet, experientiam, perpetuum Historicorum consensum, & omnes Politicos testari, duas eße precipuas caußas, propter quas Deus Imperia de gente, ad gentem transfert; Impietatem & Iniustitiam. Quarè ex contrariorum naturâ sequitur, qui Religionis concordiæ consulit, ius & iustitiam administrat, cum mutationibus nullam occasionem præbere. Quòd autem Illustrißima* S. C. *Regniq; Ordines hunc scopum in Comitijs Sudercopensibus sibi solùm propositum habuerint, ex ipso Decreto apparèt, & antè abundè eß probatum: Quarè iure Illustrißimus Princeps non accusatur, quòd hisce Comitijs aliquam ansam præbuerit, vt Regno,* R. M. *eiusq; Successores priuarentur; Cùm enim in Sudercopensi Decreto, denuò cauetur, vt Subditi iuramentum fidelitatis, quod* R. M. *anteà*

 prasti-

dercopensem Transactionem conuellere, nisi enumeratorum incommodorum aleam subire vellit.

Et quamuis alicui in mentem venire potest, quòd Subditis ab obligatione recedere non liceat, etiamsi contra Pacta, R. M. ageret; Propterea quòd R. M. iuramento sint deuincti, quod illis, quantumuis enormiter læsi fuerint, sine periurij notâ violare nefas est; Tamen hic considerandum, quòd iuramentum non sit vinculum iniquitatis, & iniusticiæ; Quod tamen ex hoc sequeretur, si R. M. impunè à iuramento recedere posset, & Subditi nihilominùs omnium officiorum Religione astringerentur. Nihil enim Iuramentum Regis aliud continet, quàm liberum Religionis exercitium, & quæ cum Iure nostro, Priuilegijsq; consentiant, quæ si R. M. tollere fas esset, & Subditos vigore Iuramenti in obsequio, ac fide retinere, esset illud iniusticiæ, & iniquitatis vinculum.

Sextò obijcit R. M. nempè si proditio aliqua Regno impendisset, non tamen satis caussæ habuisset Illustrissimus Princeps, indicendi Comitia, nisi priùs R. M. consensum ad eam rem obtinuisset, quantò minùs nunc idipsum fieri oportebat, cùm nihil detrimenti meritò metui debuisse videretur?

AD hoc S. C. respondet, se facilè existimare non posse, quibus hæc sententia fundamentis nitatur, cùm in eiusmodi casibus, Legibus omninò soluti simus: Licet enim parricidium, grauissimum delictum sit, quod adeò horrendum, ac detestabile antiquis Romanis visum erat, vt putarint illud in hominem cadere non posse; Ideoq; pœnam, quâ eiusmodi peccatum condignè punirent, excogitare difficulter potuerint; Legibus tamen suis, non solùm filium insontem iudicarunt, qui parentem aliquid proditionis molientem interfecerat, verùm etiam præmijs affecerunt. Deindè generalis omnium Legum exceptio est. Salus populi suprema Lex esto. Et, necessitas caret omni lege: Ex quibus videre est, in eiusmodi casibus, à præscripto Legum, recedere fas esse. Quòd si in tàm atroci, & nefario scelere, Legibus exempti sumus, vbi ex proditione aliquod imminere periculum videtur; quantò magis licebit pari vrgente necessitate, Conuentum indicere, qui nunquàm Legibus introductus inuenitur? Et potest R. M. ex ijs, quæ hactenùs commemorata

 sunt,

 sunt colligere, si Regnum secundùm eam, quam R. M. gubernationis Formam post se reliquit, administrari diutiùs debuisset, non leuius ex eâ re detrimentum cepisset, quàm si proditio aliqua fuisset pertimescenda.

AD *illam verò Orationem Legatorum Polonicorum, sequenti tenore S. C. atq; Regni Sueciæ Consiliarij responderunt.*

Responsio ad orationem Polonorum.

INter *cætera admiranda Dei præpotentis, in orbe terrarum opera, vix quicquam magis mirum videri potest, quàm vinculum, seu series, quâ homines mortales, à mundi primordio gubernari, & societatem eorundem ritè conseruari, compertum est: Modo etsi longè differenti, plerumq; etiam confuso; Attamen hactenùs interitus in vniuersum inexperte; Alibi scilicet vnum, alibi pauciores, nobiliores, & sapientiores; Nonnulli ibi plures, aliquandò multitudinem præesse constat. Et nihilò seciùs in tantâ hominum, & Nationum varietate, ac gubernandi inæqualitate Imperia subsistere, nec non vsq; ad finem mundi duratura esse, nemo non sapiens admiretur, ac singulari Dei bonitate euenire non fateatur, idq; potißimùm, quò omnium Imperia, omnium gentium tendere videri volunt, vt Deus rerum conditor celebretur, Iusticia sarta tectaq; conseruetur.*

Primum tamen, & præstantißimum inter tàm diuersas gubernationis formas, semper habitum est imperium vnius; Adhibito tamen prudentium consilio; Id vnum ab vno Rege, sicut corpus humanum, cum totâ compage, abs vno capite rectiùs regitur, vt Illustres, & Magnifici Dni. Legati prudenter, in initio Orationis suæ adduxerunt, commemorantes pristinam amicitiam, inter hæc duo Regna, Sueciam, & Poloniam, longâ annorum, & Regum serie, videlicet Erici XIII. Caroli Canuti, Gustaui, Iohannis III. Sueciæ Regum, (bonæ memoriæ) cum VVladislao Rege Poloniæ, Alexandro Duce Lithuaniæ, Casimiro magno, Sigismundo Primo, & Secundo, Poloniæ Regibus, (laudabilis recordationis); Tùm quoq; Potißimùm non ità pridem, longè augustiorem, & arctißimam, Sigismundo Sueciæ Principe, in Regem Poloniæ liberis suffragijs, spontaneâq; voluntate electo: Honorifica semper fuit, & est vtriq; Regno amicitia, Poloniæ hactenùs plerùmq; quæstuosa, Sueciæ verò gratißima; Præsertim nunc, quòd vni Domino, duo clarißima Regna obediant: Quo nomine etiam Magnifici Domini Legati

gati vberiùs testantur, non tantùm sese; Verùm etiam vniuersos amplißimi Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ Ordines, S. R. M. omninò esse deuotos.

Ad comparationem corporis humani cum Regno, quod attinet, quòd ea sit ratio capitis in corpore, quæ dignitas Regis in Regno; Apta quidem ac valdè concinna similitudo, magnæq; eruditionis argumentum, imitatione Menenij Agrippæ apud Liuium; Attamen Suecis, Regum suorum semper amantißimis, minimè inculcandum erat. Nam de Statuum Regni Poloniæ in Sacram R. M. obseruantiâ, nemo quæstionem mouit, quam non necessitate, sed voluntate in Regnum Poloniæ accersiuerunt; Illos fama ad S. M. electionem pellexit; Suecos verò Ius sanguinis hæreditarium, cum virtute coniunctum, Regi deuincit: Illi quòd liberâ voluntate ipsum Regem susceperint, singularem propensionem, & gratitudinem in maternum genus Regium testati sunt; At Suecos promptitudine, & amore in Regem, Regiamq; Familiam, quis vnquàm ulli dixerit esse secundos? Qui summam rerum Regni vetustißimi, quod suffragijs cesserat, perpetuo iure hæreditatis, Regali propagini Masculæ consignarunt, nullâ aliàs Legum, vel Priuilegiorum Regni antiquitate factâ. Fatendum quidem est, nihil magis Naturæ consentaneum esse, quàm corpus cum omnibus membris, ac vniuersâ compage à capite gubernari, idq; Regi in Regno iure competere; Eâ tamen conditione, nè membrorum, quibus parendum est, officia confundantur, nec præter Leges quicquam obtrudatur; Habitâ deniq; ratione, si Rex qui rerum potitur, intra, vel extra Regnum fuerit constitutus.

Queruntur deindè D. Legati, de Conuentu Sudercopiæ habito, de quo, cùm in Poloniâ percrebuisset, non præterire potuiße Status, et Ordines Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ, quin de totâ eâ re, quæ in eodem Conuentu, & quomodò acta fuerit, quæ non solùm Regni huius clarißimi statum, sed & dignitatem R. M. læderet, & afficeret, diligenter cognoscerent. Nam nihil quod ad statum Regni istius, neq; ad veteres, vsitatasq; in Sueciâ Leges, & Instituta quicquam hoc tempore desiderari potuiße, illis visum est. Prospexerat enim R. M. hinc profectura, vt desiderata pax, Regno huic suo paterno Sueciæ, ab hæreditario hoste Moscho constitueretur; Domestica etiam

Ità ordinatâ reliquerat, vt hoc tempore nihil perturbationis, nihil detrimenti metui meritò debuiſſe videretur. Quamobrem *præter omnem ſpem acciderit, cùm* R. M *tùm & omnium* Regni Poloniæ, *magniq;* Ducatus Lithuaniæ Ordinum, *vt nullâ vrgente neceſſitate publicâ (vti quidem ex ipſis eius* Conuentus *actis conſtat) is* Conuentus Sudercopiæ *haberetur.*

Itaq; *omnibus* Articulis Transactionis *eiusdem, diligenter perpenſis, & examinatis, rogaſſe* S. R. M. *vt hiſce de rebus, cum* Illuſtriſs. Principe, *Illuſtribus, Magnificis, &* Generoſis Dominationibus, Regni Sueciæ *Conſiliarijs, fraternè agere poſſent.* Et *licet de fide, & integritate Suecorum, erga* R. M. *non dubitarint; Tamen cùm ex animorum diſtractione, præter propoſitum nonnulla,* Principum *authoritati, vel Legibus ipſis repugnantia, ſoleant obrepere; Ità ampliſſimos* Regni Poloniæ Status, & Ordines *non diffiteri, multa quoq;* Sudercopiæ *interueniſſe, quæ niſi maturè corrigantur, grauem aliquam in hoc* Regnum *veteris* Ordinis, *iuſtiq;* Imperij *perturbationem afferre poſſe videantur;* Idq; *ſemper talium perturbationum initium eſſe, cùm legitimo* Domino, *non ſolùm præterito, ſed & planè vetante, ad Conſilia publica alieno vocatu, & priuatâ authoritate conuenitur, Leges feruntur,* Exactiones *irrogantur,* Formula gubernationis *immutatur,* Miniſtri Regij *loco mouentur,* Diplomatum Regiorum *tollitur authoritas,* Moneta *alienâ effigie cuditur,* Appellatio ad R. M. *atq; adeò ipſa dignitas Regia, multis modis circumſcribitur;* Et *quæ* M. R. *ſunt, in alios transferuntur, quæ omnia* R. M. *Iura, dignitatem, & ſuperioritatem directò labefactare, ac quaſi ex* Diametro *oppugnare videntur illis, qui omninò non lippiant.*

His *omnibus diligenter reuiſis, ac iuſtioris trutinæ examini ſubditis,* Senatus, & Ordines Regni Poloniæ, *magniq;* Ducatus Lithuaniæ *per dictos* Dnos Legatos *obnixè orant, & obteſtantur, vt dignitas, & Ius Regium in* Sueciâ *inuiolatum* R. M. *conſeruetur, obuiamq; eant magnifici* Domini Senatores, *maleuolorum conatibus, eæq;* Leges, Conſtitutiones, *ac tales confœderationes, quæ* R. M. *dignitati, præeminentiæ, ac* Regalibus *iuribus planè ſunt contrariæ, & ex* Diametro *oppugnantes, penitùs abrogentur;* Iiſq; *malè iam cæptis conſilijs, extemplò curſum reflectant.* Conteſtantibus *proindè* Statibus Regni Poloniæ, *magniq;*

gniq; Ducatus Lithuaniæ, sese vitam, & fortunas, pro R. M. dignitate, salute, iuribus Regalibus velle impendere, coniunctim cum Regno Sueciæ, pariter sigillatim, nec vnquàm passuros esse, quicquam in ipsis desiderari, quod ad vindicandam vel minimam iniuriam R. M. illatam, pertinere videbitur; Adiunctâ insuper seriâ admonitione ad Suecos, fidei, & obseruantiæ erga Regem, & alia plura, quæ in ipsâmet Oratione fusiùs exponuntur.

Gratum quidem fuit officium amplissimi Senatus, & Ordinum Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ, per quod præclaram hanc Legationem, quantum in ipsis fuerit, non solùm, si quid exortum esset dissidij, dirimere, sed & mutuam amicitiam recolere videntur; Ex eo enim summa illorum in R. M. fides, & obseruantia, & in Regnum hoc beneuolentia elucet; Accidit tamen præter Illustrissimi Principis, ac Senatorum, & Ordinum Regni Sueciæ exspectationem, vt tàm acerbam suspicionem apud socios, & amicos præsertim incurrerent: Vsq; adeò leuiter non sita est fides Suecorum, vt grauissimos viros inanis rumor perculerit: Aequum non erat, eoq; grauiùs, quòd criminis læsæ Maiestatis accusari videantur; A quo semper Sueci absfuerunt longissimè. Oportuerat enim anteà Status, & Ordines Regni Poloniæ, meliùs de Sueticis negotijs instructos esse, quàm de totâ Natione tàm sinistram suspicionem, perturbati scilicet status Regni huius, & Regiæ dignitatis prostitutæ, conciperent: Sed rumore quem in Poloniâ longè maiorem fuisse constat, quàm ipsimet Legati hic reipsâ experiuntur, ista euenisse non est dubium. Admonitio quidem inter æquales, & socios admittenda est, at tàm grauis censura, scilicet: Non diffiteri Ordines Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ, multa Sudercopiæ interuenisse, quæ grauem aliquam in hoc Regnum veteris Ordinis, iustiq; Imperij perturbationem afferre videantur, dignitatem R. M. & superioritatem directò labefactatam esse, etc. aliena est ab officio, & mutuâ beneuolentiâ; Quòd falcem in alienam messem mittere videantur, & ea attrectare, quæ ad curam Statuum, & Ordinum Regni Sueciæ, qui nihil sibi priùs, & antiquiùs duxerant fide, & obedientiâ erga suos Reges, meritò pertinent; Neq; vllius magis, quàm illorum interest, non mutari iustam Reipub; formam; Sed si quid mutatum est, in integrum restitui.

Coactus

Coactus est Conuentus Sudercopiæ ab Illustrißimo Principe, quem R. M. cum Senatoribus Regno præfecit; habitus autem non leuibus de caußis, & quidem pro parte in ipsis Actis Conuentus expreßis; Quæ haud dubiè omnibus rectè sentientibus, non planè carere neceßitate, vti Legatis persuasum est, videbuntur. Neceßariò enim ad Conuentum descendisse constat, nec ibidem quicquam contra dignitatem Regiam, vel Iura Patriæ conclusum, aut nouas Leges latas; Sed receptas, exequutioni mandatas esse; Quod conseruat tranquillitatem Religionis, pro ratione Regni huius, Leges exequitur, tollit confusiones politicas, stabilit Regium Iuramentum, & Tabulas hæreditarias, id magis confirmat Iura Regis, quàm debilitat. Quare nemo dubitauerit, ipsammet quoq; M. R. sanctè, & inuiolabiliter ista seruare velle, nec ad Maiestatis dignitatem, aut Iurium Regaliorum amplificationem, & illustrationem, quicquam magis accommodum existimare: Habitus est enim Conuentus, pro commodis Regis, & Regni, nullam vel seditionem, vel inobedientiam contra R. M. Spirans, neq; R. M. nesciente: Certior enim facta est, de Conuentu, & illius caußis. Nam singula capita deliberationis ad R. M. attulit Artziowski, qui Calend. Augusti, anno præterito expeditus, & secundo vento vectus, breuißimo tempore ad Regem peruenit; Protestatus est Rex, sed re confectâ. Notum quidem est, Ius conuocandi, summo Principi competere, at intra Regnum constituto; Neq; dùm aliquandò aliter factum legimus, neq; vllo vnquàm tempore tàm strictè obseruatum est, vt crimen læsæ Maiestatis inciderent, si illi, quibus summa rerum commißa est, Rege absente, Comitia indixerint, dummodò fidei datæ, aut Iuramento non contrauenerint. Exempla hoc Regnum habet domestica, & aliquandò Rege in Regno constituto, præsertem Christierni I. & Iohannis II. Regum tempore, dùm languere effectus Iuramenti Regij cæperint, quod Rege absente, facilè potest euenire. Non est igitur, quod criminetur aliquis, qui in quietâ Repub. quietem non capit, coactum, & habitum Conuentum. Exempla externa non desunt, tùm & homines doctißimi Politici, ante multa secula; tàm Romanæ, quàm nostræ Religionis, quibus multis rationibus probatur, illæsâ Maiestate, posse fieri Conuentus, propter Regis absentiam; Et contra Ius gentium, & morem Maiorum facere ipsis videantur, testante Cominæo, qui præclarum communis Consilij habendi Institutum,

tutum, precipuum Regni robur, & firmamentum conuellere moliuntur. Sub Eduardo Secundo in Angliâ, sub Carolo VIII. & Ludouico XI. in Galliâ, & hæc quoq; sunt Regna hæreditaria, Comitia habita sunt Rege præsente; In Germaniâ nihil est noui, conuenire Status inuito Imperatore; Et recens memoria est, conueniße aliquos in Poloniâ, Rege, & quidem Sigismundo III. inuito, prohibente, ac contra protestante, & quidem intra Regnum constituto; Quod tamen nolunt meminiße, vt alios accusent: Licitum enim omnes iudicarunt Conuentum, qui publicè graui ex caußâ cogetur, qui est non contra vtilitatem Regis, & Regni, licet sit contra voluntatem Regis longiùs absentis. Confœderationes R. M. dignitati, præeminentiæ, ac Regalibus Iuribus planè contrariæ, & ex Diametro, vt iniquè obijcitur, repugnantes initæ non sunt. Seditionem sapiunt ista, quæ Succorum animos non inuasit, vt testantur ipsamet Acta publica; Coniuratio est priuata, subdola, noxia Regi, & Regno: Licet igitur Comitia indicere, quoties Rex non oppugnatur; Sed propugnatur cum Rege Regnum: Præsertim cùm planè præter Legem sit, Succos læsæ Maiestatis accusari, quòd conuenerint, cùm nullâ lege id ipsis vetitum esse constet: At Regibus quidem absq; vniuersali consensu popu'i, Legem vllam condere non licet, vt neq; sine præscripto Legum, & absq; consilio, & aßensu Senatorum, Regno præeße.

Caußas iam grauiores dicti Conuentus accipite; Inprimis æs alienum, stipendiũ militibus, quorum egregiè virtus omnibus testata est, non solutum; Tùm etiam dos consignanda, ad quæ, extraordinariâ collatione opus erat; Quæ sine Conuentu, vel ipsomet Rege præsente, impetrare in Legibus Sueticis non licet. Ex Regno M R. erat, cuius est æs Patris alienum persoluere, & Regni, quod nisi incolumi fide, incolume stare nequit. Altera caußa erat, Forma Gubernationis à R. M. præscripta, in quâ nonnulla pro ratione temporis, ob præproperum S. M. in Poloniam discessum, & alias in eiusdem Regni negotijs occupationes, videbantur desiderari, adhibitis Legibus, & Iuramento Regio, cui Status, & Ordines Regni huius, maximè innitendum esse censent, ob Religionis dißidium, quod nullum erat, cùm ius hæreditarium, Regiæ huic familiæ cederet. Oportuerat quoq; huic Formæ Gubernationis, Senatorum consensus, & suffragia accedere, sine quibus ipsimet M. R. de Legibus nostris

stris vetitum est, in grauioribus Regni negotijs aliquid statuere. Hæc de caußis Conuentus habiti, licet plures poßent enumerari, sufficiunt; nunc Capita ibidem conclusa dispiciamus.

REgis Maiestatem læsam esse contendunt, quòd nonnulli ab officijs remoti sint; quòd non ratæ habeantur Regis litteræ, quòd deniq; prouocatio ad Regem sublata sit; & plura alia, ad quæ articulatim, quò magis Sueonum innocentia, animis rectè sentientium insideat, respondebitur.

Sunt nonnulli redacti in ordinem, quod nemo it inficias, ac si caußam illustres Domini Legati cognoscerent, non iniustè. Aliqui enim saluo Iuramento Regio præeße non poßunt; Aliqui vniuersali Statuum concordiæ refragantes, non Sudercopensi solùm, sed & longè vetustiori; tùm & illi, quæ Regio iuramento haud ità pridem est confirmata, seipsos tanquàm membra auulsa, à toto corpore, segregarunt; Non absq; suspicione rerum nouarum, quibus plerumq; studere solent, qui nihil antiquiùs ducunt, quàm summo Principi absq; differentiâ æqui, boniq; Reipub. complacere, & hac ratione, alterius incommodo exsurgere: Intereà tamen Legibus, & Priuilegijs communibus, tranquilli gaudere, & frui non prohibentur.

Considerandum prætereà est, Regni huius officia digniora, non immediatè ab ipso Rege, etiam in Regno constituto, nisi primùm, si in Consilium Senatorum aßumendus Consiliarius; Si in aliud magnum officium, ex tribus vni, Prouincialium vota ceßerint, iustè largiri posse. Tantùm abest, vt Rege Præsente, minores Iudices aliter constituere liceat: At extra Regnum constituto, per Vicegerentem, quo officio Regni Dapifer, vti hic appellant, antiquitùs Rege absente, lege quadam functus est; Testantur expressæ Leges, ac diuersorum Regum Priuilegia, & Regni Constitutiones celeberrimæ ab annis quingentis; Tùm quoq; Vnio horum trium Regnorum, Margaretæ Reginæ, Erici, Christopheri, Iohannis II. Christierni I. & II. Regum tempore.

AD prouocationem, siuè Appellationem, vti vocant, veniendum est. Neminem itaq; latere potest, Deum rerum humanarum custodem, supremum Magistratum instituiße, velut asylum, & perfugium miseris; Vndè etiam extrema meritis supplicia, ad Reges, & eos qui rerum potiuntur, ac ad eos, quos Rex in suâ absentiâ summæ rerum præfecit, proucca-

reuocare licet. Idem mos in Prouincijs populi Romani inualuit, & aliorum Regum obseruatur, quotquot latiùs imperant. Atq; si liceret sontibus, aut obæratis semper prouocare ad Regem, quis litium esset finis? Quandò reprimerentur crimina? De summâ Reipublicæ, & grauioribus caußis ad Regem prouocatio est; Nihil fit præter morem aliarum gentium. Nulla est Appellatio ex Lusitaniâ, neq; ex Neapoli, quæ duo Regna per Proreges reguntur, neq; ex Prouincijs Belgicis, quæ per Gubernatores moderantur in Hispaniam fit prouocatio, cùm tamen ex dictis Regnis, & Prouincijs homines primarij, & Senatoriæ dignitatis, in Curiâ Hispanicâ, negotia suorum Popularium, habitâ ratione Legum, & Priuilegiorum, versent atq; procurent. At qui sunt iam in Poloniâ, ipsamet R. M. exceptâ, negotia Suetica tràctantes, nouerunt Legati; An ipsimet iudicarint, ipsos in alieno Regno constitutos, rebus Sueticis rectè posse consulere? Ac vt plures etiam nostrorum Popularium, Senatoriæ dignitatis ibidem eßent; Nullo tamen iure Sueticas controuersias eò trahere licet: Neq; hoc Suecis peculiare ius est; Sed apud omnes gentes peræquè obseruatur; Nam nunquàm constat, aliquem Regum, caußas, siuè controuersias vnius Regni, in altero decidisse; Nisi Regnum istud alteri sit subiectum: In Regno declinans forum competens, excidit caußâ? Regi prouocatio non est sublata; sed potiùs reseruata in scrio, Maiestati Regis Suecorum competenti, adusq; Regis aduentum; Non præreptâ interim Regi absenti potestate, alios vice sui Iudices, in Regno tamen, certæ caußæ dare, & substituere, habiles quidem, & de iure sufficientes, adiunctis Aßeßoribus, vti par est; Regi enim soli, absq; iusto examine Actoris, & Rei, atq; Aßeßoribus condignis, & neutralibus, etiamsi in Regno fuerit, sententiam ferre non licuit: Quin et tantùm abest vt Subsellijs omnis generis Iudicium, in omnib. Prouincijs Regni huius ritè, pro more, & Lege scriptâ nostrâ administratis, à Superiori Prouinciæ, eiusq; Tribunali, nullam in grauioribus negotijs, Leges admittant prouocationem ad Regem in Regno commorantem, prout clarè liquet ex Codice Legum nostrarum, titulo de Iure Regali. Quantò minùs licebit Regi extra Regnum constituto? Quod tamen si fieret, dedecus, & præiudicium Maiestati Regis, & Regni non subacti adferret, quandò summum forum Iusticiæ, in alieno Regno, loco incerto, exilij instar diuagari videretur. Multùm præ-

 tere à Incommodi foret metuendum, ex longinquitate Itineris, & sumptuum magnitudine, si in Poloniam esset prouocandum, vndè indisputabiliter Ius Regni vetustissimum, omnibus gentibus sacrum, & inuiolabile, tandem expirare esset necesse.

D*Eindè queruntur Magnifici* Domini Legati, *Regias litteras, & Diplomata rescindi* : *Ad illud S. C. & amplissimi Senatores hoc pacto respondent* : *Quæ Regiæ sunt litteræ exosculantur* ; *Quæ verò non, id est, quæ præter Regis, & Regni commodum, dignitatem, ac voluntatem scriptæ sunt, eæ ità excipiuntur, ac si* Sueones *pro comperto habeant*, R. M. *nec litteris, nec facto quippiam velle, quod non sit conforme Legibus, Regio Iuramento confirmatis*; *Vel ad vtilitatem, & vetustissimā Regum, ac Regni dignitatem conseruandam, non spectet: Hæ suspenduntur, vt dexteræ, & sigillo Regio bonos seruetur, &* R. M. *interim maturiùs deliberet*: *Sed dicet aliquis fortassis, plus sapientiæ, aut potestatis Subditis tribui, quàm Regi* : *Minimè. De Regali potestate non ambigimus, quam tamen* Alphonsus Arragonum Rex, *legitimâ voluntate definiuit, cùm diceret* : *Regibus esse licita, quæ honesta, eosq; ea posse, quæ iure possunt.* Et Honorij, *digna vox est Maiestate regnantis, se Principem Legibus alligatum profiteri* : *Legibus enim Sueciæ, Reges sunt circumscripti. Non sunt paria quæ mandantur, sed modica sunt semper in initio, quæ sub finem maximè noxia sunt Ciuitatibus, & Regnis. In Galliâ, vbi est hereditarij Regis imperium, intemperata largitio, incolumi Regis Maiestate, frequenter tollitur* ; *Nec in Galliâ tantùm, sed & in Sueciâ ius est vilissimo cuiq;, iuris Patrocinio se, & sua contra Regem tuendi* ; *Vt si quid ad instantiam Actoris, vel Rei, ad falsò narrata, à Rege rescriptum sit, id illæsâ Maiestate, & quidem non interrogatâ, eliminari, ac planè rescindi consueuerit. Aliquandò & ipsimet Reges alunt pauperum Aduocatos, qui audacissimè Principum rescriptis siuè permissionis, siuè inhibitionis, & alijs eiusmodi, non solùm obedire recusant, sed & impunè palàm oppugnant. Si hoc priuatis licet, quâ ratione, in Regni Gubernatione, Rege extra Regnum constituto, id obtrudi potest, quod ipso Iure licet euertere, quodq; aliquandò ipsi Maiestati noxium est.*

Principem dein, & Senatores incessunt crimine Læsæ Maiestatis quòd ad reprimendum priuatorum licentiam, non violationem R. M. decreuerint

uerint non habendam rationem litterarum, quas optimo Regi, peßimi interdùm homines, & rerum Sueticarum imperiti, in perniciem Regis, & Regni extorquent: Aliquandò ad homines priuatos, quorum nulla in exequendo est, nec meritò esse debet potestas. Quid hoc aliud est, quàm si quis id pedibus fieri vellet, quod manibus oporteret? Vndè quod ipsimet Dni. Legati prudenter dixerint; Membrorum officia confundi, languere omnia, turbari ordinem, & tandem dißolutionem totius corporis, procul dubio, subsequi neceße est. Si quid profectò esset, quòd S. M. in hoc Regno, alicuius momenti, curatum vellet, nonnè pro more omnium gentium, ad ipsos qui Regno præfecti sunt, meritò præscriberetur? Eâ apud Reges authoritate semper fuerunt, & quidem meritò, Præsides Prouinciarum, vt ad eos Regia Iussa tenderent, & per eos, quod ex vsu fuerat, vel exequeretur, vel si noxium, aut iniquum, Regi rescriberetur: Quantò minùs decet eos, quibus totius Regni cura Commißa est, præterire? Contrarium tamen plerumq; fit, vt ab alijs aliquandò primùm rescire oporteat, idq; infinitis delationibus nostrorum Popularium, qui diuersas litteras conquirunt, et ad diuersos, vbi sese existimant esse commendatiores, non vt Regi, vel Regno, sed quod ipsis expediat, perscribunt. Percrebuit hominem quendã ex Poloniâ, non ità pridem attulisse litteras Regias, perperàm impetratas, de summâ aliquot Talerorum, nominẽ debiti alterius, quamprimùm persoluendâ, quæ summa antè aliquot annos est persoluta. Nonnè igitur meritò habenda est ratio litterarum? Tùm & aliæ in Regnum inferuntur, quæ Illustrißimum Principem, & alios complures, dubiæ erga R. M. fidei, manifestè arguunt, suppreßo tamẽ nomine: Et Subditos, plebeios præsertim, ad inobedientiam excitare videntur. Cuius intuitu fortaßis Claudius Flemmingius etiam ausus est, sese toti Regno Sueciæ opponere: Consensit Rex, haud dubiè non suo, sed prauo aliorum consilio, & suo, Regniq; incommodo. Nulla enim res perniciosior Regnis est, quàm discordia, si fortaßis eò fit, vt per vnam factionem, aliam quam putat sed immeritò, opprimat; Sed alteram per alteram destruendo factionem, vniuersum Regnum patriam suam perdet.

Galliæ, & Belgiæ exemplum, quod à Magnificis Dominis Legatis propositum est, hic iure reponitur; Non enim ex inobedientiâ gentis erga Regem, in tot calamitates inciderunt Galli; Sed violentis, artifi-

 ciosis,

ciosis, & diuturnis technis, eliminandæ Religionis Protestantium; Vndè tot annorum mutuis cædibus, rapinis, stupris, incendijs, sacrilegijs attritum est Regnum, & animi hominum ità exacerbati, vt bellum ciuile, in immortale deinipsum esse videatur; Nec facilè quisquam dixerit, vter successu temporis potior sit futurus: Nam dùm vna pars de propagandâ, alia de tuendâ Religione laborat, apud neutram vllus Religioni locus, hoc tempore relictus esse videtur, ipsis Regibus, & Principibus sanguinis, pro parte, exstirpatis, aliquibus prædæ aliorum miserè expositis. Atq; dùm mutua v scera confodiunt, inuadit tertius, Religioni quidem deditus, ac fortaßis Regni Galliæ longè cupidior, cui pro sumptibus Regna hactenùs accedere consueuerunt.

Sed ad Flemmingium redeamus, qui factâ pace, conscribit, cogit, & alit exercitum, ad quid? vt planè absumat, si quid abs hostibus relictum fuerit; Subditos pace perdat, quos bellum seruauit, quosq; iam ad oßa, sanguinem, et medullas exsugere, infiniti conqueruntur. Moueat S. M. miseria, & calamitas Prouinciæ Finlandiæ, quæ toto hoc bello antea&o, Moschо finitima, prædæ, & excursionibus exposita, collocatâ quoq; plerumq; ibidem à Nostris belli sede, nunc longè miserè exhausta est, sumptibus militis non neceßarij, pariter ac annonâ; Vndè etiam plurimos è medio sublatos esse constat: Tenetur Rex iureiurando, insontes, & egenos à quorumcunq; iniuriâ protegere, vindicare, &c. pacem publicam conseruare.

Quantò igitur prudentiùs S. M. tollet, non alet discordiam, tàm graui Subditorum afflictione, quâ absq; dubio, Deus ipse offenditur? Imperet R. M. deponi arma, iudicio illos sese sistere, quibus controuersia intercedit: Hoc optimi, pientißimi, ac christianiß. Regis est officium, Ciuium manus à mutuo sanguine cohibere: Interim scribat, iubeatq; R. M. quæ ex vsu sunt S. M. & vtilitate, atq; decore Regni, mutuoq; Iuramento conformiâ, & fideliter exequemur, quæ aliena videntur, deprecando suspendentur; Et vti à sententiâ Philippi Macedoniæ Regis, quidam Machetas, ad eundem Regem meliùs informandum appellabat, ità & Sueci; Insuper Illustrißimus Princeps, & Senatus Regni erant, nè S. M. regnante, sese vicem gerente, Senatoribus consulentibus, Iura Regni, quibus nihil antiquiùs esse potest, labefactentur.

Carolus

Carolus sanè quintus, hospitio in Galliâ admodùm liberali à Francisco Rege exceptus, cùm ad petitionem dicti Regis, qui ipsum dùm ibi esset, Regem Galliæ appellauit, nonnullos Barones, & Equites creasset: Tamen postmodùm disputatum, & conclusum fuit, inualidum fuisse, quòd factum esset in Regno alieno, vbi Ius ipsius Maiestatis, non potuit intrare, saluâ vtriusq; Regni dignitate: Nusquàm enim Iura Maiestatis nisi in Regno cuius sunt, legitimè conseruantur, siuè per Regem, siuè per Vicegerentem; Transportata verò in alienum Regnum, facilè eiusdem claritate officiuntur, nisi alterutrum parere oporteat. Habemus Leges scriptas, atq; habemus Constitutiones Regni celeberrimas, tempore Margaretæ Reginæ, Erici decimi tertij, Alberti Regum, & aliorum non abolitas, neq; antiquatas, quibus expreßè cautum est, Regni negotia, Regibus absentibus, per Indigenas Consiliarios, atq; Primates, ac magnos Regni officiales curari debere; Nec Regum extra Regnum degentium iußa, aliter quàm per Senatum consulta fuerint, oportere exequi, idq; claris Legibus, & Iuramento Regum, ac Tabulis hæreditarijs cautum est. Extant Tabulæ inter Gustàuum Regem, & Ericum decimum quartum filium, cùm in Angliam, matrimonij caußa, cum Elizabetâ Reginâ, erat profecturus, quibus expreßè obligatur, omnia negotia Regni Sueciæ, ad Regem patrem, vel ipso mortuo ad Vicegerentem, atq; Senatores, postmodùm etiam secundò, cùm iter susciperet, ad Iohannem tùm temporis Ducem Finlandiæ, posteà Regem Sueciæ, cum Consiliarijs Gubernatorem, referre.

Considerent prætereà, cùm Rex Hispaniæ Philippus, Reginam Angliæ in vxorem duceret, quàm plenè, & sufficienter vtriq; Regno cauebant, vt sua cuiq; præeminentia, & dignitas illibata reseruarentur; nec in externum Regnum, vnà cum personâ Regis migrarent; Vtrumq; tamen hæreditarium est: Longè etiam validius argumentum accedit, Legibus nostris expreßum; Tenetur etiam Rex, quisquis hîc existens, Sueciæ Regnum ex Consiliò suorum Senatorum, Suecorum nimirùm, & non aliorum, gubernare; Quantò magis ad idem faciendum obligatur, dùm est remotior, & auribus, & oculis alienis vti cogitur? Adstricti sunt prætereà Senatores Regni huius Iureiurando, Regalia, & Iura Regni, non solùm per se illæsa conseruare; Verùm etiam vt idipsum planè Rex faciat, semper ac seriò monere; Licet negota hæc

Senato-

Senatoribus laboriosa, & plerumq; nullo suo merito periculosa, curamque perturbatæ Reipub. *onerosam, cum curâ rei domesticæ quæstuosâ, libenter commutauerint; De quo* R. M. *cùm hic esset, seriò compellarunt. Carerent tamen, me herclè, & illi, &* Legati, *hac molestiâ, si nuper cùm* R. M. *hic eßet, dignè suâ præsentiâ vti licuißet.* Nam *negotia* Regni, *eâ quâ decuit fide, & diligentiâ tractanda susceperunt;* Sed *vix ad* Inaugurationem *non absq; summâ difficultate, de re non ambiguâ, imò antè iuratâ, & confirmatâ, diutiùs quàm par erat, disceptando, ventum est.* Gubernationis Forma *deindè, ad tempus vsq; profectionis, diuersis consilijs, & emendationibus suspensa, ac protracta, nullo Senatus consensu accedente, idq; toti mundo constat accidiße, de industriâ, & voluntate illorum, qui* Regni *huius minimè amantes fuerant;* Vel *rerum ignari; aut fortaßis meritò à consultatione rerum* Sueticarum *erant arcendi;* Vel *deniq; eorum, qui* Regnum *hoc iure succeßionis,* Sueco*s verò seruitute regendos eße, tacitè statuerunt.* Hoc *detestantur; illud quidem agnoscunt, & seruabunt inuiolabiliter, vt libertatis conseruandæ, augendæq;, non seruitutis obtrudendæ vinculum, seu fundamentum, prout ipsamet* Pacta *hæreditaria clarè testantur.*

T*Ributum verò in dicto* Conuentu *nullum imperatum est, sed potiùs spontaneâ voluntate, eo modo vti* Lex *exigit, oblatum, ex causâ in* Lege *expreßâ, sumptus scilicet bellici resarciendi gratia.*

D*E monetâ ex memoriâ ferè exciderat;* Nec *enim tanti momenti est:* Constat *namq; quampluribus* Principibus, & Ciuitatibus, *illæso* Iure Maiestatis, *esse concessum* Ius *cudendi monetam.* Vastenis *quoq;* Regis, & Principis *fratris, nomine colligato,* Numysma *cusum est, quâ incude, in specie concordiæ, sub principio* Regni *sui,* Rex *parens cudit, qui etiam postmodùm* Duci Fratri, *facultatem cudendæ monetæ, quoad vixerat, lubens conceßit.*

Atq; itâ Magnificis, & Generosis Dominis Legatis *responsum est, idq; vt citra offensionem* M. R. *quam summâ, & integerrimâ fide,* Status, & Ordines Regni *huius obseruant, atq; venerantur, accipiatur, ac interpretetur, etiam atq; etiam contendunt;* Et *licet fusiùs, non tamen factum est, quòd præter* R. M. *in patriâ constitutam, cuiq; alte-*

ri ra-

ri rationem Sueci reddere teneantur; Sed quòd omnibus planum faciant, sese à notâ criminis læsæ Maiestatis, tacitè insinuatæ, abesse longiùs; Plures sunt Articuli, quibus idem stigma conantur inurere, quorum pleriq; in Tractatu Sudercopensi enumerantur; Eos etiam Legum, & Statutorum Regni huius, facilè vigor diluet. Quanquàm Status, & Ordines Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ, socios agnoscant, sub eiusdem Regis iustißimo Imperio, non Iudices, intelligent florentißimi Regni Poloniæ, & magni Ducatus Lithuaniæ Ordines, nullâ in re Illustrißimum Principem, & Senatores Sueciæ ab ipsis dißentire, minimè omnium in amore concordiæ, & odio discordiæ, nec sibi quicquam magis gratum esse, quàm mutuâ, & æquâ moderatione omnia componi. Non dubium est, fieri poße, si adhuc ad obducenda Reipub. vulnera, eorum quorum oportet, consilia adhibeantur, sublatis subindè minis eorum, qui minantur, & minas non pauent: Aliàs si armis dirimenda sit controuersia, (quod Deus auertat) non solùm ipsimet Reges, & Principes; Verùm etiam vicini Principes, & Ciuitates perturbabuntur, magno fortaßis Regiæ familiæ incommodo. Nam vtra pars vinceret, suâ cum pernicie vinceret, vt sæpè in bello ciuili, vtraq; pars attenuata, tertio cuiq; facilè in prædam cedat.

Dignum igitur est Polonorum prudentiâ, & æquitate, mutuâq; societate, idq; Illustrißimus Princeps, & Senatores amicè, & fraternè petunt, vt suadentibus Magnificis Dominis Legatis, in id amplißimi Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ Status, & Ordines incumbant, quodq; socios, & amicos reuera decet, vt R. M. Dni nostri vtriusq; clementißimi, sinistram hanc de ipsis suspicionem, animo euellant. Eandemq; ipsi vicißim deponant, atq; R. M. orent, moneant, & obtestentur, nè iniquißimorum quorundam hominum consilia, Regno huic noxia admittat, nec patiatur animum suum Regium, Regno paterno abalienari; Et non quâ Religione DEVM, sed quâ fide, & integritate, Sueci S. M. colant, considerent.

Petunt quoq; Legati abrogari, & aboleri, quæ Legibus sunt repugnantiâ: Fiat, idq; Illustrißimus Princeps, & Senatores omni instantiâ petunt. Enumerentur singula Capita, quibus Lex Suetica Regem, & Subditos iureiurando mutuo obstringit, vt non difficilè reperiri poßit, si quid contrauentum sit, sequiturq; generalis Conclusio hisce verbis: Nos

 scilicet

tus, & Gubernationis potentiorum Regnorum, alia secùm trahit in exitium.

Quamobrem obtestantur Princeps, & Senatus, inclyti Regni Poloniæ amplißimos, clarißimosq; Status, & Ordines, vt authoritatem, quâ apud R. M. pollent, quò excusationi huic locus sit, interponant, opesq; suas, fortunas, & quæ alia ipsis sunt chariora, non ad euertendas Leges, & Priuilegia, sed ad ea conseruanda impendant, quo nullum firmius robur, ad firma Sceptra, Regiamq; gemini Regni dignitatem, diuturnam retinendam, & augendam inueniri potest, nec gente Polonâ quicquam dignius; Libertatis enim vindices, & Priuilegiorum assertores, summâ cum laude semper habiti sunt; Ideircò minimè metuendum est, eos id alijs velle obtrusum iri, quod ipsimet eodem loco, quo Sueci constituti, iniquum esse duxerint. Magni, vt par est, Sueci faciunt Polonos; Regis autem Maiestatem, vitæ & fortunarum suarum periculo, si necesse fuerit, cum ipsis constanter defendent, atq; vnà cum Polonis, Regio iuramento innixi, in fide, & obedientiâ erga Regem perpetuò sunt perseueraturi. Neq; per illos stabit, quin pristina seruetur inter hæc duo Regna concordia, saluo iure vtriusq;. Offerunt sese vicißim amplißimo Senatui, & Ordinibus Regni Poloniæ, magniq; Ducatus Lithuaniæ, ad studia & officia, vt sunt, & fuerunt semper, propensißimos, obnixè rogantes, vt eos sibi habeant de meliori notâ commendatos, & responsum hoc pro ratione temporis, boni consulant, quod non lædendi, vel inuehendi, sed defendendi sese caußa, ipsis omninò fuit necessarium. Quod superest, Illustrißimus Princeps, simul ac Senatus, Magnificis Dominis Legatis, nauigationem placidam vento secundo, & fœlicißimum reditum ad suos comprecantur.

VErùm hæc Legatio, non fuerat alio fine instituta, quàm Comitia Sudercopiæ celebrata irritatum; Licet alios obtenderit prætextus. Etenim quanquàm præfata Sudercopensis Decisio, nullo pacto fuerit in præiudicium Regis, vtpotè illius solummodò emolumentum spectans; Tamen commemorati non sunt veriti Legati diuulgare, Regiæ authoritati, & Maiestati illum Conuentum, maximam struere iniuriam, tantùmq; hac suâ peruersâ contentione præstiterunt, vt obducta tumultuum, & dißensionum cicatrix, grauiori fuerit refricata vulnere, apud Ordines propè vniuersos, eo Legationem, à Rege Sigismundo insti-

 tutam,

tutam, fructu comitante, quòd consepulti tumultus, derepentè emerserint denuò, multisq; hominibus fata extrema, detrimentaq; incomparabilia, magno agmine, in Sueciâ, Finlandiâ, *&* Liuoniâ *adducentes; Quoniam cùm Regia Legatio, commodo Indigenarum seruire debuißet, pernicie maximâ omnes affecit Inquilinos; Et quid amabò perniciosius* Regno, *quàm ciuilis discordia? Cùm* Rex Sigismundus *nobis gratulari iure teneretur, quòd eius* Regno *hæreditario, tranquillitatem, singularem eutaxiam prouidißemus; Ille econtrà, læsæ Maiestatis Regiæ nos incusabat, à nobis nunquàm admißæ, nè verbo quidem minimo, vt neq; vllus rationabiliter probaturus. Quamobrem cùm* Illustrißimus Dux Carolus, *pro tanto suo in Patriam, atq; Nepotem amore, & labore, eam ingratitudinem reportasset, illaq; Legationem hanc, Patriæ detrimenta comitata fuissent, Arbogiæ noua indicere Comitia ad quintum diem Martij, anno 1597. celebrata, compulsus est.*

Ad hæc verò omnes Regni Ordines, pro antiquâ, & laudabili apud Suecones consuetudine, & necessitate conuocati; Quoniam vbi vrgentia negotia decidenda firmiter, et inuiolabiliter, ibi nonnulli de quouis Indigenarum ordine; præcipuè autem viri primarij adeße tenentur. Quanquàm verò præfata Comitia, Arbogiæ ea solùm de causâ habita, vt Regni Ordines, seriò in illis consultarent, quâ ratione multifarijs, grauißimisq; Reipub. Suecanæ imminentibus periculis (diuinâ opitulante gratiâ) maturo consilio præueniendum, & auertendum; Sicut etiam vt perniciosæ machinationes, & dißensiones illæ, à Rege Sigismundo *dolosè proseminatæ, impedirentur, Decisione Sudercopianâ in omnibus Articulis, & Clausulis saluâ, inuiolataq;: Quod summè neceßarium fuerat, cùm in eâ Regium, & Patriæ duntaxat emolumentum promoueretur: Nihilominùs tamen* Rex Sigismundus, *diuulgatis per vniuersum Regnum Mandatis, nè vllus de Regni Ordinibus Arbogensia accederet Comitia seuerè probibuit, sperans hac ratione Regni Indigenas ab illo Conuentu frequentando auocandos; Idq; sibi perquàm facilè factu existimabat: Siquidem proximâ suâ Legatione effecißet, vt Senatorum maior pars, Regias partes sectaretur, quos inter præcipui fuerant* Ericus Sparre, *&* Hogenschildus Bielke, Claudius, *&* Turo Bielke, Gustauus, *&* Steno Baneri, *atq;* Georgius, Canuti *Poße filius, cùm præcipuis de ordine Equestri, qui à Consiliarijs Regni, eâ persuasione fuerant*

imbuti,

imbuti, vt quicquid Senatores facerent, huic ordo Equestris firmiter subscriberet, & prorsùs sequeretur. Ideò præfati Senatores, regia Mandata, quæ ipsimet etiam suis machinationibus impetraßent, exequuti sunt: Vndè factum, vt ordo Nobilitatis, & Duces militarium copiarum, Clerus, Ciues, horumq; omnium primarij, Senatorum nefaria consilia sequuti, Comitiorum Arbogensium frequentationi supersederint; Quod ipsum, Senatores præfati fecerunt, nullo in prædicto Conuentu, præter Comitem Axelium de Rasborg comparente: Verùm Ordo Equestris, Comites, Barones, & Nobiles, cum Episcopis, militaribus Officialibus, Ciuibus, & plebeculâ, ad illa Comitia accurrerunt, Senatorum vestigijs, & persuasioni malignæ recusantes inhærere.

Hac verò Comitiorum solennitate, ea solùm tractata, & decisa, quæ ad Dei honorem, & gloriam, Religionisq; christianæ incrementum, ac Sigismundi Regis, Patriæq; magnum emolumentum spectarent, vt præfatus Arbogensis Conuentus, quædam quasi summa Decisionis Sudercopianæ fuerit, prout literis comprehensus sequentibus, ipsemet confirmat.

Comitia Arbogensia.

NOs Carolus, Dei gratiâ Regni Sueciæ hæreditarius Princeps, & Gubernator, Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ Dux; Et nos infrascripti Regni Sueciæ Ordines, Comites, Barones, Episcopi, Nobiles Vasalli, Armigeri, Clerici, Equitum, atq; Militum Officiarij, Ciues, Milites, & promiscua plebs, qui hisce in Comitijs Arbogensibus, tàm plenâ omnium prouinciarum ex potestate, quàm priuatis solùm nominibus fuimus congregati, notū facimus, & coram omnibus profitemur, quòd licet Serenißimus Princeps, ac Dominus Sigismundus, Sueciæ, & Poloniæ Rex, frater noster dilectißimus, omniumq; nostrûm Rex, & Dominus

 clemen-

clementißimus, per regias suas litteras in omnibus Regni Prouincijs publicatas, seueriter interdixerit, nè hæc Comitia, siuè Conuentum quisquam inuiseret, existimans per eum S. M. eminentiam, atq; dignitatem lædi: Siquidem R. M. in eâ fortaßis fuerat sententiâ, hìc quidquam iri pertractatum aliud, quàm quod in R. M. prosperitatem, atq; emolumentum redundaret: Veruntatem quià summa Regni necessitas, atq; conditio, multis grauißimis de caußis postularunt, atq; requisiuerunt, vt multiplicia, & summa, tàm inchoata, quàm instantia damna, & detrimenta, Deo clementer adiuuante, maturis consilijs præcauerentur, atq; auerterentur; Necnon Sueciæ Regnum, charißima omnium nostrûm Patria, multis retrò ætatibus, eam Iurisdictionem, ac dominationem, hominum memoriam excedentem, sibi reseruauerit, vt Regis vices obtinentes, simul quoties opus ità fuerat, & Regni necessitas non aliter admiserat, potestatem, atq; authoritatem obtinuerint, Comitia celebrandi; Quemadmodùm diuersis in hoc Regno temporibus, fuiße factitatum, liquidò potest demonstrari. Quapropter & nos vniuersi ordines adducti sumus, vt secundum præfati Illustrißimi Principis, Domini nostri clementißimi petitionem, & cohortationem, hunc

Conuen-

Conuentum inuiſeremus; Præſertim cùm in litteris indictionis, perſpicuè eſſet ſignificatum, quid Illuſtriſſimum Principem ad conuocandum permouiſſet. Neq; tamen id hac à nobis intentione eſt commiſſum, vt noſtro hoc facto, R. M. aliquam ad iram excitaremus, quod neq; idcircò jure poterit euenire; Sed vt R. M. & Regni commodum, velut modò eſt prædictum ponderaremus, & deliberaremus: Quemadmodùm verò propriis perſonis ad hunc Conuentum nos contulimus, ità vniuerſi, atq; ſinguli, tùm libentiſſimè videramus, tùm certiſſimè ſperaueramus, atq; expectaueramus, ex Regni Senatoribus plures hic comparituros, cùm ex ipſorum ordinè tantùm vnicus hunc Conuentum inuiſerit. Etenim vbi de incumbentibus Regni neceſſitatibus quidquam ſufficiens, ratum & firmum eſt conſultandum, atq; concludendum; Ibi tùm reliquorum Ordinum, tùm inprimis Regni Conſiliariorū præſentia requiritur; Illud verò cùm non contigerit; Sed eorum pleriq; non ſolùm hunc Conuentum non adierint; Verùm de eo ſint proteſtati, quàm juſtâ excuſatione, ipſi comprobent. Neq; nobis ſit dubium, quin vt aliquas ipſi arbitrantur ſeſe afferre rationes, cur ad hunc Conuentum non deuenerint; Ità accuratiùs Regni neceſſitates, & con-

ditiones

ditiones expendenti, facilè obuium erit, bonas & sufficientes esse rationes, quæ nos ad comparendum permouerint; Cumq́ʒ vrgens Regni necessitas, & tàm præsentia, quàm ingruentia incommoda, vel singulorum status, & conditio non admiserint, vt incertum, procul ab hinc existentium aduentum præstolaremur; Multò minùs vt negotijs non expeditis, ab inuicem secederemus; Sed necessarium potiùs esset, vt siquidem conuenerimus, itidem vt fideles Sueci, & fidi Subditi, nostras viles quidem, sed maturas, atq́ʒ beneuolas, de grauibus Regni negotijs, sententias aperiremus. Nè tamen quisquam habeat, quod de nobis conqueratur, vel sinistram aliquam, de nobis hic congregatis, opinionem concipiat; Sed omnia legitimè, ac competenter procedant, hisce declaratum, atq́ʒ exceptum volumus: Primùm, nequaquàm nobis esse præmeditatum, quidquam hic pertractare, quod vel christianæ nostræ Religioni, vel erga R. M. fidei aduersetur; vèl Patriæ nostræ charissimæ, alicui sit futurum detrimento; Multò minùs discordiam, ciuiles tumultus, vel Sanguinis profusionem aliquam ex sese progeniturum; Verùm multò potiùs animatos esse, ea dicernere, quæ diuinam gloriam, veram Religionem, necnon erga R. M. dilectissimum nostrum fratrem, omniumq́ʒ

niumq́; noſtrûm clementiſſimum Regem, ac Dominum, fidelitatem ſunt confirmatura, & adauctura. Deindè nobis non eſſe conſtitutum, quicquam in hoc Conuentu noui approbare, vel concludere; Sed illud tantùm, quod ij qui iam abſunt, communiter nobiſcum, & nos vnà cum illis anteà concluſimus, ſubſcripſimus, atq́; conſignauimus, quod inuiolabiliter ſeruandum, & in effectum eſt producendum; Si modò dicta, & honeſtas, litteræ, & ſigilla, juramenta, & pacta quicquam valere, & alicuius momenti eſſe debeant; Et ſi nobis eſt animus Dei gloriam, veram Religionem, Leges, & Conſtitutiones, communemq́; Regni vtilitatem fouere, atq́; promouere; Deniq́; ſi pro cuiusq; ſtatu, ſinguli competentibus conditionibus, honeſto nomine, & bonâ conſcientiâ in hoc mundo perfrui, eaq; retinere deſideramus; Quamobrem de ſubſequentibus Articulis, in hunc modum, hoc tempore conſentimus, & conuenimus.

Primò, cùm nulli ſit dubium, quin omnes mixtæ Religiones Deo diſpliceant, & ad animarum diſcrimen, perſequutiones, mutua odia, & diſcordiam ſint pernicioſæ; Et quidem, per Dei gratiam, intercedente tàm beatæ, & laudabilis memoriæ Guſtaui, eminenti, & deuotâ ſollicitudine, quàm pia parentum noſtrorum diligentiâ, ex hac

 chariſſi-

charißimâ nostrâ Patriâ, omne erroneum dogma sit extirpatum; Atq; in eorum locum vera, christiana, verbo diuino fundata, & cum purâ, incorruptâquè Augustanâ Confeßione conformis Religio sit erecta, quæ deinceps etiam, excelsâ Illustrissimi Principis Dni Caroli procuratione, ante annos quatuor, in Vbsaliensi Concilio, per christianum fœdus est restaurata; Quod quidem ab omnibus Regni Ordinibus, paucis inquietis personis exceptis, spontaneo affectu est approbatum, subscriptum, atq; subsignatum; Quod etiam porrò in S. R. M. fratris nostri dilectißimi, omniumq; nostrûm Regis, & Dni clementißimi Coronatione, principaliter Illustrißimi Principis, dehinc reliquorum Ordinum laudabili consensu, & concordiâ, à R. M. est assecuratum; Et deniq; in Comitijs Sudercopensibus decenter est declaratum. Itaq; iam vt olim, vnanimiter promittimus, ac pollicemur, nos, Deo clementer auxiliante, in hâc receptâ purâ doctrinâ constanter, & firmiter permansuros, neq; assensuros, vel permissuros, vt iuxta hanc, alterius cuiuscunq; Religionis exercitium, vspiàm hoc in Regno recipiatur, vel admittatur (excepto R. M. fratris nostri dilectissimi, omniumq; nostrûm Regis, & Dni proprio Sacello, cùm R. M. intra Regnum fuerit constituta)

ta) nihil respicientes quicquid hac ipsâ de caussâ, ex aduerso fuerit attentatum. Et si contra communem eiusmodi consensum, propriaq́ȝ manus subscriptionem, atq́ȝ subsignationem, quidam occultè, vel apertè transgredi, agereq́ȝ præsumpserint, illos pro perfidis, manus, & sigilla seruare nolentibus, meritò reputabimus, à quibus personis omnes ingenui, & honesti, & possunt, & debent sibi præcauere.

SEcundò, nè R. M. frater noster charissimus, omniumq́ȝ nostrûm Rex, & Dnus clementissimus, vllam concipiat dubitationem de securitate, & fidelitate, quam nos Regni Ordines S. M. in regiâ eius Coronatione communiter polliciti, & quâ secundũ erectam hæreditariæ Successionis vnionem, masculis Regum, & Principum hæredibus obligati, & astricti sumus, quemadmodùm facilè intelligimus nos apud R. M. fratrem nostrum charissimum, nostrum Dnum & Regem clementissimum, â quibusdam turbulentis hominibus, Regniquè perditoribus, præter vllam caussam esse delatos; Ideoq́ȝ iam non secùs quàm priùs promittimus, nosq́ȝ obligamus, vt hactenùs, diuino auxilio iuramentum, & stipulationem, S. M. præstitam, inuiolatè seruauimus; Ità inposterùm ijsdem constanter, & firmiter insistemus; Neq́ȝ recedemus,

 vel

vel dimouebimur ab ijs, quæ in hæreditariæ Successionis Vnione, vel in beatæ, & laudabilis memoriæ, Gustaui Regis Testamento, vel quæ in postremis eiusdem Gustaui Regis Comitijs, anno 60 Stocholmiæ celebratis, vel deniq; exacto iam anno Sudercopiæ conclusa sunt, & confirmata, nequaquàm dubitantes, quin R. M. vicißim seruatura sit, quod S. M. vniuersis Regni Ordinibus in Regiâ suâ Coronatione, verbis, iuramento, & pactis promisit, ac aßeuerauit.

TErtiò, ponderauimus, atq; perpendimus, quòd cùm intellexerimus Sudercopenses Constitutiones varijs modis violari, & à quibusdam paruipendi; Multos insuper eße, qui hactenùs in eas non consenserunt, vel nobiscũ, & reliquis cum Ordinibus consentire voluerunt; Nonnulli peruersè eas sint interpretati, vndè variæ in Regno distractiones, & discordiæ sunt exortæ; Ad hæc percepimus R. M. ea quæ illic sunt pertractata, et conclusa, valdè displicere: Nos vero cùm nihil in ijs deprahendamus, quod in R. M. Iuramento, et Aßecuratione, et reliquis accedentibus Actis non sit fundatũ, quodq; non sit veluti declaratio, & aditus quidam illud exequendi, quod Iureiurando, & stipulationibus, litteris, & sigillis anteà est determinatum; Quod insuper etiam ad tranquillam R. M. conscientiam,

entiam, Regiamq; excelsam laudem, & magnum Gubernationis leuamen non pertineat; Quod deniq; ad Regni Sueciæ fælicitatē non sit pernecessarium: Quocircà cùm ab omnibus Regni Sueciæ Ordinibus, maturis consilijs hæ Constitutiones sint comprobatæ, & cum antegressis Transactionibus congruant, vt modò est ostensum; Ideò pollicemur nos prædictas Constitutiones, cum omnibus suis Articulis approbaturos, & illis constanter adhæsuros, neq; vllo pacto ab ijs deflexuros, absq; vllo eorū respectu, quicunq; sint contra protestaturi, vel dicturi; Sed vnanimiter auxiliaturos, vt inuiolatè obseruentur, atq; in effectum producantur. Sed de spontaneâ contributione, ad Regni debita persoluenda, Sudercopiæ tùm communiter asseueratâ, quam nonnulli per inopiam hactenùs expendere nequiuerant, in hunc modum est assensum, & affirmatum; Vt cùm R. M. Regijs suis ad omnes Prouincias litteris clementer expetierit, vt Ordines in Illustrissimæ Principis Annæ, ex Regno dotem contribuant: Idcircò qui non tantū erogarunt, quantum Sudercopiæ est sancitum, illi quandò facultates, & conditiones ipsorū sinent, residuum posthac expendent; Reliqui verò qui integrum contulerunt, ab vlteriori ad hanc dotem collationē sint liberi, & immunes, atq; in horum

 locum,

locum, ex Regni Senatorum consilijs, & Ordinum aßensu, tollerabilia Regno media inuenientur, tàm ad dotem hanc redimendam, quàm ad reliquum, quod personæ Principis à Regno habent, iurè exigendum.

QVartò, cùm R. M. dilectißimi nostri fratris, & Regis, atq; Domini nostri clementißimi præsentia, hoc in Regno, tali præsertim tempore, maximoperè requiratur, cùm ad exortas in Regno, Ordinis perturbationes sedandas, & auertendas; Tùm ad Regnum hoc hæreditarium, iuxta Iuramenti, & Cautionis suæ tenorem, Regiâ suâ præsentiâ regendum, atq; gubernandum; Ideò nobis necessarium est visum, vt authoritate, atq; dignitate spectabilis legatio, ad S. M. primo quoque tempore adornetur, cum humili, atq; obsequenti petitione, vt R. M. quò priùs, eò meliùs, & quàm celerrimè R. M. conditiones ferent, ad hæreditarium suum hoc Regnum, Rex mitis, & pacificus reuertatur; Quemadmodùm & S. M. Regio suo Iuramento pollicita est, & condixit, omnesq; fideles R. M. Subditi de S. M. sibimet certißimè pollicentur, atq; persuadent: Quinimò hi qui ad S. M. fratrem nostrum dilectißimum, & Regem atq; Dominum nostrum Clementißimum ablegabuntur, ea in mandatis habere possunt negotia,

gotia, apud S. M. expedienda, quæ in hoc Conuentu comprahensa, nobisq; sunt prælecta; Cùmq; Generosis Dominis Regni Senatoribus, Regni negotia optimè sint cognita, idcircò nobis consultissimum, atq; vtilissimū est visum, vt ex ipsorū Statu, hanc Legationē, & nagotia apud R. M. exequenda, in sese aliquis susciperet. Quamobrem etiam clementer petimus, & nos reliqui amicè, fideliter, & diligenter suademus, & adhortamur, vt cùm eiusmodi legatio diuturnam cunctationem non admittat: Itaq; ij primo quoq; tempore, & tardissimè intra hebdomadas abhinc sex, Illustrissimum Principem Carolum, vel ipsi proprijs personis conueniant, vel ipsorum mentem, & declarationem litteris exponant, si quid habent, vel non habent, quod in hisce, quæ hic conclusa sunt, cum ratione desiderent: Et si nihil, vt speramus, quod inferant, inuenerint, tùm demùm sese, & apud Principem Illustrissimum, & apud reliquos Regni Ordines declarent, & cum illis consentiant: Præcipuè verò cum Illustrissimo Principe, de præfatâ Legatione ad R. M. fratrem nostrum charissimum, Regemq; & Dominum nostrum clementissimum, in Poloniam adornandâ transigant; Inter semetipsos etiam concludant, quot, siuè vnum, siuè plures, & quosnam ex ipsorum ordine, ad hanc Legationem

maximè

rum enimuerò, cùm Illustrißimus Princeps Carolus, Dominus noster clementißimus, tùm hæreditarius sit Regni Princeps, tùm illâ Regiâ ex familiâ præcipuus, qui ad eam ætatem, & prudentiam deuenerit, vt Regni gubernationi præesse poßit; Quem etiam Regni commoda scire, & procurare oportet, perindè ac Illustrißimus Princeps, iuxta hæreditariæ succeßionis Vnionem, principalißimus est, qui in R. M. liberorum, eiusq; fratris pupillari ætate, Regnum gubernet. Ad hæc S. M. propria persona in Regiâ suâ Coronatione Vbsaliæ astipulata est, sese cum Illustrißimi Principis, & Regni Consiliariorum consilijs, huius Regni gubernationi præfuturam. Itaq; neminem vel supra, vel iuxta Illustrißimum Principem, ad Regnum gubernandum admitti, & concredi oportet; Nec nos tanquàm idoneum agnoscimus, qui in R. M. absentiâ, Illustrißimo Principi præponatur, vel cui nos aliquā obedientiam præstare velimus, vel poßimus. Quid quòd multorum administratio raro succedit, vel diuturna eße consueuit, vt tùm nostris ex Chronicis, tùm ex aliorum Historijs, non minùs quàm ex quotidianâ experientiâ est manifestum: Atq; vniuersi huius Regni Ordines, in peractis Comitijs Sudercopensibus, ab Illustrißimo Principe humiliter petierunt, & rogarunt,

 ciq;

eiq; crediderunt, vt ipse Prorex R. M. absente, Regnum administraret: Etenim vt Leges Sueticæ præscribunt, nè plures simul Reges, sed vnicus tantùm in Sueciâ regnet; Ità nec fas est, vt plures quàm vnus, in Regio loco Regimini præsit, idq; secundum Senatorum consilia, Leges Sueticas, R. M. Iuramentum, & Cautionem gubernet. Idcircò & nos qui hisce in Comitijs præsentes fuimus, Illustrissimum Principem vnanimiter rogauimus, vt ipse quemadmodùm hactenùs, ità inposterùm Regni gubernationem sustineret, donec R. M. facultas daretur, in Regnum reuertendi. Et quidem secundum vnanimem, ac diligentem hanc petitionem nostram, Illustrissimus Princeps pollicitus est, nobisq; affirmauit, sesè ex Regni Senatorum consilijs, in R. M. & Regni emolumentum, eâ diligentiâ, & solicitudine id exequuturum, quod etiam Illustrissimus Princeps, quantùm nobis est cognitum, fideliter hactenùs præstitit, ità vt S. C. coràm Deo omnipotente, R. M. & honestis omnibus securè rationem possit reddere. Quapropter Illustrissimo Principi gratias agimus, & vicissim promittimus nos R. M. absente, in S. M. vtilitatem & commodum, Illustrissimo Principi omnem competentem obedientiam, fidelitatem, & beneuolum obsequium præstituros; Nec non S. C. mandata,

data & iußa, in R. M. & Patriæ vtilitatem, ac commodum obſequenter, & fideliter exequuturos. Quocircà ea quæ Regni negotia concernunt, & alicuius ſunt momenti, quæ R. M. hoc in Sueciæ Regno vult expedita, ea præ reliquis omnibus, Illuſtrißimo Principi, & Regni Senatus conſilijs expedienda, per litteras committantur: Secùs ſi contigerit, eiusmodi Mandata viribus careant, quicunq; ea fuerit conſequutus, de Regni negotijs ſolitario conſilio exequendis, priusquàm Illuſtrißimi Principis ſententiam requiſiuerit.

SExtò, quoniam (prô dolor) de tumultibus, & concurſibus in Finlandiâ inter milites, & promiſcuam plebem concitatis reſciuimus, qui indè originem contraxerunt, quòd Subditi ex maximis, & intolerabilibus Hybernis, commeatuum contributionibus, hoſpitum frequentiâ, & reliquis à Domino Claudio Flemingio iniunctis oneribus, ad eam ſint inopiam redacti, vt prorsùs nihil reliquum habuerint. Etenim milites non ſolùm vitulos, & ſues, ac reliqua quibus Ruſtici in ſui, coniugis, & liberorũ ſuſtentationem indigebant; Sed & ipſorum corporibus veſtimenta, ac quicquid vspiàm poßederunt, ipſis abripuerant, ità vt valdè multi ſcipione, ac perâ aſcitis, victum mendicando quærere ſint coacti, plures fame, & ediâ

 inter-

interierint, vndè sunt compulsi sese à vi, & iniuriâ defendere, cùm à militibus harum exactionum caussa sunt obruti. Quæ confratrum nostrorum calamitas, nobis certè valdè fuit cordi, ipsos nimirùm bello intestino, & sanguinis profusione, semet mutuò desolari, de quo iustâ etiam commiseratione sumus affecti. Neq; tamen ad hæc auertenda, meliores vias, & media vidimus, quàm vt aliquot viri boni illuc amandentur, qui vtriq; parti seueriter præcipiant, atq; demandent, vt depositis armis pacificè sese contineant, & si alterutra pars quicquam habuerit, de quo aduersus reliquam conqueri velit, posse inter ipsos omnia legitimè discindi, & dirimi: Tùm hi quoq;, qui ad S. M. ablegabuntur, in mandatis habeant, cum R. M. obsequenter, atq; diligenter pertractandi, vt R. M. hasce perturbationes, & Prouinciarum deuastationes, suâ Regiâ potentiâ amoliatur. Si verò à fide dignis, & certis internuncijs compertum fuerit, hosce concitatos tumultus non cessare, sed magis magisq; adaugeri, neq; consilijs, & admonitionibus quicquam expediri, vt tùm demùm secundum R. M. Iusiurandum, & Constitutiones Sudercopenses procedatur, ad quorum exequutionem, nos pro facultatibus nostris, concorditer suppetias laturi sumus, vt eiusmodi Regni damna legitimè auertantur. Postre-

POstremò, quanquàm clementissimus Princeps, & Dominus, Dnus Carolus, media excogitarit, quibus promiscua multitudo, mitigationem & liberationem sentiret plurimarum vecturarum, quibus hactenùs fuerat onerata, maximè ab illis, qui testimonia, & jus liberas vectiones exigendi, prorsùs nullum habuerunt; Nimirùm vt in hunc finem ij, qui in Regni, alijsq; necessarijs negotijs emitterentur, certa commeatus insignia adferrent, de tot equis adipiscendis, quot indigerent: Veruntamen cùm hæc insignia in multiplicem vsum deuenerint, hoc nempè modo, quòd plurimi insignia, quot & qualia voluerunt, confici procurauerint. Itaq; iam edictum & conclusum est, vt vnà cum eiusmodi vectionum insignijs, viatoriæ Illustrissimi Principis litteræ adiungantur, quibus significabitur, quot equos singuli per hæc insignia exigere dibeant, quoad generaliter ab Illustrissimo Principe, & Regni Ordinibus deliberatum fuerit, quomodò ordinatissimè, atq; tolerabilissimè in celeberrimo hoc Regno, æquè ac in reliquis benè ordinatis Regnis, hæ vecturæ procedant; Ità vt Subditi, & eorum, & publicam vtilitatem fuisse quæsitam inueniant. Quicunq; verò plures equos, quàm eius testimonia perhibent, exigere ausus fuerit, iustè puniatur; Atq; hoc ipso nomine Schulte-

tis, et in reliquis tàm generalioribus, quàm ſpecialioribus harum vectionū officiarijs, defenſoriæ iam litteræ communicabuntur, nè quisquam præſumat quemquam ad vehendum cogere, vel compellere; Et ſi exigere non reueriti fuerint, nemo tamen ad eos, teſtimonijs deſtitutos, quoquàm vehendos, ſit abligatus. Deniq; cùm in hiſce, vt præmonitum eſt, nihil noui concluſimus, ità vt qui abſunt, nihil vt ſperamus, bonâ ratione obijcere, vel inferre poſsint.

Idcircò eos qui non comparuerunt, quod tamen factum oportuit, hiſce clementer adhortatos, nec non diligenter, peramanter, atq; officiosè rogatos volumus, nè ab hac Vnione ſemetipſos ſeparent; Sed potiùs vnà nobiſcum, in hac ſint conformes, atq; conſentientes: Et nè quisquam prætendat, ſibi non fuiſſe liberum, & condonatum æquas ſuas rationes adducere; Ideò conſentimus, vt quotquot Sudercopenſibus Conſtitutionibus non dùm aſſenſerunt, neq; hactenùs ſeſe declararunt, an in ijs nobiſcum, necnè conſentire velint, ſed eorum nonnulli contra, quàm maturis priùs conſilijs aſſeuerarunt, atq; concluſerunt, iàm factis delinquunt; Tùm quotquot haſce Conſtitutiones competenti loco non habuerant; Vel tandem ad hæc Comitia non deuenerunt, ſeſe apud Illuſtriſsimum

mum Principem Carolum, Dominum nostrum clementissimum, quamprimùm, aut quàm lentissimè inter septimanas sex declarent, vtrùm in ijs, quæ hic conclusa sunt, idem nobiscum faciant, nec nè, vel quas obiectiones legitimas in medium afferre possint.

Porrò hisce conclusimus, vt si quidam repeiantur, qui idem nobiscum facere recusent, in ijs quæ ad S. M. & patriæ emolumentum pertinent, tàm illinc approbata, & conclusâ, quàm quæ hîc sunt repetita, neq; intra prædictas septimanas sex sese declarauerint, (exceptis tamen ijs Prouincijs, quæ ab hinc longiùs sunt sitæ, quàm vt intereà id exequi valeant, quæ tamen deinceps primâ occasione, rationibus caussæ satis facientibus præstabunt) illos iuxta Sudercopenses Constitutiones pro inquietis, et abscissis Regni membris reputabimus: Quos itidem Illustrissimus Princeps, Dominus noster clementissimus, accedentibus Regni Senatorum consilijs, & reliquorum Ordinum auxilijs, post sufficientem informationem, & adhortationem, potestatem habebit iustè puniendi, nè Regnum ab eiusmodi discordiâ detrimentum capiat. Etsi qui à Transactis deficient, vel nobiscum non consentient, verùm ob gratiam Potentum, affinitatem, cognationem, fauorem, amicitias

tias, vel alias quascunque caußas, cuiuscunque nominis fuerint, sese à nobis abalienauerint, aut ministros se horum præbuerint, aduersus hæc occultè, vel manifestè quicquam designandi; Nos vicißim omnes, non reueriti cuius sint eminentiæ, vel conditionis, pro vniuersis facultatibus nostris, persequendi erimus adiutores. Quod si verò quidam Superiores, vel Infimi extiterint, qui vllum ex nobis hunc Conuentum visitantibus, eiusque Acta approbantibus, vel approbaturis, quocunque modo odiße, & persequi aggredientur; Nos econtra vnitos, atque obligatos volumus, vt singuli pro vniuersis, & pro singulis vniuersi, tùm præsenti, tùm sequentibus temporibus, ea tueamur, neque committamus, vt vlli nostrûm vis, atque iniuria inferatur; Sed pro caußâ, ac nobis inuicem, & vitam, & fortunas omnes in discrimen collocabimus.

Neque tamen ità vt conspiremus, vel nos obligemus contra eam fidelitatem, quam superiori nostro Magistratui nos debere, coniunctim confitemur; vel contra eam concordiam, quâ inuicem alteri, Legum & justiciæ nomine colligati sumus: Sed vt id, quod consentientibus, & maturis Consilijs, deliberationibusque compositum est, et conclusum, firmiter & irreuocabiliter seruetur, et adim-

adimpleatur. Quòd autem hanc Vnionem, & reliqua modò enumerata, liberè & non coactè transegerimus, atq; approbauerimus, tàm R. M. dilectißimo nostro fratri, & omnium nostrûm Regi, & Domino, quàm Patriæ, & fidelibus eius Subditis in vtilitatem, emolumentum, prosperitatem, atq; successum; Et tùm huius, tùm Sudercopensis Conuentus Constitutiones, in omnibus earum punctis, vt in litterâ, & verbis sonant, sine vllâ glossâ, aut peruersâ interpretatione inuiolatè seruare, & exequi velimus, Nos vniuersi tùm proprijs, tùm Ciuitatum, & Territoriorum sigillis, hasce subsignauimus, atq; subscripsimus Arbogiæ 5. Martij, anno 1597.

VErumenimuerò horum Comitiorum celebrationem, perindè ac Sudercopensium, ægerrimo tulit animo Sigismundus Rex, suis peruersis machinationibus, (quarum proximâ in Succiam Legatione viam aperuißet) ordine Senatorio ad suum latus pertracto, perniciosißimas dißensiones, & tumultus in quouis Regni angulo commouit: Siquidem Regni Ordines, sceleratos Reipub. Consiliarios tanti fecerunt, vt quicquid patrarent, id maior pars Statuum, iure factum putabat, cateruatim ab vtilißimis Comitiorum Decisionibus exorbitando: Hac verò occasione illa Senatorum colluuies, quibusuis in hoc Regno Statibus persuasit, nè vllâ ratione Decretis Arbogensibus adhærerent, aut pr legitimis ducerent, licet Sudercopensibus prorsùs forent conformia: Interim omnibus Ordinibus, de Sigismundi Regis propediem aduentu, spem fecerunt, qui in emolumentum Patriæ esset futurus, aduentante R. M. in Regnum hæreditarium, velut mansueto, & fideli Rege: Cuiq; Indigenarum idcircò, non magnopere Decreta Arbogensia pendenda; Siquidem Regni Senatores, cum præcipuis quibusdam de Regni Ordinibus,

 illis non adfuissent, neq; subscripsissent. His verborum lenocinijs, & fucatis persuasionibus, de quouis Indigenarum ordine plurimos seduxerunt: Quo facto, se cum vxoribus, & liberis, de Regno subduxerunt, maligné prætendentes, sese Decretis Arbogensibus, nullâ ratione astipulari, aut suffragari posse, aut velle; Potissimùm cùm probè cognoscerent, eam gubernationis Plenipotentiam, & litteras defensorias, à Rege Sigismundo obtentas (vt illi sex, aut septem Senatores, Illustrissimo Principe Dno Carolo prorsùs excluso, Regni Gubernaculum, in absentiâ regiâ tractarent) speratam non obtinere authoritatem: Eò autem præfata Plenipotentia, & litteræ defensoriæ fuerant Iure compositæ, vt si Illustrissimus Dux Carolus, illis non foret contentus, præfatis Senatoribus esset permissum, conuocato Regni milite, velut manifestissimum hostem, cum omnibus asseclis persequi, eorum bonis in rapinam cedentibus, sicut ipsamet sequens Plenipotentia attestatur.

Plenipotentia Senatoribus à R. S. concessa.

NOs Sigismundus, Dei gratiâ Sueciæ, atq; Poloniæ Rex notum facimus, quòd cùm cognouerimus Illustrissimũ Principem Dnum Carolum, Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ Ducem, dilectum Patruum nostrum, non solùm secùs ac sperabamus, super Legatione nuper ad S. D. expeditâ sese resoluisse; verùm etiam penitùs Gubernationi, S. D. vnà cum fidelibus nobis dilectis Regni Senatoribus, ante nostrũ ex Regno Sueciæ abitum, concreditæ curam renunciasse: Quapropter vt nihilominùs Regnum nostrum hæreditarium, & Patria charissima, in nostrâ absentiâ, legitimè gubernetur; Quandoquidem nos pro amore, & beuolentiâ, quæ ab ipsis incunabulis erga Patriam, & Patriotas fouimus Sicut etiam pro munere nostro Regio (cum Dei omnipotentis clementiæ visum fuerit, nobis duorum Regnorum Potentissimorum Gubernacula in manus tradere) nullas curas, atq; cogitationes nobis priores, ac potiores existere, quàm Patriæ nostræ, & Subditorum prosperitati, identidem inuigilare arbitremur: Ideò constituimus, confidimus, & demandauimus; Sicut etiam præsentium vigore, pro regiâ potestate constituimus, concredimus, & demandamus amplissimis Regni Sueciæ Senatoribus, vnanimiter in nostro loco supremam Gubernationem, & commissionem in Regno nostro hæreditario, quous; nos in propriâ personâ, quàm primùm, Deo auxiliante, in Patriam reuersi fuerimus; Ità tamen vt præfati Reipub. Consiliarij, in regiâ Ciuitate Stocholmiæ, sese contineant:

Sin

Sin verò contingeret, quosdam propter caußas legitimas interdùm indè discedere, arbitrio amplißimi Senatus relinquimus, quotcunq; illi visum fuerit constituere ibidem remansuros; Qui tamen ad minimùm tres futuri, donec absentes reuertantur. Deindè nostro regio nomine, præfati Senatores Clauo Gubernationis aßidentes, quidquid Regni, & fidelium Subditorum neceßitas postulauerit, tàm in excipiendis querelis, iusticiâ cuiq; administrandâ, quàm aliàs omnibus Regni negotijs promouendis, expedient & constituent, vt Regnum, & Regnicolæ in Iuramento, & fidelitate confirmentur, quibus nobis, & nostris Heredibus masculis obstricti sunt, nobisq; spopunderunt, ac iurarunt: Quæ alacriùs seruaturi, si à violentiâ hostili, secundum Iura, & iusticiam protegantur: Similiter vt sine impedimento suis legitimè acquisitis Priuilegijs, & Libertatibus pro statu, & conditione fruantur, ad inuicem in concordiâ, erga nos autem in obedientiâ, velut vnicam, & legitimum Regem viuentes, & sese gerentes.

Atq; vt multa in pauca conferamus, ità amplißimus Senatus Regni Sueciæ, in omnibus negotijs diligentiam adhibeat, vt Deo præpotenti sit gloriæ, & honori, nobis beneplacito, & Regni Ordinibus, Ecclesiasticis, ac Politicis, Summis atq; Infimis, Pauperibus, & Diuitibus emolumento, diuturnoq; subsidio: Quandoquidem autem dilectiß. Patruus noster, vt memoratum est, prorsùs sponte, & palàm, nullâ neceßitate adactus, Gubernationis oneri scapulas subduxerit, ideò præfati nobis dilecti Senatores, & Gubernatores, in negotijs gubernationis, Illustriß. Patruum nostrum non molestabunt; Sed ipsimet illis præsint, & prouideant, prout coram Deo, nobis, & quouis viro honesto respondere non vereantur: Verùm vt memoratis Donis Gubernatoribus exactiùs innotescat nostra voluntas, quâ ratione super Regimine vsq; ad prosperum nostrum in Patriam reditum (cui propediem nos accingemus) seriò cupiamus expeditum, intereà temporis Gubernationis Formam à nobis in Regno nostro hæreditario relictam sequentur omninò, et eius vigore sese dirigent, exceptâ illâ eminentiâ, & authoritate solummodò, quâ Illustriß. Patruum, in præfatâ Gubernationis Normâ peculiariter, præter Dominos Regni Senatores, etiam decorauimus, cùm S. D. inposterùm his non sit molestanda Siquidem prædictam Regiminis Formam S. D contempserit, & transgressa fuerit; Sicut etiam

 post

 post nostrum protinùs ex Regno Sueciæ discessum, improbauerit, recusauerit, & abiecerit.

Tamen hac nostrâ regiâ Plenipotentiâ concessâ, nulla violentia, aut abusus, quocunq; nomine compellatus defendetur, diuitibus aut pauperibus, præcipuè fidelibus nostris Castellanis, in Regni Ditionibus, intra, aut extra Senatorum Collegium constitutis irrogatus, quamdiu pro voluntate, & commissione nostrâ, Scriptis, aut oretenùs illis factâ, sese honestè gesserint: Sed potiùs si quispiam esset, aut serenissimus Patruus noster, Dux Carolus, aut alij, præmemoratis nostris Castellanis, & supremis Prouinciarum Officialibus, vim, aut impedimentum in ijs quæ ad nostram, aut Regni vtilitatem illis commisimus, inferre meditarentur, potestatem, & authoritatem nostris Gubernatoribus Regni impertimus absolutam, quacunq; poterint ratione, & modo, illis pro necessitate, & potestate, nostro nomine occurrendi, & se protegendi, suis Confratribus hoc pacto, alijsq; nostris officialibus fidam operam, protectionem, & Patrocinium, pro posse exhibentes.

Quod cùm ità sit, seriò pro munere nostro regio, commendamus, suademus, & admonemus vniuersos Sueciæ Indigenas, Subditos nostros, quacunq; eminentiâ, & conditione positos, Ecclesiasticos & Politicos, neminem excipientes, qui nobis obedientiâ obstrictus est, & nostrâ caussâ quippiam facturus, aut intermissurus, vt quilibet prædictis Dominis, & Gubernatoribus nostro nomine, velut ijs, quibus nostro loco supremum Regimen credidimus, obedientiam, & promptitudinem in omnibus ad nostrum, Patriæq; emolumentum spectantibus, & illis omnibus, et singulis mandatis, alacriter præstent, secundum præfatæ Gubernationis tenorem, & velut in eorum Reuersali peculiariter exprimendum, prorsùs vt illi, nostro nomine imperando sint fideles, Subditi autem exequendo, nostræ voluntati respondere possint: Propterea si quispiam ausus fuerit, aut proprio ductu, aut aliorum persuasu, præfatis Dominis Gubernatoribus sese opponere, in ijs quæ Regni, & vtilitatis nostræ gratia mandauerint; Vel etiam aliud quidpiam molitus fuerit, ad discordias, & tumultus in Regno commouendos spectans, clàm aut palàm; Vel aliquo modo nostris Gubernatoribus rebellionem, inobedientiam, contemptumq; exhibuerit, non secùs æstimabitur, quàm si Maiestati nostræ regiæ foret irrogatum, quod omninò plectemus, & vndicabimus,

bimus pro regiâ nostrâ potestate, & authoritate, sicut Iura Suetica peculialiter in quouis casu demandant. E contrà verò obedientes, & promptos, gratiâ nostrâ Regiâ, fauore, beneficijs, pro cuiusq; statu, diligentiâ, & fidelitate, omnes & singulos prosequemur. Secundum harum vigorem, se quisq; dirigat litterarum. Datum Varsauiæ 13. Ianuarij, anno 1593. Regni nostri Suetici quarto, & Poloniæ decimo.

Defensorium autem Sigismundi Regis Poloniæ Diploma, præfatis Regni Gubernatoribus, sequenti tenore est concessum, & transmissum per Laurentium Andreæ Rolamb cognominatum.

NOS Sigismundus, Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex testatum facimus, quòd cùm cognoscamus Patruum nostrum, Illustrißimum Principem Dnũ Carolum, Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ Ducem, non solùm indignationem, & iram quandam erga fideles nobis dilectos, nobiles & generosos Dominos, nostros & Regni Sueciæ Consiliarios concepisse; Sed etiam vniuersis & singulis, honoris & vitæ dispendium esse minitatum: Præsertim verò Arbogiæ indictum, qui frequentare recusarunt Conuentum, & neq; Comitijs denuò, hac æstate, citra sex hebdomadarum spacium, secundum Conuentum Arbogensem, Vastenis celebrandis, non comparituri; Vndè præfati viri, & Senatores, nonnulli in Hallandiam, Schoniam, & Noruegiam, extra Regni limites sese conferre; Quidam in Patriâ clanculùm, vbi commoditas inuitat, se occultare sunt coacti, in proprijs bonis, atq; prædijs non audentes commorari. Cùm verò eiusmodi violentia, & persequutio in Subditos, nostro regio officio, & Maiestati non diutiùs sint ferenda; Potißimùm Regni, & Regiminis Consiliarijs nostris fidelißimis irrogata, quibus in nostrâ absentiâ, Reipub. Clauum Commisimus: Quandoquidem eiusmodi vis, atq; iniuria, non tantùm in præiudicium Regij nostri Iuramenti vergant, quo spopondimus, & iurauimus, nos fideles nostros Subditos, Ecclesiasticos & Politicos, sublimioris, & inferioris conditionis, pauperes & diuites ab omni violentiâ, & iniustitiâ protecturos, & defensuros, tàm contra internos, quàm externos hostes, illis detrimenta inferentes, in quo nos decet vitæ ipsi, & saluti temporali non parcere: Verùm etiàm repugnet ea violentia prorsùs Iustitiæ, & Iuri Suetico expreßè attestanti; Cuius Domicilium tutum esse debere refugium, ne vlla vitæ illic, aut corporis detrimenta patiatur; Quæ etiam

Defensoriales pro Senatoribus, R.M. litteræ.

 Iuramento promisimus, Iura nos confirmaturos, & pro posse in pristinum erecturos statum conculcata.

Quamobrem præsentium litterarum vigore, inprimis Illustrißimum Principem Dnum Carolum, *nostrum Patruum fraternè, & amicè admonitum cupimus, secundum illud fidelitatis* Iuramentum, *quo* S. D. *velut* Regni *hæreditarius* Princeps, *& noster subditus, nobis sicut* Regni Sueciæ *vnico, & legitimè* Regi Coronato *obstrictus tenetur; Sicut etiam pro regiâ nostrâ potestate, & authoritate iubemus, & mandamus, quò* S. D. *ad saniorem rediens mentem, præfatis* Dominis Senatoribus, *&* Gubernatoribus *nostris, in eo* Regimine, *secundum* Normam *gubernationis concredito, impedimenta nulla struat, aut ullam citra Iura, & Iusticiam inferat violentiam, aliquo pacto in vitâ, bonis, aut bonore; Sed potiùs domi suæ, aùt vbi illis visum fuerit in* Patriâ *nostrâ, & à nobis constituti, vel inposterùm constituendi, in pace, & securitate viuere patiatur.*

Siquidem si quid deliquerunt, aut aduersus nos, vel Regnum Sueciæ *(quod* Deus *auertat) eorum condemnatio ad nos, & à nobis constitutos* Arbitros *solummodò spectat. Deinceps si hoc viâ nihil emendationis sequutum fuerit (quod tamen ab Illustrißimo Patruo nostro non expectamus) vigore præsentium litterarũ, fideles nobis dilectos* Regni Consiliarios, *&* Gubernatores *cum vxoribus, et* Liberis, *Subditis, & famulis, bonis, & poßeßionibus, mobilibus et immobilibus, nihil excipientes, quodcunq; tandem ad illos legitimè spectans, sub* Regium *nostrum* Patrocinium, *atq; protectionem admittimus, & acceptamus: Præsertim ad defendendum, & ab omni iniuriâ, ac violentiâ vindicandum, iudicioq; legitimo sistendum. Siquidem verò præfati* Domini Senatores, *post regalis, & ducalis eminentiæ gradum, proximo, & præcipuo in* Regno *gaudeant fastigio, tàm ratione officiorum, quàm sanguinis, par est ut efficaciora circumspiciamus adminicula, si (quod* Dominus *probibeat, & nos neutiquàm speramus)* Regia *nostra admonitio, voluntas, & mandatum apud* Patruum *nostrum, pro dignitate, grauitate, & opinione nostrâ non fuerint, æstimata quàm pro alijs nostris fidelibus* Subditis, *inferiori conditione, & sanguine potiuntibus, neq; tantam violentiam sustinentibus adinueniremus;* Nimirùm *vim vi repellendam, vbi alia non suppetunt, & iuuant remedia.*

Quam.

Quamobrem tenore præsentium, similiter pro Regiâ Potestate et authoritate clementer iubemus, & serio pro summâ obedientiâ et nostrâ indignatione, atq; sub pænâ mandamus, ac euocamus imprimis fideles nobis dilectos viros, & Subditos Ordinis Equestris, atq; nobilitatis in vniuerso Sueciæ Regno; Sicut etiam copias nostras militares, Equites, & Pedites, Ciues & Rusticos, communemq; plebeculam, nullo excepto, qui nobis iuramento fidelitatis, & obedientiæ, virilisq; assistentiæ obligatus est, vt vitâ, & bonis, nostro nomine, à fidelibus nostris viris, & Consiliarijs, vim & potentiam propulsare, eosq; protegere sint parati, promptcq; illis fidele, & virile subsidium, consilio & auxilio exhibentes, & præstantes in legitimam eorum tutelam, ac protectionem ad Iura prouocantium, vsq; ad Regiam nostram præsentiam, & aduentum denuò in Regnum Sueciæ, nullius habito respectu, neq; Illustrissimi Principis Patrui nostri quidem, multò minùs alterius respiciendo voluntatem, imperium, & mandatum; Tantùm abest vt pluris, quàm hoc Regium nostrum patrocinium faciatis, ad quod præter spem, & voluntatem nostram prouocati, & compulsi sumus arripiendum.

Atq; rè Illustriss. Princeps Patruus noster Dux Carolus, aut alij nostri Subditi, conditionis inferioris, nobiles, aut Ignobiles cogitent, multò minùs nobis iure obijciant, aut hoc pacto detrahant, quasi hoc adminiculo, in præiudicium Iuris municipalis, & Constitutionum quidpiam committeremus; Sed potiùs videant, & cognoscant Regni Ordines, se secundum Iura, & Pacta hæreditaria, in eiusmodi casu esse obligatos, in Regni Sueciæ vniuersale emolumentum conspirare, quæ præcipuè in pace & tranquillitate ciuili, internâ concordiâ, amoreq; inter Subditos, & Regni Ditiones consummantur. Quod sanè mutuum subsidium pluris, & maioris semper æstimatum, quàm peruicax & pertinax aliquorum voluntas, & peruersæ molitiones, in perniciem boni communis, Regniq; vniuersi discordiam, & dissensionem, quæ Regionibus, & Regni Gubernaculis vastitatem inferre consueuerunt: Idcircò ex Vnione hæreditariâ, inter Auum nostrum (laudatissimæ memoriæ) Regem Gustauum, & Regni Sueciæ Ordines, vnanimiter Arosiæ anno 1544. tractatâ, & confirmatâ hic nonnulla inserere curauimus, quæ de simili casu, & occasione ibidem commemorantur, vbi de verbo ad verbum expresse hæc leguntur. Quòd si contingeret internam

nam, aut externam, pluresuè Ditiones, nunc aut futuris temporibus (quod Deo auxiliante non futurum) exorbitare, aut aliàs tumultus quosdam, & inconstantiam commouere, nos copulamus, obligamus, spondemus, & promittimus tenore iuramenti nostri, & obligationis vigore, eiusmodi tumultibus pro voluntate R. M. supprimendis, seriò intentos fore; Nec seditiosis & rebellibus, palàm aut clanculùm, consilium aut auxilium, diuersoria aut victualia, arma vel alias necessitates subministraturos; Verùm vsq; ad sanguinem persequuturos, & internetioni daturos, eâ potentiâ, quam R. M. postulauerit, sine tergiuersatione subuenientes. Huc vsq; verba sunt Vnionis hereditariæ.

Neq; minùs omnibus notum, illosq; admonitos, & cautos redditos hisce cupimus, quòd quæcunq; præfatis Senatoribus, & Gubernatoribus, alijsq; nostris fidelibus viris, & Moderatoribus Prouinciarum, Castellorumq;, contra defensoriale nostrũ Diploma fuerit irrogata violentia, illam perindè ac Regiæ nostræ personæ foret illata, æstimaturi simus; De quâ pro extremâ potestate nostrâ, vindictam sumere, & talionem rependere seriò decreuimus. Quanquàm verò præsens Diploma, vniuersis Consiliarijs, & Gubernatoribus, Castellanisq; nostris concessum Tamen potissimùm fido nobis viro, & Consiliario, nobili & generoso Dno Stenoni Baner de Hendelö, Equiti aurato communicatum, vt illo pro se, & suis, vrgente necessitate vtatur, & fruatur: Proindè velut anteà, omnibus ac singulis Regni Sueciæ Inhabitatoribus, nullo excepto, eminentiore aut humiliore in conditione posito prohibemus, præfato Stenoni Baner, quidpiam aduersus Diplomatis tenorem inferre nocumenti; Aut negligere, & supersedere ijs, quæ ad illius, & Sociorum, aliorumq; fidelium subditorum protectionem spectauerint.

ftauerint, hisce ità serio iubentes, mandantes, & eâ fidelitate, robore, & promptitudine, in summâ necessitate expediendum cupientes, ac si nos in Regiâ personâ coràm essemus.

Si quispiam verò, aliquid in horum praeiudicium attentauerit, gratiam nostram Regiam, nunquàm recuperandam amissurus illamq; paenam, sine omni commiseratione, quàm Iura Suetica, *Titulo de* Regalibus, *allegant contra eum, qui violentiam infert, sub* Regis *protectione, patentibus litteris constituto, & accepto, & qui* Dni, *ac* Regis *sui Mandatis, pro obligatione & iuramento, in omnibus non stetit, quorum rationem coram* Deo, *& hominibus reddere teneretur, incursurus. Secundum hunc vigorem litterarum, quilibet absolutè sese dirigat. Datum* Varsauiae 23 *Maij, anno* 1597. *Regni nostri* Suetici Quarto, *&* Polonici Decimo.

Verùm cùm praefati Senatores cognoscerent, illegitimam Sigismundi Regis *Plenipotentiam, & Diploma protectorium, nihil auxilij praestare, Subditis* Regni *persuaserunt, quòd securitatis, & deuitandi discriminis ergò, ex* Regno *profugere essent coacti, sese ad legitimum* Dominum, *&* Regem, *pro cuius arbitrio sese gerere conueniret, conferendo, vt illum in Regnum haereditarium, mansuetum & fidelem omnibus* Indigenis *deducerent. Atq; Illustrissimus* Dux Carolus, *cum suis fidelibus Sectatoribus, qui Decisioni* Sudercopianae, *&* Regio Iuramento *mordicùs inhaeserunt, secùs multo postmodùm cognouerunt, prout in sequentibus fusiùs describetur.*

Itaq; praedicto modò, illi Senatores Infidi, *cum vxoribus, & liberis, ex* Regno *profugerunt, immemores iuramenti, honoris, & famae, litterarumq; & sigillorum, belli tumultu concitato in primis in hoc* Regno, *deindè inter* Regni Sueciae, *&* Poloniae, Lithuaniaeq; *Indigenas discordiarum semina, & armorum tumultus eos commouerunt, qui hodiè etiam insonant, atq; vigent (prô dolor) horum peruerso consilio suborti. Neq; his contenti,* Ordinibus Regni Poloniae *expeditionem militarem, cum suo* Rege, *sine vllâ caussa datâ, & admonitione factâ, contra Ius, & consuetudinem gentium, in* Sueciam *persuaserunt, Serenissimum* Ducem Carolum, *eiusq;* Sectatores, *quantùm possibile fuerat, armis oppressuri, nullis conditionibus laudabilibus admissis, quas* S.C. *et illius asseclae,* S.M *saepiùs obtulerunt, in emolumentum* Regis Sigismundi, *&* Regni

ciæ; Sed omnia pacis media apud hostem illudebantur: Siquidem sibi certo certius persuasit, votis prosperum euentum responsurum; Præsertim si illas ex Finlandiâ copias auxiliares obtineret Rex, quas indies præstolabatur, vt infra dicetur; Verùm cùm diuino auxilio minimè freti, eorum machinationes in detrimentum, & suppreßionem veræ Religionis vergerent, ideò Deus aliter disposuit, quàm illi iam spe deuorarunt, aliò illis malis deriuatis, quæ in caput S.C. collimabant, itâ vt in ipsos Authores tela conuerterentur, vsuq; venerit illis prorsùs, secundum tritam illam paræmiam: Malum consilium, consultori peßimum. Quis proindè non videt, commemoratam Plenipotentiam, & Diploma protectorium, sicut etiam eiusmodi machinationes nefarias, Regio, & Senatorio iuramento è diametro repugnare, quibus promiserunt, sese non nisi vtilia consulturos, & persuasuros? Quod an fecerint, viri prudentes, & sinceri huius controuersiæ arbitri, non difficulter poterunt arbitrari.

Hæ verò molitiones Regis Sigismundi, & Senatorum, quæ Sueciæ, & Finlandiæ Indigenis detrimenta attulerunt, non difficulter cognoscet, cui laniena illa Finnonum non est ignota, in quâ tot millia hominũ innocenter trucidata; Quæ ærumnæ in Finlandiâ exortæ, ad nos vsq; sunt propagatæ. & hæc afflictio etiam nunc conquerendi materiam nobis copioßißimè subministrat. Fuerat quippè eo tempore, in eâ Prouinciâ rerum facies miserrima, itâ vt plurimi Colonorum, cum vxoribus, & liberis, habitatione relictâ, ad Serenißimum Ducem Carolum, nunc Regem nostrum clementißimum, de ærumnis suis conquestum, & auxilia, subsidiaq; quæsitum, se conferre sint coacti, idq; illis sæpenumerò ceßit infæliciter: Quoniam Claudius Flemmingius, vnà cum reliquâ nebulonum coborte, diligentißimè eiusmodi profectiones Indigenarum remorari adnixus est, nè eorum afflictio S. C. denudaretur; Imò quibusdam supplicia mortis crudelißima intulit, quòd suas querelas apud S. C. deposuißent, Diploma S. C. protectorium, præfatis Indigenis iure conceßum, non veritus contemnère: Licet id muneris S. C. velut Regni incumberet Gubernatori, pro sollenni Sueonum consuetudine, Rege non constituto in Regno; Præsertim cùm Rex Sigismundus nullâ commiseratione commoueretur, aduersus afflictißimos Finlandiæ Habitatores, quibus cum vsq; eò crudeliter ille Tyrañus Claudius Flemmingius

mingius, & sui satellites processerant; Sed potiùs eiusmodi tyrannidem approbauit, præfatum Flemmingium pro viro sibi fideli, & Consiliario venerans, & salutans, quàm impediuit.

Neq; Rex Sigismundus sese de his, tempestiuè non factum esse certiorem tumultibus, respondere potest, cùm litteræ ad illum transmissæ, de hac calamitate conquerentes, secùs testentur hoc tenore.



Otentißime Rex, fraternam nostram salutem, cum alijs quæ in nostrâ sunt potestate bonis, V. M. deferimus. Amice Domine frater, V. M. fraternè, & amicè significamus, quendam famulorum nostrorum, Isacum Behm nomine, ad V. M. ante aliquot septimanas cum litteris, de Regni negotijs, & necessitatibus conscriptis, à nobis expeditum, hisce diebus rediisse. Per quem licet ad ea negotia, quæ litteræ continebant, aliquid responsi speraremus; Tamen nè syllabam eum attulisse cognouimus, quamuis Varsauiæ per hebdomadam sit præstolatus responsum, illud sæpenumerò vrgens; Quod sanè non modicè admiramur, contrariumq; prorsùs fraterno amori, & confidentiæ arbitramur. Quandoquidem nos erga M. V. tàm in hoc Regno, quàm in Poloniâ commorantē ità semper gesserimus, M. V. salutem quærentes, Regnum, & populos sub legibus, & tranquillitate protegendo, non sine valetudinis nostræ, rerumq; dispendio, quemadmodùm securè corā Deo, M. V. & quoli-

Rex de calamitate Finlandiæ fit certior.

bet viro honesto respondere non detrectamus: Quamobrem nos maiora promeritos, quàm M. V. vt tergiuersaretur, fraternum nobis dare responsum, potissimùm cùm illæ litteræ, non minùs V. M. & Regni, populiq; salutem, quàm nostram spectarent, nosq; proprijs sumptibus ad M. V. eas expediuissemus: Præterea ijs periculis, erroribus, et ciuilibus discordijs hoc Regnum iactatur, vt M. V. non solùm non tergiuersandum, in declarandâ tempestiuè suâ voluntate, quâ ratione his discriminibus occurrendum, quandò V. M. consilia salutaria suggeruntur; Sed potiùs propriâ inclinatione, M. V. illa circumspicienda media, quibus eiusmodi mala commodissimè remorarentur, in M. V. Regniq; inprimis vergentia perniciem.

Enimuerò postquàm V. M. nobis, qui V. M. Patruus sumus, cui Regni huius Gubernatio in absentiâ M. V. & filij, fratrisq; minorenni ætate, secundum Iura Suetica, Pacta hæreditaria, & Testamenta incumbit, Regni Senatores, aliosq; fruges consumere natos, & personas defamatas præposuerit, non solùm hac ratione Regni prouentus exhausti, & dispersi, (quibus cum pro arbitrio processerunt, & ad propriam vtilitatem, debitorumq; suorum persolutionem conuerterunt,

qui

qui illos in potestate habuerunt) sed partim propter illegitimam, & impiam Gubernationem, quâ hacteuùs vsi, partim propter diuersas commissiones, quas diuulgarunt, eiusmodi perturbatio, & error in populo subortus est, vt prorsùs ignoret, cuius mandato obtemperandum, more hostium Ordinibus Regni inuicem concertantibus; Vndè, dubio procul, bellum ciuile exortum pridem fuisset, nisi ità animosè manum habenis vnà admonissemus. Hæ sunt personæ, quæ magni apud M. V. nunc fiunt, & nobis præferuntur, ipsissimi sanè homines, qui familiæ nostræ ruinam, & interitum semper sitiuerunt, vt multifariè nunc, & superioribus annis, sceleratum hoc suum propositum demonstrarunt: Præsertim in dissensione, & simultate illâ fraternâ, quam nefarijs suis molitionibus, & iniquis delationibus, inter V. M. Dnũ Parentem (deuotæ recordationis) & nos commouerunt, atq; fouerunt, sicut V. M. abundè cognitum; Vt etiam præfatus V. M. Dnus Parens, aliquot ante obitum suum annis, oretenùs, & scriptis testatus, neminem illius discordiæ inter S. M. & nos grassantis, præter Regni Senatores duntaxat esse incusandum, qui non solùm R. M. eam opinionem indiderunt, quod nos secùs, quàm fidum deceret fratrem, essemus affecti erga S. M. Ve-

 rùm

 rùm etiam apud R. M. conquesti, quòd illis multam violentiam, alijsq; irrogaremus, nostris Seruitoribus ad idipsum instigatis.

Eandem quoq; tragœdiam, mutatis nonnihil personis, nunc agunt, & quemadmodùm antè inter M. V. Dnum Parentē, atq; nos discordiarū semina fæcundè sparserunt, ità & nunc facere elaborant, vt nos sæpenumerò cognouimus, & modò præcipuè, dùm diuersas V. M. de nobis destinant litteras: Et præ cæteris Internuncijs, quos longū esset recensere, quendam nomine Georgium Ecbart, publicum adulterum, & homicidam ad M. V. expediuerunt, qui apud M. V. falsâ relatione de nobis multa suggereret crimina; Proindè si M. V. tantum imposterùm, quantum hactenùs falsis eorum sermonibus, & litteris locum dederit, non difficulter maligna eorum proposita destinatum sortientur effectum: Neq; in memoriam sibi voluerit reuocare, eorum hominum præteritas molitiones nefarias, qui superioribus annis, suam infidelitatem, & peruersa consilia multis modis, V. M. manibus etiàm palpanda exhibuerunt; Potissimùm non solùm vrgendo, vt M. V. Regnum eclogicum, conditionibus acceptaret huic Regno perniciosissimis, quas impossibile esset seruare, & consummare, vel vt veriùs dicam, indignum

gnum fuit, vt V. M. illo Solio Regali potiretur, ex quo difficilis adeò exitus pateret. Siquidem M. V. sese obligare coacta, quòd Polonis iugiter esset adhæsura, licet Regni huius conditiones secùs postularent, M. V. præsentiam requirentes; Verùm etiam vniuersis in hoc suam peruersitatem manifestam fecerunt, cùm nos ante aliquod tempus, ad inferiores Regni Ditiones conferremus, populorum querelas audituri, & de illorum Regimine cognituri (Siquidem communiter tot grauamina de illis, & eorum gubernatione inaudiebantur) sine vllo imminente discrimine, & necessitate ex Arcibus, & castellis, à M. V. ijs concreditis confugiendo, & nonnulli in externa Regna, partim ad M. V. partim aliò se conferendo, Castellis patefactis vndiq;, & præsidiario milite fernè desolatis, sine omni prouisione; Licet illos sæpenumerò admonuerimus, quò nobiscum in M. V. & Regni emolumentum conspirarent; Hinc M V. de illorum fidelitate, & constantiâ conjecturam facere poterit, quid fecißent, si grauiùs aliquid imminuißet, & amarior illis bolus fuisset deglutiendus?

Enimuerò si non eo animo, quo decet fidelem Patruum erga Nepotem, fuißemus (prout illi de nobis apud M. V. & alios honestos viros, tàm

intra,

intra, quàm extra Regnum Sueciæ malignè diuulgarunt, licet in rei veritate id nunquàm sint probaturi) oportunitatem sanè habuissemus, eiusmodi propositum in opus producendi; Quoniam nullus aderat eorum, qui fidelissimi M. V. famuli, atque viri compellari cupiunt, à quo aliquod proposito nostro obstaculum metueremus: Nisi fidelissimo pectore erga M. V. fuissemus, prout (Deo auxiliante) speramus de nobis secùs nunquàm demonstratum iri; Quod M. V. non latebit, si fideli memoriâ præteritas actiones nonnihil velit repetere, sibique cordi assumere: Idcircò partim ratione iuramenti, partim officij, & fidelitatis nomine illis fuisset persistendum, vnaque nobiscum ad hoc incumbendum, vt omnis perturbatio, atque error, in quibus Regnum fuerat constitutum, supprimerentur, & emendarentur, M. V. & Regni hæreditarj prosperitatem promouentes, atque ad meliorem statum perducentes: Non autem vsque adeò turpi fugâ, sine necessitate, & periculo, officia sua dereliquisse. Quandoquidem etiam facilè cogitare possumus, illos pro antiquâ consuetudine, in eo profectionis itinere, quod ad M. V. susceperunt, multa mendacia de nobis apud Transmarinos, & M. V. sparsuros; Quod ipsum alij, tàm in Daniâ, quàm etiam in Sueciâ remanentes, litteris, &

ris, & Internuncijs factitare non sunt intermissuri, inter cætera prætendentes, & conquerentes, quòd illos officijs exuerimus, atque ex Patriâ in exilium pertruserimus; Quod tamen in veritate factū non est, sed ipsi, nullo discrimine, aut necessitate pulsi, sese ex Regno subduxerūt, quâ de caussâ, ipsi nouerint; Fortè stimulo conscientiæ adacti, quòd cum M. V. Regni reditibus, Prouincijs, & populis, domibus & munitionibus, adeò infideliter, & impiè processissent.

Quamobrem fraternè M. V. admonemus, atque consulimus, nè M. V. eiusmodi eorum delationibus, & imposturis, quas de nobis sparserunt, vllam fidem attribuat, neuè eorum vtatur operâ; fraternum amorem, & confidentiam, quam ad inuicem, pro iure sanguinis fouere tenemur, discindi ab illis hoc pacto permittens: Sed potiùs nobis intimare dignetur, quid nuperus eorum Nuncius, alijque, scriptis, aut oretenùs de nobis apud M. V. imposuerint. Hæ, & aliæ nostræ legitimæ excusationes, plus apud M. V. obtineant loci, quàm ea, quæ falsò de nobis illi perhibent, & oblatrant, quod M. V. infallibiliter facturam, nobis pollicemur; Nos vicissim idem præstituri, quò omnis fraterna concordia, pristino reflorescat amore, cui quantùm nobis factu possibile fuerat, maximo-

perè identidem hactenùs inuigilauimus. Verùm præter ea damna, & pericula, erroresq́;, quibus V. M. populus hac Regni parte iactatur, vt inculcatum est, non minores defectus, atq́; turbæ apud Finnones increbescunt, sed longè grauiores, imò ità grandes, vt pium ac probum cor, non sine suspirijs & lacrymis, illam auribus haurire queat crudelißimam tyrannidem, violentiam, atque iniusticiam, quibus miserrimus illius Regionis populus subiectus est. Nam cùm Subditorum afflicta multitudo, ad extremum non poßet intolerabilibus illis stationibus militaribus alimenta subministrare, quæ sceleratißimus ille Claudius Flemmingius, illis paßim atque vicatim imposuit; Atq́; propter extremam neceßitatem, et penuriam, cùm nihil Indigenis suppeteret, vndè vxores, atq́; liberos sustentarent, (siquidem tàm exercitus Finnonicus, quàm copiæ hostiles, illo diuturno bello omnia consumpserint, & diripuerint quæ poßidebant) neque diutiùs sustinere exercitum per facultates sibi licere aduertentes, eam vim, & iniusticiam, quæ illis ab Equitibus, et Peditibus nimiùm inferebantur, vi repellanda duxerunt, nullá consolatione apud hunc, aut illum inuentâ. Ideò præfatus, hac rebellione inauditâ, Flemmingius, illuc cum instructißimo exercitu perexit, diuersis stragibus crude-

crudeliter aliquot millia rusticorum, cum vxoribus, & liberis (prout M. V. ex illis litteris, nobis indè transmissis cognoscet) trucidans, atq; mactans, ità vt ea Prouincia, maiori ex parte iam desolata sit, multis viduarum millibus, cum pupillis, & orphanis in magnâ rerum inopiâ, ærumnis, atq; miseriâ remanentibus, quæ huius violentiæ, ac Tyrannidis nomine, ne à Moscho quidem, coniurato illorum hoste, vnquàm crudeliùs illata, vindictam cælitùs poscunt.

Insuper Claudius Flemmingius remoratus, detinuitq; Olaum Suerkeri, quem mox secundum inducias, & M. V. tenorem litterarum, in Finlandiam ablegauimus, vt ille vnà cum alijs nobilibus, sufficienti aßecuratione acceptâ, perpetuæ illius pacificationis ergò, Moscho arcem Kexholmensem restitueret. Neq; his contentus Flemmingius, ciuilibus in Regno discordijs, & profusionibus sanguinis commotis, sed Regnum Sueciæ denuò bellis, cum Moscho implicare voluit, ità vt Moschus aliquoties in procinctu fuerit, vt irruptionem faceret in Finlandiam, armis castrum Kexholmense occupaturus, nisi nos litteris, & Internuncijs nostris, sicut etiam alij suâ intercessione, huic praeuenißent incommodo; Licet Flemmingius nō sit veritus nostros captiuare famulos, illuc pro Re-

 gni salute transmissos. Vtrùm verò eiusmodi gubernatio sit M. V. proficua, & Regno, Subditisq; tolerabilis; atq; vtrùm non conueniret, eiusmodi ataxiam sibi cordi, & curæ sumere, ijs medijs adinuentis, quorum adminiculo huiusmodi Prouinciarum pernicies sedaretur, M. V. fraternè, & amicè cogitandum, atq; perpendendum relinquimus.

Quod ad alia Regni negotia attinet, de quibus operæprecium foret, vt M. V. suam sententiam insinuaret, et voluntatem suã super illis declararet, de ijs M. V. partim prioribus nostris litteris, partim deinceps fusiùs, per M. V. Secretariũ, Petrum Braschonem significauimus, quẽ non multo antè tempore ad M. V. transmisimus, cùm nostros famulos, diutiùs in Aulâ polonicâ detineri, & tandem ad extremũ, nullum responsum obtinere aduerteremus; Cuius viri operâ in hoc negotio, eâ sumus intentione vsi, vt quandoquidem eiusdem Religionis sit cum V. M. & fidelitatis iuramento obstrictus famulus, vt commodiùs id responsi apud M. V. consequeremur, quod M. V. & huius Regni foret accommodatum necessitati. Ex his verò M. V. dubio procul colliget, quàm periculoso Regni Sueciæ negotia voluantur nunc in cardine, & quàm necessarium foret, M. V.

non

non solùm huic fraternæ nostræ petitioni, atque litteris mentem suam aperire, quâ ratione eiusmodi error, & Regni calamitas esset corrigenda, omniáque pristino statui, & commoditati restituenda; Sed & citra vllius admonitionem, eam ordinationem condere, quâ eiusmodi pernicies commodiùs, & expeditiùs eliminaretur; Aut certè M. V. Regnum hæreditarium ità repeteret, vt foret M. V. honorabile, & Regno tolerabile, illis illegitimis promissis, sæpiùs anteà factis, abundè & exactè enodatis. Quocircà modò velut priùs, fraternè et amicè flagitamus, fideliter consulimus, & admonemus, vt M. V. super litteris nostris, & negotijs, petitionibusque, sperato sese resoluat responso, ità vniuersa negotia aggrediens, vt ea discrimina, atque damna, quæ illa inordinatio, in Regno passim quæ vagatur, prôseminauit, maturo consilio tempestiuè impediantur, & remorentur.

Nam cùm cognouerimus, quòd quamprimùm Deus æquissimus, illum Rusticorum lanium, vel potiùs carnificem Flemmingium, in suam iustissimam indignationem, à miserabili illo rusticorum bello, & copioso sanguinis profluuio, per illum patrato reuertentem incidere permisisset, atque ab hoc mundo euocasset, protinùs reliquam colluuiem, quæ iuxta illum, in eo rústicano bello sese exercue-

 rat, quosdam de suo numero ad M. V. expediuisse, qui de alio Duce & Gubernatore, in locum Flemmingij subrogando, cum M. V. agerent seriò; Sicut etiàm præfatas copias militares, in eâ Prouinciâ, nec dùm cessare, ex illis (qui post miserabilem, & crudelem illam tyrannidem, ac internecionem, quam Flemmingius in miserum illum populum statuit, adhuc supersunt) rusticis, residuas exigendo sustentâtiones Stationum, quas Indigenis inuitis imposuerunt; Vndè potissimùm, atque etiàm ab illâ violentiâ, & iniusticiâ, quæ Equites, & Pedites colonis irrogarunt, omnis ille tumultus, & sanguinis profusio ibidem admissa, fæcundo gurgite profluxit: Ideò finem huius tyrannidis, aut exitum prospicere non possumus illius laniena, quæ M. V. Subditos aliquandiu crudeliter afflixit; Sed ad extremum, sub eiusmodi Gubernatore, certo certius ad interitum omninò ruent, perditionemque, et fortè occasionem hinc arripient, sese externo submittendi Dominio, frustrâ apud M. V. protectionem diutiùs expectantes.

Itaque adhuc fraternè, & amice obsecramus, fideliter consulimus, & admonemus, quò M. V. habito respectu damnorum tantorum, desolationis miserrimæ, tyrannidis, & internecionis, quæ M. V. Ditionibus, & populis, ab eiusmodi Regiminis

nis ordine, & illis Gubernatoribus, quos M. V. contra suum Iuramentum, & Regni vniuersales Constitutiones, nobis in Dominio præposuit, illata hactenus, & adhuc inferuntur; Nec minus etiam suo Iuriiurando attendens, quo M. V. omnibus Regni Ordinibus promisit, & aßecurauit, se pristinis tributis illos relicturam, nullis nouis exactionibus Regno impositis; Velut etiam populum sibi subiectum protecturam, & mansuetos qui mansuetudini & Legibus viuere cupiunt, ab Indigenis, & Alienigenis tumultuantibus defensuram; Sicut neq; peculiari quopiam inposterum Regimine, & Gubernatoribus, Finlandiæ Ditionem ab huius Regni gubernatione segreget, cui semper subiecta fuit; Aut Stationibus illis, aliauè violentiâ, & iniusticiâ affligi patiatur: Sed pro Regiâ suâ potestate, & authoritate illis mandet, vt ijs auscultent, quæ nos cum Regni Sueciæ Senatoribus, ad M. V. & Regni vtilitatem impetrauerimus, ni cum vxoribus, & liberis, Prouincijs, & populis, à Deo nobis impertitis, ad certissimam perniciem præcipitari velimus: Atq; vt Equites, & Pedites, alijq; qui sub Claudio Flemmingio hactenus militarunt, ab indgnis illis stationibus, & exactionibus, alijsq; carnificinis, quas longum foret recensere, desistant, ac illa exercitus

 ercitus multitudo, quâ nimiùm Indigenæ grauantur, & opprimuntur, Regni prouentus absumuntur, exautoretur: Quandoquidem tantis copijs, pro tempore, non indigeamus, à Deo nobis clementer pace impertitâ, quiq; sub Reipub. vexillis honestè, & fideliter stipendia meruerunt, eâ sint contenti ordinatione, quæ exercitui in Regno Sueciæ præscripta est, cuius operam non minùs, sed plus his bellicis tumultibus, Regnum Sueciæ aduersùs hostes, quàm Finnonum requisiuit.

Illud si factum non fuerit, & aliquis denuò tumultus increbuerit, (licet prô dolor nimis tumultuatū sit) coram Deo, & vniuerso mundo excusati cupimus eße, cùm M.V. tempestiuè certiorem fecerimus, consuluerimus, & admonuerimus; Sicut etiàm quantùm nobis poßibile fuerat, summam diligentiā adhibuerimus, nè Patria nostra, vlterioribus inuolueretur tumultibus; Quod & imposterùm libenter facturi sumus, M.V. vnà cum M.V. masculis hæredibus, Regnū, & Munitiones ad fideles manus conseruando; Velut etiàm nos semper promptos exhibebimus, ad præstandum M.V. fraterna, & legitima consilia, promptißimaq; obsequia, quodq; ad fraternum M.V. beneplacitum spectare iudicauerimus, hisce M.V. cum dilectißimâ thalami Consortè, & charis-

charißimis Liberis, DEI præpotentis commendantes protectioni. Datum Nycopiæ 22. Maij, anno 1597.

Hæc litterarum mißitatio, ab optimâ mente profecta, parui apud Sigismundum Regem, vel prorsùs nihili æstimata; Multò minùs eâ effectum est, vt impiæ, & tyrannicæ in Patriâ nostrâ molitiones impedirentur: Sed quod deteriùs erat, & de quo grauißimè conquerendum, Rex Sigismundus postmodùm tyrannidem Flemmingianam, Internuncijs, atq; litteris approbauit, et exacuit magis, velut ipsæmet litteræ hic subiectæ attestantur, datæ Varsauiæ 23. April. anno 1597.

Instigat R. S. Finlandos contra Sueonas.

Nos Sigismundus, Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, fidelibus nostris seruitoribus, exercitus Ductoribus, ipsisq; Copijs, in nostro magno Finlandiæ Ducatu habitantibus, & alijs hoc tempore, apud Strategum nostrum commorantibus gratiosam salutem, & singularem nostram beneuolentiam deferimus. Nobis relatum est, fideles viri, & seruitores, subditiq; nostri, quàm viriliter, fideliter, atq; egregiè vos geratis sub vexillo, fidelis nobis dilecti vi[illegible]i, & Consiliarij, Regni Marschalci, Campiductoris supremi, Arbitat[illegible]i, & Toparchæ Finlandiæ, nobilis, & generosi Domini Claudij Flem[illegible]gij de Vijk, contra illam colluuiem Nebulonum, quæ aduersum nos, & omnes fideles nostros viros, seruitores, & copias militares se opponens, vniuersos cæde, & incendio prorsùs delere, per summum scelus decreuit: Quanquàm verò nobis gratiùs, & optatiùs fuisset, eam rebellium, [illegible]r tumultuantium multitudinem, eiusmodi peruersis consilijs, & machinationibus supersedisse, quæ iam, prò dolor, in effectum miserabilem produxit; Tamen cùm plus scelerato suo animo, pertinaci machinationi, atq; ijs consilijs, quæ nonnulli inquieti, & infideles homines, illi communicarunt, indulserit, quàm Iura, & Iusticia, fidelitatisq; iuramenta, quibus est nobis obligata, patiantur, quæ maiori curâ, & veneratione, obseruationeq; prosequi decuißet: Ideò melius est infortunium in eam cecidiße, quàm si vobis, aut alijs fidelibus nostris viris, & Subditis illa sors miserabilis contigisset.

Cuius proindè fidelitatis, & constantiæ nomine, quæ hoc, omniq; pacto erga nostros, & Regni Sueciæ hostes, fideliter & generosè præ-

 stitistis,

 stitistis, vniuersis & singulis clementer gratulamur, quemlibet Regiâ beneuolentiâ, gratiâ, atq; præmio prosequuturi, quandò, Deo auxiliante, fæliciter in Regnum nostrum hæreditarium, atq; Patriam denuò peruenerimus. Quandoquidem verò credibile est, horum tumultuum Authores, & Concitatores, his non contentos fore discordiarum seminibus; Sed porrò ex peruersâ, & malignâ, insidâq; suâ machinatione, contra nos legitimum suum Regem, Dominum & Superiorem, atq; aduersum vos, omnesq; nobis fideles, quidpiam adhuc attentaturi, & ad opus perducturi, si vllâ ratione pro nefario mentis eorum desiderio, efficere valeant. Itaq; clementer petimus, iubemus, et mandamus, vt perinde atq; in hoc insperato casu, promptè & fideliter vos gessistis, armis & viribus coniunctis vos inuicem posthac iunctis, sub auspicio, & vexillo Strategi nostri, Dni Claudij Flemmingij, & pro fidelitatis vestræ obligatione, nobis iuramento factâ, vnus pro omnibus, omnesq; pro vno conspiretis, in defensionem Iurisdictionis nostræ, regiæ dignitatis, potestatis, & authoritatis, vestrarumq; libertatum, & Priuilegiorum, à Diuis nostris Maioribus concessorum, & à nobis posthac concedendorum, & protegendorum aduersus omnes, siuè eminentioris, siuè humilioris conditionis hostes, qui illa infringere attentauerint; Aut quidpiam contra nos, aut etiam vos fuerint moliti, eorum iuramento fidelitatis nobis facto non conuenientes, pro viribus adnitendo, eiusmodi inquietos, & infidos homines, ac publicæ tranquillitatis perturbatores persequi, & ad internecionem delere, vt alij hinc documenta, & cautelam captantes, iuramento fidelitatis nobis præstito, mordicùs inhæreant.

Nos vicissim gratiam nostram regiam, & beneuolentiam, promptè & parati sumus vobis exhibere, vosq; ab omni tyrannide, & seueritate vindicare, protegere, & defendere, contra illos qui ceruicibus vestris præfata damna meditantur inferre, etiamsi propria nostra salus, hoc pacto in certissimum discrimen sit adducenda. Verùm vt interim aliqua subsidia, & confugia habeatis, quousq; nos aduenerimus, & progressu temporis negotia meliùs ordinauerimus, præfato Domino Claudio Flemmingio, ad vestram, aliamq; imminentem necessitatem subleuandam, annuos totius Finlandiæ reditus, cum alijs tributis, & exactionibus vniuersis, adiuncto censu annuo, vulgò Bogensi dicto, clementer assignauimus; Quos ideò reditus defendere, & protegere adnitemini, quò interim

terim in nostrum, atq; vestrum vsum conuertantur, in quem eos solummodò ordinauimus, & attribuimus. Hæc vobis omnibus, & singulis significanda duximus, vos seriò adhuc admonentes, vt imposterùm velut hactenùs, fidelitatis obligationi, nobis iuramento factæ firmiter insistatis, & nostro nomine, Dno Claudio Flemmingio, omnimodè in casibus insperatis, & repentinis impreßionibus, eam obedientiam exhibeatis, quam nobis facere, & præstare, in propriâ præsentibus personâ, teneremini. Hinc voluntati nostræ satisfiet, & quilibet se dirigere poterit: Vos atq; vniuersos & singulos regio fauore, & gratiâ prosequendo, diuinæ protectioni commendamus. Datum vt supra.

Ex tenore harum litterarum cognoscere licet, Regem Sigismundum præfato Flemmingio absolutam potestatem impertiuiße, Finlandiæ Indigenas eâ calamitate premendi, nisi spontè, atq; promptè illa intolerabilia tributa, contra Iura Suetica imposita, pendere vellent. Hac ratione Rex Sigismundus suum amorem, & Regiam benignitatem, quibus erga suos Subditos ferebatur, non obscurè comprobauit; Eo pacto suis Subditis Iure, & iusticiâ frui permisit; Eo modo Rex Sigismundus, suis Subditis domicilium tutum existere refugium paßus est; Hac deniq; ratione, Rex Sigismundus suis Subditis vitæ, & corporis detrimenta, contra suum iuramentum, & promissum sustinuit inferri: Vndè quilibet liquidò cognoscere poterit, omnem regium amorem, in tyrannidis amarorem esse conuersum, Regemquè Sigismundum ad magnam imprudentiam prolapsum & deductum, suorum Consiliariorum, & Iesuitarum machinatione, vt operâ Claudij Flemmingij firmo gressu in Finlandiâ fixo, eò commodiùs falsißimæ Religionis suæ terminos in Sueciam proferret. Verùm eiusmodi Regem Sigismundum in Finlandiâ permisiße Ataxiam, non est magnoperè demirandum. Nam velut coràm Regio suo Iuramento, & Aßecurationi non stetit, ità & absens eadem facilè transgressus est, nihil periuro admittens inusitatum.

Quandoquidem autem miserrimus Finlandiæ populus, ad misericordiam quandam sibi præstandam, & tantam violentiam, tyrannidemq; auertendam, Regem Sigismundum permouere non potuerit; Sicut etiam vt regium suum fauorem, gratiam & clementiam, iusticiæ ergò, quam ratione officij cuiq; administrare tenebatur, exhiberet; Idcircò Illustrißimus Dux Carolus, cum copijs suis militaribus in Finlandiam

landiam se conferre, summoperè compulsus est, vt eiusmodi impium regimen, & tyrannidem indè exturbaret, omnibus rebus pristinæ ordinationi restitutis: In quo proindè pietatis, & misericordiæ operè, ex peditioneq; Deus Opt. Max. gratiam suam cælitùs impertiuit. Enimuerò afflictißimus Finnonum populus, ab illâ seruitute, & extremâ perditione hac operâ pientißimâ liberatus, ad propria domicilia postliminiò rediit, peruicacibus, desperatis, & terribilibus illis Flemmingianæ militiæ copijs, eo terrore ad præsentiam S. C. perculsis, & prostratis, vt neq; in campo Martem experiri, aut munitiones quas sub præsidio tenebant, defendere sint ausi: Hi verò, quibus protectio Finlandiæ fuerat commissa, præfatâ intentione à Rege Sigismundo, eiusmodi hominum erat colluuies, quæ neq; virtutem, aut honestatem magnoperè curaret, imò neq; Deum, nec homines timeret; Qui iure propterea nebulones, ex omnium scelerum colluuione conflati, quiq; alios secùm innocentes seduxerunt, & Regis Sigismundi, eiusq; Consiliariorum permissione, patrocinioq; tàm nefandæ indulserunt vitæ, ab Illustrißimo Principe Carolo ità puniti, vt longo tempore Fnlandiæ populus, sub optimâ Politiâ, & Ordinatione viuens, domi suæ fuerit securus; Et vbi miserabiliter priùs innocentem rusticorum turbam ceciderant, indè non sine magno pudore, ipsimet aufugêre, multiq; eorum ad infortunium, & dedecus sempiternum peruenêre.

Hac ratione, ille Finlandiæ tumultus, anno 1597. Singulari Dei beneficio, & Serenißimi Ducis Caroli clementiâ, atq; prudentiâ penitùs sublatus, vt Aduersarij nullam ampliùs fortunam, aut victoriam indè sperarent; Ideò proposito suo magis idoneum, peruersi illi Senatores, aliud arripuerunt consilium, quendam videlicet Laurentium Andreæ, Rolamb cognomine, ad Regem Sigismundum expedientes, vt Plenipotentiam, & Diploma protectorium, prout dictum est, illis compararet, in quo Rex Sigismundus Illustrißimum Ducem Carolum, ab omni Regiminis administratione excludit, contra suum Iuramentum, Regis Gustaui Testamentum, & Iura Sueciæ; Cùm in regio suo Iuramento, & Aßecuratione promiserit, atq; iurauerit Sigismundus Rex, se Regnum Sueciæ, serenißimi Ducis Caroli consilio gubernaturum; Et in Testamento Gustauiano mandetur, vt Regum filij, velut legitimi, & idonei Regni hæredes, in Regimine cuiuis alteri præferantur, sintq; au-

xilio,

axilio, & consilio R. M. *quò eorum vnanimi consilio*, Rex *suum gubernet* Regnum: *In Iure autem municipali præcipitur, vt* Regum *filij sint Sceptro propinquiores capeßendo.*

Quanquàm verò nonnulli Senatorum, qui eiusmodi Plenipotentiam sibi compararunt, nempè Hogenschildus Bielke, *Ericus Sparre*, *Gustauus, & Steno Baner*, *Ericus*, *Aruidus*, *& Carolus Gustaui Olaij filij*, *Claudius, &* Turo Bielke, *Georgius Canuti* Poße *filius, qui sæpè nominati, & totius discordiæ, infortunijq; sunt architecti primarij, in patriâ nostrâ charißimâ exorti, plurimos secum in hanc tragædiam pertraxerint:* Nihilominùs *tamen illorum subdolæ machinationes* (Dei *prouidentiâ, & auxilio*) *nullum consequentur succeßum*: Deus *namq; æternus, renis atq; cordis scrutator, nunquàm eos dedecore confundi, qui spem suam in eo collocarunt, patietur*; Et *velut iustißimus, ità omnibus patrocinatur, qui optimæ causæ, & conscientiæ testimonio subnituntur, vt* Regius Vates *secundo testatur psalmo*: *Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius; Sed qui habitat in cælis irridebit illos, & Dominus subsannabit eos.* *Cùm verò præfati* Senatores *infidi, iniquas commißiones succeßum speratum non obtinere aduerterent, ex* Regno *certatim, prout dictum, profugerunt, sedulâ cogitatione, & curâ meditantes, quâ viâ & ratione*, Regem Sigismundum, *exercitu grandi comitatum, in Sueciam deducerent, illos in commißâ gubernatione confirmatum, & protectum, quam contra Iuramenti sui, & Aßecurationis tenorem illis commisißet; Sanctè etenim omnibus* Ordinibus Regni *spopondit, se* Regnum, *&* Prouincias, Illustrißimi Ducis Caroli *consilio, velut præcipui in* Regno, *moderaturum*; *Quem tamen à* Reipub. *Gubernaculo penitùs exclusit.*

Idcircò par fuißet, eiusmodi promißa Regem Sigismundum *obseruationi mandaße, si pro iusto* Rege, *&* Iuramenta, *Aßecurationesq; sedulò obseruante æstimari voluißet, re nullâ in horum præiudicium actitatâ, quod minimè factum; Sed infidelium* Consiliariorum *indignas, ad* Regni Sueciæ *Regimen adspirationes sequutus*, Iuramenti Regij *fecit naufragium, ex* Reipub *puppi illo excluso, cui maximè in* Regiâ *absentiâ, ibidem excubiæ fuerant agendæ: Quandoquidem probè videbat, nisi*

 nisi apertis oculis velit caecutire, Illustrissimum Principem Ducem Carolum, modò Dominum, & Regem nostrum legitimum, nihil aliud quaerere, quàm Regni, Regisq; emolumentum, & faelicitatem; Consiliarios autem econtrà, propriae vtilitati, cum Regis Sigismundi, & totius Regni detrimento, iugiter inhiare. Sin verò defectus quispiam apud Ducem Carolum, R. M. aduersarius fuisset inuentus, secundum Iura Suetica, & Testamentum Gustauianum examinatio fuisset instituenda, & inquisitio vbinam culpa resideret; Et quâ de caussâ, serenissimus Dux Carolus, aduersus Regium Iuramentum, & Assecurationem, in absentiâ Sigismundi Regis, Gubernationis Clauo, & Senatus Collegio fuerat priuandus, & excludendus: Hac ratione si aliquid fuisset S. C. iniustè molita, processu iuridico fuisset etiam penitiùs examinandum, priusquàm alius quispiam in Regimine, Illustrissimo Duci Carolo praeponeretur, cuius consilio Rex Sigismundus, non solùm Regnum Sueciae sese gubernaturum promiserat; Verùm cùm S. C. Princeps sit haereditarius natus Regni Sueciae, ideò eam in Regimine praerogatiuam, Iure sibi vendicauit: Quippè si quid Regno discriminis obuenisset, quis Regni plus inuigilasset protectioni, quàm Illustrissimus Dux Carolus, modernus Rex noster benignissimus? Siquidem nulli plus detrimenti, quàm S. C. pernicies Regni intulisset.

Proindè quem fideliùs, vniuersis Regni negotijs inuigilaturum erat sperandum, eum ipsum sine legitimâ caussa, Rex Sigismundus contra proprium Iuramentum, Regiminis praerogatiuâ orbauit; Cùmq; iniusta illius Mandata, & Commissiones successum non obtinerent, octo millibus copiarum militarium, Equitum, Peditumq;, & centum nauibus instructus, in Regnum haereditarium aduenit: Cui exercitui externo, adglomerauit sese, pro Consiliariorum subdolâ machinatione, non exiguus numerus militum Sueticorum, qui falsè persuasi, vt Regi ferrent suppetias in negotio iniusto, & proposito maligno: His copijs Rex Sigismundus, ad extrema Illustrissimum Ducem Carolum voluit persequi, & omnes alios, quibus erronea Pontificis Religio displicuit, quam armis in hoc Regnum statuit inferre, ac latiùs proseminare.

Haeccinè, & multa alia hactenùs commemorata, legitimè sunt patrata à Sigismundo Rege, contra proprium Patruum, aliosq; priùs non

non admonitos, aut legitimo iudicio consultos? An hoc christianum hominem deceat, & Regio Iuramento conueniat, sinceris Arbitris liniquimus iudicandum. Nihilominùs tamen nos Regni Sueciæ Ordines, humillimis nostris litteris, & Internuncijs R. M. frequentissimè in Regnum inuitauimus hæreditarium, vt regiâ authoritate iniusticiam, violentiam, & eam Ditionum perniciem, quæ in Patriæ charissimæ grassabantur viscere furibundè, eliminaret, & emendaret: Sed cùm in eâ opinione essemus, quòd Regni detrimenta esset Rex Sigismundus suo aduentu auersurus, velut manifestissimus hostis, instructissimo milite in tellurem patriam ingressus est, nobis ipsismet summoperè metuendus, verbere, vt vulgò dicitur, non iure vtens: Hanc consolationem nobis Rex Sigismundus attulit, quem S. C. nobiscum toties, omni submissione in Regnum hæreditarium inuitasset; Sed vt mitis, & mansuetus, fideiisq; Rex aduolaret, velut litteræ testantur sequentes, à S. C. ad Regem Sigismundum, de hac re transmissæ, quibus & Regni Ordines, sua adiunxerunt eiusdem thematis, quæ his immediatè subnectentur.

Potentissime Rex, M. V. fraternam, & amicam salutem, aliaq; nostræ facultatis deferimus bona. Amice Dne frater, M. V. latere nolumus, quòd nobilis & generosus Dnus Samuel Laski, Legatus V. M. apud nos fuerit, omniaq; sibi à M. V. munera, & negotia iniuncta, scriptis et oretenùs nobis manifestauerit: Quanquàm illa nihil aliud fuerint, quàm cumulus quidam criminationum, quem Ericus Sparre, & illius complices, qui nihil aliud laboris habent, quàm mendacia inter Regna disseminare, apud M. V. falsissimè nobis imposuerunt; Quibus accusationibus, nos, & illi, alijq; Erici Sparre Sectatores, superiori anno verè, & copiosè respon-

Inuitatur R. S. in Sueciam.

dimus

 dimus per eos Legatos, quos M. V. & Ordines Polonici, eo tempore in ijs ablegaßent huc negotijs: Quocircà minùs videretur hoc tempore necessarium, vt denuò illis responso obuiaremus; Siquidem iustißima nostra excusatio, nec dum legitimis rationibus confutata, liquidò perspicientes, licet æquißima excusationum momenta adferamus, tamen apud M. V. præ iniquis aliorum, & vanißimis delationibus contemnantur: Nihilominùs pro commoditate rerum, & temporis breuitate, eiusmodi rationibus nos excusabimus, vt M. V. illis fraternè, & amicè satisfactum iri speremus; Dummodò veritas plus loci, vt decet, quàm iniquißimæ Ardelionum relationes inuenerit. Quamobrem fraternè & amicè postulamus, quò M. V. sibi nostrum responsum placere patiatur, illi fiduciam firmißimam attribuens, nos vicißim parati, atq; prompti, M. V. fraterna obsequia præstare, prout iure naturæ, consanguinitatis, & iuramenti tenemur, ac obligamur. Hisce M. V. cum charißimâ Consorte, & illustrißimis Liberis, Diuinæ protectioni, pro diuturnâ salute, atq; fælici, tranquilloq; Regimine, fraternè & amicè commendamus. Datum 14 Februarij, anno 1598.

Serenis-

Litteræ Ordinum Regni ad Sigis. R.

SErenißime Rex V. M. fidelia nostra obsequia, cum omni humilitate, & obedientiâ pro viribus nostris, quamdiu vixerimus, parata atq; prompta deferemus. Clementißimè Domine, & Rex, V. M. cum omni submißione significamus, nos litteras M. V. per nobilem, & generosum Dnum Samuelem Laski, Legatum M. V. accepiße, quas dignâ reuerentiâ, & bonore excepimus, legimusq; in quibus M. V. inprimis sese rectè valere (Deo laus) significat, quod non sine singulari desiderio, atq; gaudio audiuimus, à Deo præpotente iugiter precantes, vt hac prosperâ valetudine V. M. diuterno tempore frui patiatur, ad sui sanctißimi nominis gloriam, & honorem, ac M. V. Patriæq; prosperitatem, concordiam, atq; subsidium, commodumq;. Econtrà ex M. V. litteris, non absq; cordis discruciatu, percepimus plurimas illas accusationes, quibus M. V. Patruum suum dilectißimum, Illustrißimum Ducem Carolum onerat insontem; Vndè S. C. apud M. V. eiusmodi promeruit, nobis prorsùs incognitum est: Quandoquidem S. C. quidpiam molitam, in præiudicium Iuramenti, quo S. C. vnà nobiscum M. V. obstricta est, aut quod laudabilibus illis Decretis, Sudercopiæ, & Arbogiæ, Regni Ordinum, Spiritualium, & Secularium vnanimi consensu factis, non conspiret, aut conforme non sit, prorsùs ignoremus: Verùm absente M. V. ità sese in concredito Regimine gesit, velut fidelem Patruum erga Nepotem, atq; Regem legitimum decuit procedere.

Quamobrem humiliter, & submißè à M. V. postulamus, nè ex malorum, & inquietorum hominum falsis relationibus, aliquam indignationem erga S. C. concipiat, aut quidpiam moliri patiatur quenquam, quod huic Regiæ, & Ducali Familiæ, Patriæq; nostræ in detrimentum vergat; Sed potiùs pro innatâ, & regiâ virtute, Patriæ nostræ charißimæ miserrimo statui compatiens, regiâ suâ personâ, & authoritate, has inordinationes in Regno cateruatim graßantes emendet, ac eliminet; Quæ sanè non aliundè traxerunt originem, quàm quòd M. V. Rex Sueciæ legitimus, Regnum suum Hereditarium absens, rumoribus, aliorumq; relationibus gubernet. Quæ proindè perturbatio, præsentiâ M. V. & Iuris Suetici vigore, nullo negotio, poterit emendari: Ideò obnixè flagitamus, vt ipsamet M. V. hoc Regnum suum hæreditarium, velut mitis, & mansuetus Rex (de quo nihil ambigimus) coràm dignetur gubernare; Cùm verò Sudercopiæ, atq; Arbogiæ nihil

aliud ſit concluſum, quàm quod conforme exiſtat Iuramento M. V. *Aſſecurationi, Iuri municipali, Teſtamento auito, & Pactis hæreditarijs, alijsq; pijs, & laudabilibus* Transactionibus; *Ideò humiliter confidimus, ſicut etiàm demiſsè petimus, & admonemus, quò M. V. ipſamet efficiat, vt præfata* Comitia *firmiter, & irreuocabiliter in omnibus ſuis* Articulis *obſeruentur; A quibus neq; præſentibus, aut futuris temporibus diſcedere penitùs decreuimus: Præſertim cùm M. V. &* Regiæ, Ducaliſq; Familiæ, *ſicut etiàm* Patriæ *noſtræ proſperitatem ſpectent, & promoueant. Quòd ſi autem M. V. opinetur, de quopiam eminentioris, aut humilioris conditionis homine, aliquo iure ſeſe conqueri, illumq; incuſare, & præcipuè* Illuſtriſſimũ Principem, Ducem Carolum, *in quem omnis ferè culpa confertur, huiusmodi accuſationes legitimè, & rationabiliter, præſente M. V. penitiùs rimari, et examinare licet, tantis ambagibus prætermiſsis; Quo tempore etiàm, Deo auxiliante, ſperamus eam excuſationẽ à S. C. & vniuerſis* Regni Statibus *(ab illis tamen potiſsimùm, qui optimo gaudent conſcientiæ teſtimonio, promiſsionibus, verbis, & veritati adhærentes) cum omni ſubmiſsione depoſitum iri, quæ M. V. ſit placitura, atq; ſatisfactura; Velut etiam, ex S. C. omniumq; noſtrûm legitimâ excuſatione, M V. in veritate cognitura, S. C. nimirùm, aut nos à M. V. aliquas minas, vel indignationem non promeruiſſe, his tumultibus, inquietorum, & inuidorum quorundam hominum peruerſæ relationi adſcriptis.*

Nam quod ad eam criminationem attinet, quam M. V. attribuit S. C. ratione Ordinis Senatorij, *quem S. C. officijs aſsignatis exuiſſe traducitur, verax teſtimonium in hac re S. C. dare poſſumus, non illos conditionibus exutos, & dignitatibus priuatos ab* Illuſtriſſimo Domino Carolo, *ſed ipſimet à S. C. & nobis, alijsq;* Regni *negotijs grauiſsimis ſe diſiunxiſſe, & ſubduxiſſe: Nam nullâ neceſsitate compulſi, eorũ nonnulli ex* Regno *profugientes, alij* Domi *ſuæ commorantes, nè minimam quidẽ, ſuper* Regni *arduis negotijs ſolicitudinem admittere voluerunt. Quanquàm à S. C. & nobis ſummoperè rogati, vt in M. V. Regniq; emolumentum, cum S. C. conſpirarent, non prorsùs omnibus* Transactionibus *legitimis ſe ſubducendo: Vndè factum, quòd* Legatio *illa ad M. V. Arbogiæ decreta, in hunc vſq; diem ſit producta, vtpotè illis* Senatorum Regni, *quibus* Reipub. *negotia optimè nota, iniungendam ſtatutum eſt.*

Quantum

Quantùm deindè attinet ad captiuos, quos S. C. tàm in Finlandiâ, quàm aliâs in suâ custodiâ detinet, iure à S. C. factitatum, cum vnanimi Regni Ordinum consensu, & approbatione. Siquidem hostili modo S. C. & Regni publicis se opposuerint Decretis, multâ violentiâ, & iniustitiâ M. V. Subditos affligentes, diripiendo eorum bona, vitæ munere crudeliter priuando, aliaq; indigna in eos statuendo facinora, prout luce meridianâ clarius in Finlandiâ apparet: Atq; licet S. C. eiusmodi prouinciarum publicos turbatores, legitimâ factâ inquisitione, iure pro meritis pænâ mulctare potuisset, cui in Conuentu Arbogensi vnanimem nostrum præbuimus consensum; Nihilominùs tamen prætendit S. C. si abundè à M. V. fuerit assecurata, quòd talibus actionibus, imposterùm operam suam non sint delaturi, aut eiusmodi turbas commoturi, Verùm pacificè, & quietè secundum vniuersalia Regni Decreta victuri; Sicut etiàm vt V. M. eiusdem cohortis in Finlandiâ adhuc residuos, vt inaudiuimus, omni violentiæ indulgentes, in M. V. & afflictissimæ illius Prouinciæ perniciem, vt eiusmodi turbis, & desperatis actionibus supersedeant, compulerit, M. V. fraternè Mandato, & humili nostræ petitioni S. C. obtemperatura, pro M. V. fraterno, & amico beneplacito, pristinæ libertati illos restituens, & quæcunq; contra illos S. C. legitima habet grauamina, penitùs condonans, ac remittens; Aliorum tamen accusationes reseruando Actoribus, quarum S. C. sibi non licitam esse condonationem fatetur.

Idcircò ad extremum quàm humillimè, & subiectissimè rogamus, quò M. V. clementissimus noster Dominus, & Rex persistere dignetur, cùm neq; S. C. aut nos aliud quidpiam promeritos, quàm quod nobis à clementi, & mansueto Rege securè expectandum, cognoscamus: Si quispiam est, quicunq; tandem ille sit, eminentioris, aut humilioris conditionis, intra aut extra collegium Senatorium, Ecclesiasticus aut politicus, qui aliquo modo fuerit reus deprehensus, in eum inquisitione factâ, secundum Iura, minoribus ambagibus quàm modò M. V. vtitur, pænam aut emendationem insurgere faciat: Nos vicissim, vt tenemur, ità inposterùm, sicut hactenùs in omnibus legitimis rebus, velut fidelitatis nostræ iuramentum factum testatur, fideles & rectè consulentes Subditos M. V. deprehendet, pier p esq;

 semper

 semper, & paratos pro M. V. salute, bonis, atq; vitæ ipsi non parcere. Hisce ex fido, atq; optimo corde, M. V. cum dilectissimâ Reginâ, & illustrißimis Liberis, pro tranquillo Regimine, & diuturnâ, Regiaq; felicitatis prosperitate, Deo præpotenti, sicut etiam M. V. fauori nos humiliter commendamus. Vbsaliæ 20. Februarij, anno 1598.

HAec verò S. C. moderni Regis nostri, atq; nostra humilis litterarum mißitatio, apud Regem Sigismundum nullum fructum produxit; Sed eò tempore, velut anteà frequenter ab eo decepti sumus; Cùmq; speraremus illius aduentum, nobis in vtilitatem, pacem, atq; iusticiam ceßurum, bella, tumultus, iniusticiam, & violentiam magno prouentu nobis attulit: Ità Rex Sigismundus hæreditaria sua Sceptra gubernauit; Eiusmodi emolumentum, illius Regimen nobis importauit, vt omnis iusticia, & Iura sint conculcata, ac ad nihilum redacta.

Quanquàm Rex Sigismundus, vt sæpiùs inculcatum est, nullam habuerit caußam, eiusmodi bellorum telam exordiendi; Quandoquidem ex diuersis litteris, huic Historiæ multis locis insertis, perspicuum euadit, quòd Regi Sigismundo, neq; ab Illustrißimo Duce Carolo, neq; ab vllo alio expectandum fuerit, eum in Regno hæreditario secùs exceptum iri, quàm legitimum Dominum conueniret suscipere, erga quem fidelitate animi, omnibusq; bonis Subditi ferebantur, prout Internuncij, atq; litteræ testantur, à S. C. & Regni Ordinibus, diuersis temporibus ad R. M. expeditæ, quibus prorsùs contemptis, hoc præposterum R. M. arripuit consilium: Licet autem tàm S. C. quàm Regni Status non obscurè perspicerent, sibi nihil boni à R. M. destinatum; Attamen S. C. præfatiq; Regni Ordines, cum Rege Sigismundo, Stegeburgi pacis tractationes Iniuerunt, quemadmodùm Transactio illa Stegeburgensis, typis diuulgata enarrat, in subsequentibus pagellis introducenda. Hoc loco autem, præfati Tractatus epilogum duntaxat inseremus: Quippè clementißimus Dux Carolus vnà nobiscum, à Rege Sigismundo summoperè contendebat, vt à maligno proposito desisteret, quò vniuersa Tragædia fælicem sortiretur catastrophen, sed frustrà: Rex etenim Sigismundus, & illius peruersi Consiliarij, mordicùs suæ opinioni adhæserunt, eum fortunæ succeßum sperantes, vt christianâ Religione exterminatâ, erroneam Pontificis doctrinam introducere liceret; Quæ illorum machinatio terminum sortita eo tempore, cruentatum bello ciuili:

ciuili. Hoc *secùm emolumentum, In natale solum* Rex Sigismundus *inuexit, quod deuitare potuisset, si auitæ admonitionis, & proprij Iuramenti fuisset memor;* Proinde *ex intimis animi sensibus,* Deo *præpotenti gratulamur, qui non solùm nefariæ* Aduersariorum *machinationi finem imposuit; Verùm malum in* Sigismundum, *eiusq; Sectatores conuertit.*

Hæc *recensita, nunquid Legibus, & Naturæ ipsi non sunt contraria? quæ illa peruersa Consiliariorum turba produxit, suggestione* Pontificis Romani, *& Iesuitarum dolosâ molitione:* Etenim *aduertentes venenatas suas intentiones, successu defraudari, per tumultum & & dissensiones ciuiles, atq; publicata* R. M. Diplomata, *&* Regno *vniuerso diuulgata, alio Regem* Sigismundum *adminiculo, voti compotem euadere posse commonstrarunt, quorum temeraria consilia* Rex *sequutus, illa temerariæ exequutioni mandauit:* Namq; *licet* Rex Sigismundus *in* Patriam *aduenerit exercitu,Militum octo millibus numeroso, & vltrà,velut præmemoratum est, eâ intentione, vt fideles suos* Subditos *eradicaret,& pessundaret prorsùs,* R. M. *Iuramento, &* Assecurationi *firmiter adhærentes;* Tamen *in animum nostrum nunquàm inducere potuimus,Regem* Sigismundum *nefarias suas molitiones,vsq; eò horribili exequutioni mandaturum: Sed potiùs in eâ spe constituti,* R. M. *Subditorum fidelitatem, quam sanctè iurassent, neq; vnquàm violari decreuissent, expensuram atq; examinaturam;* Quod *iuramentum inuiolabiliter fuerant parati seruare, si* Rex *idipsum similiter facturus esset;* Quod *sanè æquitas postulauerat, & omnium populorum consuetudo, vt vota, & promissa piè atq; legitimè facta, vtrinq; seruentur, tàm à summis, quàm ab infimis* Regnorum Indigenis.

Quocircà *nè suspicio quidem nobis in mentem venit, Regem* Sigismundum *intra* Regni Sueciæ *limites,secùs negotio manum admoturum, quàm Iura nostra, & regium* Iuramentum *paterentur: Sed, prô dolor, fefellit nos opinio ista; Siquidem vbi nos iure, & iusticiâ frui sperabamus, tùm nos peregrino milite persequebatur:* Neq; *solùm nobis humiliori conditione positis, sed Illustrissimo* Duci Carolo, *suo proprio* Patruo, *plurima vitæ discrimina frequenter obtendebat.* Quibus,*dubio procul,succubuisset, nisi mitissimus* Deus, *à* Serenissimo Duce Carolo, *eiusmodi discrimina diriuasset;* Atq; *si nos* S. C. *Sectatores, in hac iustissimâ*

 ssimâ causâ S.C. non adhæsissemus; Sed neutri fauentes parti, Tragædiæ catastrophen spectare voluissemus, (quod consultum non fuerat, ni ad extremam perniciem protrahi cuperemus, S. C. præter expectationem, rerum exitu non fauente) iure in hæc verba prorumpere potuissemus: Si virenti hoc accidit arbori, quid arefactæ eueniet radici? Si hæc violentia, & iniusticia proprio Regis Sigismundi Patruo, hæreditario, & primario in Republicâ Principi irrogantur, quæ nobis longè inferioris conditionis hominibus accidere poterunt? Cùm quidquid nobis, aut in Ecclesiasticis, vel Politicis nogotijs, ad extremam nostram perniciem obtruderetur, acceptare fuissemus coacti.

Etenim quamuis omnes portus, & arces, eâ quidem spe, quòd in Regnum suum paternum velut mansuetus, fidelis, & iustus Rex foret intraturus; Tamen suam seueritatem, vim atq; iniusticiam, suasu Consiliariorum illis rigidè exhibuit, qui primò Castella, atq; portas S. M. recludebant. Velut Calmariæ factum, quò vix peruenerat, antequàm suæ Regiæ clementiæ, atq; amoris in Patriam argumenta daret non obscura, hostilem suum animum, & molitiones diutiùs occultare nequiens: Quippè contra litteras, & promissa, arcis Præsidiarios supremos protinùs in vincula coniecit, qui eam Munitionem regiam, S. M. ad fideles manus conseruassent & restituissent; Quos inter erat nobilis, & generosus Georgius Claudij, & Olaus Hard, quos Rex Sigismundus in Poloniam transmissos, longo tempore, diro carceris squalore macerauit, & adhuc fuissent ibidem detenti, ni captiuorum permutatio, illos vinculis expediuisset diuturnis; Quos captiuos Serenissimus D. Carolus, Calmariæ consequutus, cùm arcem peregrino militi commissam eripuit, illam Coronæ Sueticæ restituens: Huic namq; externo militi, illud Castellum protegendum Rex Sigismundus commiserat, contra suum Iuramentum, & pactas Lincopiæ Inducias, quandò Ordinibus Regni Sueciæ prorsùs inscijs, tertiâ vice ex Sueciâ discederet, atq; aufugeret, nobis in magno discrimine relictis; Neq; etiam Rex Sigismundus in hodiernum vsq; diem, ab eâ consuetudine destitit, cum suis Consiliarijs, & officialibus, qui neq; litterarum, aut promissionum, honoris aut famæ magnam hodiè ducunt rationem; Sicut nuper à Iohanne Vetero factum, cùm pro consuetudine, & fide militari, captiuos in Sueciâ Polonos, libertate donauissemus, vt Succos in Poloniâ detentos, ad suos remitterent penates,

tùm

tùm temporis, neq; litteris, aut promißis, vel verbis stetit, præcipuos de captiuis Suecis, inhumanâ captiuitate retinens, velut Carolum Caroli, & Iacobum Hijl, quendam quoq; Anglum, quem postmodùm magnis promißis ad sua castra pertraxerunt, illiq; persuaserunt, vt vitam Domino suo (cui Iuramento fidelitatis fuerat obligatus) Serenißimo scilicet Regi Carolo, per summum nefas suffuraretur.

Hoc pacto Rex Sigismundus, adhuc per suos Strategos, & officiales hoc cruentum bellum dolis, atq; fraudibus gerit, prout apertißimè constat ex ijs, de quibus supremum exercitus nostri Ductorem, illustrem, & generosum Dnum Ioachimum Fridericum, Comitem Mansfeldensem, & Baronem Hildrungensem, aliosq; nuper solicitauit: Illi namq; suadere curauit, vt bonore, & honestate neglectis, impudentes illius, & stolidas admonitiones acceptaret; Quem verò etsi frustrà super hac re molestauerit Rex Sigismundus; Attamen per suos Aßeclas, cò vsq; hanc fraudem promouit, vt quibusdam ad sua vexilla suaserit accessum, velut Henrico Lijff, Christophero Treiden, Iohanni von Rosen, alijsq; his subdolis machinationibus seductis, qui iuramento, & promißo, honestateq; postpositis, nonnulli eorum in carceres, alliqui autem ad extrema vitæ supplicia sunt perducti. Hæc gubernatio Regis Sigismundi, & Officialium; Ità Gubernaculo præfuit Suetico; Hac ratione bella hodiè gerit, vt plurimi qui ab illo, & eius consilliarijs sunt seducti, ad supremam deueniant perniciem, & ruinam.

Verùm illuc vndè digreßi sumus redeamus, nimirùm cùm Rex Sigismundus, peregrino milite stipatus Calmariam venißet, vt prememoratum est, plurimi nobilium ex Regno, Magistri Equitum, & Centuriones ad S. M. confluxerunt, existimantes hac ratione, grandia stipendia se consequuturos, prout ab infidis illis Consiliarijs, & Pontificiorum subdolis machinationibus persuasi, illecti, & seducti fuerant; Licet progressu temporis se à Rege, et illius complicibus seductos serò comperirent, & dolerent. Nam cùm Regi pro voto non succeßisset, eos prorsus dereliquit, sine omni consolatione, & defensione, ex Regno Sueciæ profugiens: Sin verò Rex Sigismundus victoriam obtinuißet, nihil melius illis, quàm nobis accidißet, vtrisq; in extremo periculo constitutis, & erroneâ nobis Religione obtrusâ; Cùmq; Rex præcipuo, tempore Coronationis, Iuriiurando deposito, super inuiolatâ Religionis libertâ-

 bertate non steterit, credendum multò minùs illum alia Iuramenti sui capita, non tanti ponderis, fuisse obseruaturum; Præsertim erga illos, quibus Religionis pontificiæ inuectionem displicere cognouisset: Exemplo nobis sit S.C quam capitali odio, idcircò persequebatur, quòd palàm pontificiæ Religioni reluctaretur. Quid nobis igitur accidisset, S. C. de medio sublatâ, si vel minimùm his astibus iniquis reniti voluissemus? Non sine grandi periculo, animæq; dispendio, quæ nobis certo certius euenissent, id sanè cognouissemus.

Verùm diuinæ bonitati summè gratulamur, quæ nos laudabilibus medijs, & miro auxilio eripuit Aduersariorum faucibus: Etenim si Rex Sigismundus victoriâ potitus fuisset, malignum suum propositum destinato mandasset operi, cùm copiosissimo exercitu instructus, Calmariâ Stegeburgum peruenerat, eâ quidem intentione, vt ex suasu suorum Consiliariorum peruerso, cæde, & sanguinis profusione, non solùm suos Subditos perderet, & deleret; Verùm etiam Illustrißimum Principem Ducem Carolum, de medio vitæ stadio tolleret, qui machinationibus eiusmodi sese viriliter opposuit, nobisq; refugium, & auxilium præbuit securißimum: Nam cùm S. C. nonnullis copijs militaribus instructa, Stegeburgum eo proposito venißet, vt cognosceret quâ de causâ, Rex Sigismundus tanto exercitu comitatus, patrium solum fuisset ingressus, de quo per litteras, & Internuncios à M. R. fraternè, & amicè sciscitatus est, insuper flagitans, vt ad colloquium Regium admitteretur, ideò in propinquo castrametatus est; Sed protinùs Illustrißimus Dux, crudeli experimento edoctus est, quamobrem Sigismundus Rex, tot armatorum millia in Regnum Sueciæ adduxißet: Siquidem Serenißimum Principem Carolum punctim & cæsim, eminùs & cominùs ità exceperat, vt aliquot centena hominum vtrinq; in campo mox ceciderint. Quod tamen hostile facinus, iustâ noluit S. C. compensare vindictâ, sed ad pacificationem amicam, & inducias cum Rege, & infidis eius Consiliarijs pangendas, nos cum S. C. obtulimus promptißimos.

Quamquàm omnis laudabilis Transactio, concordiæ atq; amicitiæ inprimis seruiens, apud Stegeburgum à Rege Sigismundo, & eius Consiliarijs irrisa, & explosa; Quandoquidem cùm ille, & sui Sectatores, intentione peßimâ, & animo scelerato in Regnum aduenerint, nullas pacis conditiones admittere voluerunt, prout sequentes paginæ attestabuntur.

Aderant

Aderant eo tempore Electorum, *atq; aliorum Principum quorundam* Legati, *velut* Electoris Brandeburgensis, Marchionis Ansbacensis, *&* Vdalrici Ducis Megapolensis, *quibus cum infideles illi Consiliarij, pretextus solummodò caußa splendidioris, egerunt, vt in* Regnum Suecia *proficiscerentur, dißensiones inter* Regem Sigismundum, *&* Ducem Carolum *obortas pacificatum; Qui proindè* Electorij, *et* Ducales Legati, *quantùm illis fuerat poßibile, & controuersiæ negotia extiterant explorata, adnitebantur, vt* Stegeburgi *omnis controuersia, & simultas transigerentur, & componerentur. Verùm cùm omnia se frustrà attentare media pacificationis probè animaduerterent, desubitò indè profecti sunt, quos* S. C. *ad limites* Regni Daniæ, *honorificè curauit deduci: Hac ratione omnia pacis media, tàm à Legatis, quàm à* S. C. *& nobis, partibus illius adherentibus seriò tentata, sunt elusa, & frustrà suscepta.*

Præterea se obtulit S. C, *vniuersis & singulis sese incusantibus aliquo modo, coràm* Arbitris *legitimis & sinceris respondere paratam, ad omnes eorũ obiectiones;* Rex *proindè* Sigismundus, *duodecim ex qualibet parte, sex de nobilitate, & sex officialium militarium, ad hoc ordinandos rogauit, vt amicè omnes controuersias deciderent. sed* Rex Sigismundus, *prout alia suo Iuramento confirmata seruauit, ità & hoc exequutioni tradidit: Siquidem* Marchioni Badensi, *&* VVeiero *protinùs in copias* Ducales *tormenta explodere permißit; Vtrùm verò ex mandato regio id præfatus* Marchio *fecerit, nouerit ipsemet* Rex Sigismundus; *Tamen ad hoc sedulò incubuit ille* Badensis Marchio. *Neq; his* Sigismundus Rex *contentus, sed Duci exercitus sui,* Georgio Farensbecio *demandauit, vt nocte intempestâ, castra* Ducalia *ex insidijs adoriretur cum suis copijs, trucidando obuios quosq;, quod* Farensbecij *famulus postmodùm retulit, alijq; Regij seruitores plurimi eo tempore, & deinceps attestabantur. Et quanquàm* S. C. *atq; nos alij, illius castra sequentes, nihil aliud attentauerimus, quàm quod legitimum, & iuramento nostro consentaneum foret; Tamen loco mercedis, apertas inimicitias, occultum odium, & subdolas machinationes reportauimus, quæ ad interitum nos deduxißent, si (quod* Deus *auerterat) secundum progreßum fuißent consequutæ; Quoniam id tacitè præstolabantur, omnem amicam* Transactionem *perendinando, vt* Copiæ *ex* Finlandiâ *auxilia-*

auxiliares aduenientes, earum operâ commodiùs suam tyrannidem mandarent exequutioni, Deo præpotente successum nefariæ machinationi denegante: Hoc verò Rex Sigismundus dolo vsus, non solùm contra naturalem amorem, Iuramentum, & promissum; Sed aduersus omnium populorum in toto orbe, consuetudinem militarem.

Ad extremum, cùm Rex Sigismundus cognosceret, frustrà se auxiliares ex Finlandiâ cohortes præstolari, atq; Serenissimi Ducis Caroli instructissimam classem naualem non procul abesse, tanto timore illius exercitus perculsus est, vt nemo ausus expectare: Ideò Rex Sigismundus nocturno tempore, cum toto suo comitatu, Stegeburgo Lincopiam profectus est quàm quietissimè, post se relictis nauibus, tormentis, aliisq; magni momenti rebus; Licet constitutum fuerit, prout per suum Secretarium Ionam Axenbergium promiserat. Atq; vt nihil in hac Historiâ prætermittatur, ad eius integritatem, & perfectionem spectans, vniuersa Stegeburgensis Tractationis capita hic subnectemus, quæ Suetico, & Germanico idiomate anteà prodierunt, sumpto initio à deditione arcis Calmariensis.

ILlustrissimi proindè Ducis Caroli, moderni Regis nostri instructio, & informatio, Principi Gustauo, Saxoniæ & Vestphaliæ Duci, atq; nobili, & generoso Georgio Claudij, ac Olao Hard, quâ ratione in munitione Calmarianâ se gerere tenerentur, tradita in memoratâ arce Calmariensi 10. Iunij, anno 1597. hoc tenore conscripta fuit.

PRincipiò omnes tenebuntur, secundum suam in scriptis datam obligationem, præfatam munitionem ad fideles R. M. manus, in emolumentum Reipub. conseruare, nullo in arcem admisso, siuè intrà, siuè extrà Senatorium collegium constituto, nobili, aut plebeio, nisi Illustrissimi Ducis Caroli patentes, super hac admissione monstrauerit litteras; Neq; quidquam de armamentario, aut cæterâ Castelli supellectili distrahi patientur, sed diligenti curâ ibidem singula conseruabunt.

SEcundò, diligentiam adhibebunt, vt R. M. & Regni Subditos, tàm ciues in vrbe, quàm alios Iure, Nobiles, Sacerdotes, milites, plebeculam, reliquosq; eminentioris, & humilioris conditionis in eâ fidelitate, quâ illi cum vniuerso Sueciæ Regno, Regi Sigismundo, & illius masculis hæredibus obligati, contineant; Atq; in absentiâ S. M nomine regio,

gio, in Regni, & R. M. emolumentum, S. C. omnem obedientiam, & promptitudinem præstent, nullius mandato præter S. C. solummodò auscultantes.

TErtiò, obligati erunt, Subditos in pristinis libertatibus, & priuilegijs conseruare, & defendere, non permittendo violentiam, aut iniustitiam vlli inferri; Sed quicquid iuris, & Iustitiæ rigor suadet, illis irrogandum, quò nemo secùs conqueri possit; Neq; muneribus, vt hactenùs, prô dolor, factum, se corrumpi patiantur.

QVartò, pro viribus incumbent, nè Coronæ peculium ab vllo diripiatur: Sed in commodum M. R. Regniq; teneatur, & defendatur, nullo amicitiæ, aut alterius cuiuscunq; habito respectu; Ac quicquid illegitimè poterit esse subductum Coronæ, denuò restituatur.

QVinto, si R. M. in hoc Regnum peruenerit (quod primo tempore vt fortunatissimè fiat, omnes optamus) Calmariam appellens, R. M. portas arcenses pandet, si intellexerint R. M. velut mansuetum, & fidum Regem aduenisse, quemadmodùm in suâ Coronatione secundum Iura Suetica spopondit, & promisit, R. M. eo modo, quo Dominum, & Regem decet, excipientes. Sin verò (quod Deus prohibeat, & nos minimè speramus) R. M. copijs militaribus instructa, ad Suetica appulerit littora, violentiam aliquam aggrediens, in deuastando, & deperdendo Patriæ solo, contra regium suum Iuramentum, Leges Naturæ, & Sueticas, suasu malignorum hominum, Indigenarum, aut Alienigenarum, R. M. nullâ ratione, aut ullum Regio nomine, in ciuitatem, aut Arcem intromittent: Sed vtrumq; pro viribus defendent, donec S. C. super illo negotio fecerint certiorem, responsumq; acceperint, R. M. cum S. C. reconciliatam, seq; R. M. declarasse, quòd nihil hostile sit molitura in Regni Sueciæ perniciem vergens. Interim verò mandatis quibuscunq; non attendentes, M. R. omni diligentiâ admoneant, vt eiusmodi proposito supersedeat. Quod si autem externus quispiam miles, ad eam Munitionem occupandam vi, aut aliâ ratione expeditus fuerit, illi quantùm per vires licuerit, resistent, non permittendo illi in Ciuitate, aut Arce vllam mansionem.

SExtò, muros, vallos, turres, summâ diligentiâ ædificabunt, & emendabunt, pro necessitate, & possibilitate, sicut etiam sarta tecta tenebunt, nè conclauia, & hypocausta stillicidijs destruantur.

Septimò, si necessitas postulauerit, milites Abrahami Nicolai, & Nicolai Finnonis, atq; Iohannis Gustaui, in Ciuitate excubias noctu diuq;, summâ curâ peragent, nè aliqua irruptio insperatè in Ciuitatem, aut alia violentia contingat.

Octauò, auxilio Ciuium, atq; Militum, secundum S. C. super hac re ordinationem factam, eam in vallo Ciuitatis incboatam fabricam prosequentur, quò hac æstate ad culmen, & finem perducatur, illis pecunijs ad hanc conuersis, quas S. C. ordinauerat.

Nonò, erga Regni Sueciæ vicinos, scilicet Danos, amicè & pacificè, omnino secundum illud fœdus, hæc celeberrima Regna inter statutum, sese gerent & exhibebunt, nè aliqua discordia in alterutrâ parte emergat.

Vltimò, omni fidelitate, & diligentiâ querelas, aliaq; negotia excipient, & quicquid S. C. inconsultâ expedire nequeunt, quamprimùm S. C. significabunt, in nullum vllâ ratione mortis supplicio statuto, S. C. insciâ, & priusquàm S. C. de hoc iudicauerint. Datum vt suprà.

Iam sequitur Responsum Serenissimi Ducis Caroli, super illo puncto, de quo nobiles & generosi, Georgius Claudij, & Olaus Hard Castellani Calmarienses, S. C. humiliter per litteras consuluerunt, quod Nycopiæ 16. Maij, anno 1598. exaratum.

Cvm Castellani Calmarienses inquirant, quâ ratione, si R. M. in suo reditu ad Regnum, prout rumor fertur, Calmariam appulerit, sese gerent, voluntas est S. C. vt Instructioni datæ inhæreant; Nimirùm si R. M sicut mansuetus, & fidus Rex aduenerit, velut in Coronatione secundum Iura Suetica spopondit, & promisit, & super his patentes suas litteras, & confirmationes dare voluerit; Nec minùs quòd S. M. nihil violentum, aut hostile sit attentatura aduersus Illustrissimum Ducem Carolum, aut aliquem alium fidelem Regni Subditum, eminentioris, aut humilioris in hoc Regno conditionis; Sed vniuersa, pro tenore Iuramenti, & Assecurationis suæ, Iurisq; Suetici sit actura: De his inquam præ fatâ ratione, pro se, & reliquis suis Commilitonibus, nostris famulis abundè assecurati; velut etiàm si R. M. spondeat, atq; promittat neminem Polonorum, aut aliorum S. M Comitum externorum, in Munitionem admittendum, præter solos Suecos R. M. adhærentes, tàm

ciuita-

Ciuitatem, quàm Arcem pandent, Serenißimum Regem excipientes, quo conuenit Dominum, atq; Regem modo, & commoditas, facultatesq; permittunt.

Sin verò R. M. prætenderit, eiusmodi aßecurationem se dare nolle, sicut neq; eße neceßarium; Respondebunt sibi in mandatis à S. C. hoc datum, sine quo quemquam intromittere non audere. His ità peractis, si R. M. aßecurationem eiusmodi dare renuerit prorsùs, & vim quampiam fuerit machinata, vndè non obscurâ coniecturâ licebit colligere, quâ ratione R. M. animata sit, porrò hæc negotia prosequi, vbi in Regnum vltrà peruenerit; Tùm neq; R. M. aut vlli regio nomine, Ciuitatem aut Munitionem aperient, Sed pro viribus protegent. Sin autem peregrinæ militum copiæ, aliâs illuc appulerint, ad occupandum Castrum vi, aut aliâ ratione expeditæ, nullas Pactiones, & Transactiones cum illis ingredientur, viriliter ijs vndequaquè resistentes.

IDcircò cùm R. M. Calmariam appulißet, hoc epistolium Illustrißimus Princeps Dnus Carolus, ad Regem Sigismundum per Lindormium Riblingt ransmisit.

Non poßumus non M. V. significare, nobis relatum eße, M. V. fæliciter Calmariam appulisse, qui nobis pergratus accidit nuncius, optantes porrò clementem fortunam, & diuinam benedictionem M. V. in hoc Regno suo hæreditario. Verùm vt M. V. aduentus plurimum lætitiæ nobis attulit; Ità non sine molestiâ audiuimus, M. V. tàm numerosis copijs militaribus, vt vulgò fertur, Regnum suum hæreditarium onerare; Cùmq; eiusmodi aduentus mirabilis videatur, & apud nos præsertim suspectus, qui à quibusdam inquietis, & peruersis hominibus, apud M. V. quàm astutißimè, & iniquißi- Expostulat S. C. cum R. S. de milite numerosô aducto.

quißimè accuſati ſumus, prout diuerſæ litteræ ſatis teſtantur, in hoc Regnum expeditæ; Vt neq; Finnones, qui nunc repulſi ſunt, illud celauerint, aut ſuum erga nos animum peruerſum, ſi pro voto illis machinatio ſucceßißet, occultaßent: Quamobrem fraternè, & amicè obſecramus, nè M. V. malorum hominum ſuaſu, & inſtigatione vlteriori ſe permoueri patiatur, ad attentandum quidpiam contra nos, aut alios M. V. ſubditos, quod Securitati, M. V. Iuramento, nobis & Regni Sueciæ vniuerſis Indigenis facto, foret aduerſarium; Nos viciſsim inculpabiliter M. V. factum iuramentum à nobis, ſeruaturi ſumus; Quemaddùm, Deo laus, in hodiernum vsq; diem, ſine culpâ conſeruauimus, & M. V. ità excipiemus, prout nos decet inprimis Regem noſtrum, & Nepotem excipere: Quocircà ſcire cupimus, quid à M. V. expectandum, & vtrùm interni, & externi quidam homines ſeditioſi, nos pace domeſticâ veniant ſpoliatum. Si quispiam nos accuſat, ad Iura, & juſticiam, more ſolito, prouocamus.

Inſuper cognoſcere deſideramus, quandò, & quo itinere M. V. huc ad Regiam, & primariam Regni Sueciæ arcem decreuerit proficiſci, vt eâ veneratione, & dignitate M. V. excipiamus, quâ conuenit Regem noſtrum legitimum, & locus con-

conquerendi M. V. non relinquatur: Consultum quoq; foret. (si nostris consilijs aliquid ponderis M. V. tribuere vellet) vt peregrinum illum militem dimitteret, quem melius fuisset, & M. V. tolerabilius, in hoc Regnum nunquàm adduxisse, in M. V. & Regni vniuersi grauamen. Expectamus M. V. optatum responsum, cum præsentium Latore, & hisce M. V. diuinæ commendamus tutelæ. Datum Stocholmiæ 5. Augusti, anno 1598.

Nec multo post, has quoq; litteras *Illustrissimus* Dux *Carolus*, Regi Sigismundo, per *Christopherum* Siptrodium, *Nycopiâ destinauit:*



Otentissime Rex, amice Dne frater, M. V. fraternè et amicè significamus, nos ex præteritis litteris nostris, per nobilem & generosum Lindormiũ Ribbing V. M. destinatis, in veritate cognouisse, quòd M. V. nostros famulos, quibus munitionem Calmariensem, in absentiâ M. V. commisimus, in vincula coniecerit: Etiamsi M. V. paulò antè promisisset, illis nihil mali euenturum; Sicut etiàm non secùs erga M. V. se gisserint, quàm fidos decuit subditos, erga legitimum suum Regem, patefactis januis & portis M. V. prout illis fuerat à nobis demandatum, nè secùs factitarent. Insuper M. V. Internuncios nostros detinet, ad M. V. expeditos, nè cum responsô redeant, sicut Tyconi Laurentij

rentij

rentij, alijsq; factum: Neq; minùs M. V. nos incusauit, quòd obuiàm expedire M. V. claßem naualem, quam frequenter petierat, noluerimus; Ideò his fraternis nostris litteris M. V. compellare consultum duximus. Siquidem verò miremur, quidnam his omnibus M. V. intelligat, proindè postulamus vt M. V. caußam, & quidquid in absentiâ V. M. tractauerimus, seriò examinet, dubio procul, secùs longè M. V. intellectura, quàm inclementer, & infideliter M. V. relatum est. Præterea à M. V. efflagitamus, vt Alienigenas illos in Regni derisionem, & detrimentum adductos remittat; Atq; vt per præsentium Latorem cognoscamus, quid de M. V. nobis sperandum, nunquid mansuetum, & fidum Regem, nec ne scimus præstolaturi, secundum M. V. Iuramentum, & Aßecurationem: Vicißim V. M à nobis, & nostræ parti adhærentibus, fidelitatem & securitatem expectabit, prout M. V. spopondimus, & jurauimus. Super his M. V. responsum optatum, per præsentem famulum nostrum præstolamur, interim M. V. diuinæ protectioni commendantes. Datum Nycopiæ 8. Augusti, anno 1598.

Schedulam hanc postmodùm, quibusdam Ostrogothiæ Rusticis primarijs, ad Regem Sigismundum proficiscentibus dedit S. C. 27 Augusti, eodem anno, S. M. exponendam.

Hæc

HAec Illustrissimus Princeps Dux Carolus postulat, vt præsentium Latores S. C. nomine, vbi Stegeburgum peruenerint, M. R. insinuent, si fuerint ad colloquium regium admissi, & vicissim à R. M. responsum exigant: Inprimis vt S. C. ad colloquium cum R. M. in opportuno loco, in propriâ personâ admittatur, cui si R. M. consensum præbuerit petitioni, vt S.C. pro suâ duntaxat personâ, prædes consequatur, sicut etiam eorum certa nomina, tàm Indigenarum, quàm Alienigenarum apud R. M. commorantium; Idipsum vicissim S. C. pro suâ parte R. M. factura. Deinceps porrò partim de prædum personâ, partim etiam alijs, vbi S. C. admissa fuerit ad colloquium, tractatura.

NVnc verò Responsum Sigismundi Regis, ad literas Illustrissimi Ducis Caroli litteras, per Lindormium Ribbing, & Christophorum Siptrodium transmissas, Lincopiæ acceptum 26. Augusti, postquàm aliquandiu detenti fuissent Tabelliones apud Regem Sigismundum, hoc tenore consequitur.

NOs Sigismundus, Sueciæ, & Poloniæ Rex, Illustrissimo Duci Carolo salutem precamur. Serenissime Princeps, & Patrue, binas V. D. litteras, in Portu Baresundensi, vnas per Lindormium Ribbing, alteras per Cubicularium V. D. Christopherum Siptrodium nomine accepimus. In primis autem litteris significatur, quòd V. D. tantum molestiæ acceperit, propter externũ Militem, copiose in Patriam à nobis adductum, quantum V. D. noster aduentus attulerit lætitiæ. Ideò hoc responsi V. D damus, quòd quantùm ad gaudia attinet, quibus V. D. nostri aduentus ergò perfusa; Licet needùm huius lætitiæ argumentum experti simus, tamen tenori litterarum V. D. acquiescentes, æquum iudicamus gaudium, partim consanguinitatis nomine vtriusq; Partim etiam quòd vniuersi Sueciæ Indigenæ, eminentioris, & humilioris conditionis, legitimi Regis in Regnum hæreditarium libenter videre teneantur aduentum. Quantùm ad grauamen V. D. propter Militem externum à nobis introductum attinet, grauissimâ permoti sumus ad hoc caussâ: Siquidem V. D. nostros proprios Subditos, naues, & populos præter opinionem, & promissionem detinuerit; Atq; cùm dignè, & reuerenter in hoc Regno essemus excipiendi, prout V. D. sæpenumerò spopondit, & promisit, illud non solùm non factum, sed V. D. adhuc à nobis peculiares nostros seruitores, & milites passim separare

Responsum R. S.

conatur, in campis castrametatur, interminans se in nostrum exercitum irruptionem facturam. Quâ ratione ità exhaurit, & grauat Regnum nostrum, Subditosq; vt nos proprijs pecunijs victum nobis acquirere cogamur, ac si peregrini, & incogniti essemus; Licet illis maior multò, quàm nobis promotio, tàm excipiendo quàm liberè sustentando, solita sit à Sueonibus exhiberi: Vtrùm verò ista sint litteris, & promissis V. D. conformia, perpendendum V. D. relinquimus.

Quamobrem speramus, sicut etiam petimus, iubemus, & mandamus, quò V. D. his supersedeat turbis; Siquidem eas militiæ copias non pugnandi gratia adduxerimus, sed cùm Nationis Sueticæ viros, qui nos deducerent, non simus consequuti; Neq; sine comitatu honorifico, hoc iter ingredi possemus, Alienigenarum operâ fuerit nobis vtendum, partim securitatis gratia, vbicunq; tandem appelleremus; partim etiam quòd Regni Poloniæ Ordines, nobis eum regium comitatum, quem status noster postulat, ex singulari quadam beneuolentiâ prouidere voluerint: Proindè in animum nostrum inducere non possumus, in dedecus Regni cedere, quòd adeò honorifico Satellitio aduenerimus; Sed potiùs honori, & celebrationi vniuersæ Patriæ nostræ existere: Verùm vt ingenuè fateamur, nobis & vniuersæ Nationi nostræ, maior est despectus, quòd cùm nobis eiusmodi beneuolentiâ ab Alienigenis exhibeatur, à nostris popularibus non alio modo, quàm hactenùs excipiamur, & tractemur. Quod autem V. D. hæc in suum detrimentum facta esse suspicetur, suasu quorundam peruersorum, & inquietorum hominum, prout V. D. contextus litterarum habet, nobis sanè de huiusmodi peruersis, & subdolis hominibus, aut machinationibus nihil prorsùs constat: Neq; præfatus exercitus vlli futurus grauamini, sed menstruâ victurus persolutione, quæ à nobis numeratur illi, semper velut hactenùs factum est, quamdiu in hoc Regno commorati sumus; Sin secùs fecerit, pro meritis plectetur, quem vbi Indigenæ & Subditi nostri ad nos peruenerint, exautorabimus. Quòd cùm ità sit, ea admonitio, quam V. D. instituit, nè instigari nos patiamur, ad aliud quidpiam exhibendum V. D. aut reliquis nostris Subditis, quàm quod Iuramentum securitatis, à nobis factum postulat, superuacanea fuerat: Quandoquidem non eo sumus, aut fuimus animo, vt cuiquam eminentioris, aut humilioris conditionis, sæculari aut spirituali aliquam vim inferamus; Sed vniuersos &

singu-

ſingulos, ſummos & infimos, charos & non charos, iuris & Iuſtitiæ relinquere decreuimus vigori, & eis qui in tranquillitate, & manſuetudine viuere cupiunt, domeſticâ pace ſit liberum frui, vt nulli conquerendi locum iure relinquamus: Regiâ tamen noſtrâ Iuriſdictione, ac authoritate omninò reſeruatis, prout nos paulò antè, & præſertim nuper per Tychonem Laurentij, quem ad V. D. remiſimus, aduerſus omnes cuiuscunq; eminentiæ, & dignitatis ordines, litteris reſoluimus; Quod V. D. iure ſatisfacere poteſt, ſi V. D. aliàs litteris, & promiſſis velit acquieſcere. Quòd etiam V. D. ſe promittat ſeruaturam inculpabiliter, quæ nobis promiſit, & iurauit, atq; inſuper ſeſe nos excepturam, pro dignitate regiâ, nobis ſimiliter non diſplicuit; Cùmq; hactenùs factum non ſit, licet in hoc Regno menſe integro commorati ſimus, optandum foret, vt quamprimùm conſequerentur promiſſa effectum, quandoquidem neq; aliud nos promeruiſſe fateamur: Cæterùm prout nunc fama fertur, de expeditione, & tumultu militari ſine neceſſitate apud V. D. vigente, exiguam ſpem earum pollicitationum habemus, hanc cauſſam Deo æquiſſimo diiudicandam, & diſponendam permittentes.

In ſecundis V. D. litteris, præter alia, quibus hactenùs reſponſum, intimatur de famulis V. D. in noſtram munitionem Calmarienſem intruſis, & à nobis captiuatis, quod V. D. contra Iuſticiam, & noſtram litterariam Obligationem factum arbitratur: Tamen liquidò probabitur, illis nullam iniuriam eſſe illatam, libenter videntes, quòd noſtris proprijs ſeruitoribus, ſimili caſu, maiorem Iuriſdictionem habentibus, deteriùs nihil accidiſſet. Hæc verò V. D. reſpondere litteris decreuimus, nobis perſuadentes V. D. à ſuâ parte, non ad ea deſcenſuram, cauſſamuè, & initium eorum daturam, quæ ſanguinis profuſionem procreare poterunt; Nos iſta ſanè, quantùm nobis poſſibile refugemus, ità vt ſi ſecùs factum fuerit (quod Deus auertat) innocentem habeamus conſcientiam coram Deo, & toto mundo. Hiſce D. V Deo commendamus. Ex Stegeburgenſi Caſtro, 24. Auguſti, anno 1598.

ILluſtriſſimus verò Dux Carolus, hiſce litteris acceptis; protinùs per Lindormium Ribbing Regi Sigismundo Lincopiâ reſpondit, ſequenti tenore.

Dux capit absolutè cognoscere, quid à R. S. expectandum.



Otentissime Rex, amice Dne frater, binas M. V. destinauimus litteras, postquàm M. V. in hoc Regnum nobis innotuerat aduentus, apud M. V. non sine caussâ inquirentes (cùm M. V. eiusmodi frequentiam peregrini militis in Regnum aduexerit secùm, & insuper ex quauis Prouinciâ Equites, & Pedites euocare mandauerit, sicut etiàm nostros famulos proscripserit, cum multis alijs, quæ longum foret recensere) quid nobis à M. V. sit sperandum, & vtrùm domicilium tutum nobis sit præsidium futurum. Quanquàm verò nunc tandem, postquàm M. V. aliquot septimanis nostros Internuncios retinuerit, per illos responsum acceperimus; Tamen eiusmodi non est, cuiusmodi à M. V. sperabamus, & cuius vigore satis aßecuremur: In illo namq; expectantibus nobis à M. V. quòd suam mentem nobis M. V. expreßè foret manifestatura, quid nobis à M. V. expectandum, quædam nobis crimina, nullo fundamento subnitentia affinguntur: Velut factum cum illis patentibus, ex typo diuulgatis litteris, exiguâ mentione factâ, quòd M. V. nulli violentiam, aut iniustiiam sit irrogatura; sed nostro nomine prorsùs supreßo in præfatis litteris, quòd nos in eadem Aßecuratione includimur. Quamobrem M. V. fraternè & amicè,

amicè, sicut diligenter, & fideliter admonemus, quò M. V. sine inuolucris nobis reuelet, quid de M. V. sit nobis sentiendum, amicitianè, aut inimicitia, quam nos non scimus promeruiße, speranda? Etenim nisi absoluta, & optata responsa, super hac re obtinuerimus, hoc silentio, alijsq; hostilibus adminiculis (quæ, prô dolor, nimiùm contra nos immerentes hactenùs exequutioni mandauit) ansam porrigit, & caußam vt cogamur (licet illibenter, prout Deum testamur) renunciare iuramento fidelitatis M. V. facto: Siquidem nobis vicißim, quæ M. V. spopondit, non seruentur; Verùm si M. V. nos, & nostros Sectatores eo tenore aßecurare voluerit, quem Electorijs, & Ducalibus Legatis, qui paucis antè diebus apud nos fuerunt, tradidimus, exauthorato quem apud se habet M. V. milite peregrino, & vniuersâ controuersiâ in liberis Comitjs, præsentibus Electorum, & aliorum Principum Legatis, legitimâ discußione examinatâ; Nos quoq; quem sub signis habemus militem dimittemus, vnumquemq; ad domum suam, atq; M. V. omnem obedientiam, & promptitudinem, pro tenore iuramenti nostri exhibemus: Hoc saltem nobis mirum videtur, apud M. V. vsq; eò magnam indignationem nos incurriße; Quandoquidem M. V. fidelem nostrum erga se

 ami-

animum non obscuris sæpiùs argumentis cognouerit, & pro tempore probè cognoscere poterit, nos secùs erga M. V. non esse affectos, quàm fidelem deceat Patruum; Profectò si hostili animo erga M. V. essemus, & mali quidpiam inferre vellemus, nunc sanè occasionem, & potestatem ad hoc haberemus amplissimam, cùm nobis commoditates hoc tempore apud M. V. quo cardine voluantur, non sit ignotum, tantumq; militem sub vexillis nostris habeamus, vt neq; Poloni, Germani, aut alij quidquam nobis impedimenti sint structuri. Sed Deum testamur, id in nostram cogitationem nunquàm descendisse, tantùm abest vt exequutioni mandare decreuerimus; Vtinam saltem domicilium nostrum tutissimum nobis liceat esse refugium, vnà cum reliquis Regni Ordinibus; Neq; tantoperè M. V. ab infidis illis Consiliarijs se permitteret seduci, & omni innato amoris affectu, iure & iusticiâ, Iuramento, & Assecuratione postpositis, in nobis primò vim, & inimicitiam exordiretur, prout nunc, prô dolor, nimis factum, his sibi, & Regno, Subditisq; certissimam struens perniciem. Hæc M. V. pro temporis huius ratione fraternè, & amicè ignorare noluimus, expectantes à M. V. responsum optatum, per hunc nostrum Internuncium sine aliquâ morâ, & detentione.

tione. Commendamus M. V. diuinæ protectioni. Lincopiæ 27. Augusti, anno 1598.

CVm verò S. C. in pratum Memiaunm cum suo exercitu descendisset 30. Augusti, denuò Regi Sigismundo hoc pacto perscripsit.

POtentissime Rex, amice Domine frater, quanquàm aliquoties ante, & post M. V. reditum in hoc Regnū scripserimus, à M. V. fraternè, & amicè postulantes, quò M. V. illam indignationem, quam falsâ quorundam hominum relatione, præsertim infidelium Senatorum erga nos concepit, remitteret, veniretq; ad nos, aliosq; suos fideles Subditos, velut mitis, mansuetus, atq; fidus Rex: Nihilominùs tamen ad has diuersas nostras litteras, & petitiones, aut nullum prorsùs, aut certè, eiusmodi responsum accepimus, vt plùs inimicitiæ spiraret, & minarum, quàm fraterni amoris, & propensionis argumento reluceret: Siquidem verò inter cætera M. V. obijciat, nos pro dignitate M. V. non excepisse; Sicut etiàm in quibusdam suis litteris nobis promittat, se peregrinum militem quem in hoc Regnum secùm adduxerat, exautoraturā, cùm M. V. proprio suo, & interno milite, eâ quâ par est ratione fuerit potita. Quamobrem cùm M. V. tàm Calmariæ, quàm Stegeburgi probè satis cognouerit, nos nequaquàm decreuisse Arces,

quauis Ditione Regni huius, de nobis diuulgare curauerat, profectioni obuiàm M. V. institutæ, sumus coacti supersedere, impediente inprimis, & remorante sceleratâ Finnorum machinatione, suadenteq; de domesticâ pace, nos priùs assecurandos, quàm illud iter continuaremus vlteriùs, ni nos, Vxorem, & Liberos, prouincias, & populos ad extremum discrimen vellemus perducere; Deindè non exiguâ hominum frequentiâ stipati, nos iam itineri ad M. V. accinximus, Memiumq; nunc peruenimus.

Quamobrem M. V. fraternè, & amicè obsecramus, vt V. M. sui memor promissi, peregrinum militem ex Regno dimittat, & nos pro necessitate assecuret, quòd neq; nobis, aut vlli sectatorum nostrorum violentia, vel iniusticia irrogentur; Sed omnia dissensionis negotia, in liberis Comitijs, præsentibus candidis Arbitris, inquisitioni legitimæ, & discussioni propediem mandanda: Quo facto, nos inceptæ indulgebimus profectioni nostræ, & ad M. V. nos cum sectatoribus nostris conferemus, exhibituri M. V. humillima, fideliaq; nostra obsequia in omnibus rebus conuenientibus, & velut coràm Deo, hominibusq; respondere poterimus, vbicunq; M. V. placuerit, postulantes fraternè, & amicè, nè alia de nobis, & no-

stris Sectatoribus sibi persuadeat, quàm omnia bona, illudq; quod M. V. à fido Patruo, & obedientibus Subditis expectandum, dummodò nobis cum nostris asseclis, domicilij præsidio tutissimo, & iure, iusticiâq; frui licuerit; Neq; (sicut nunc inchoatum est, cum fideli nobis dilecto, nobili & generoso Comite Axelio, & nonnullis nostris Seruitoribus) vitæ, honoris, & bonorum dispendia inferantur. Ad hæc M. V. responsum exoptatum, per præsentium Latorem, sine morâ cognoscere cupimus. Hisce M. V. diuinæ protectioni commendamus. Ex prato Memiano 30 Augusti, anno 1598.

HIs verò litteris acceptis, responsum eiusmodi Rex Sigismundus ad litteras Illustrissimi Ducis Caroli, per quosdam Rusticos S. C. remisit.

NOs Sigismundus, Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, Illustrissimo Principi Carolo, fraternam nostram salutem, cum alijs quæ in nostrâ sunt potestate bonis, deferimus. Serenissime Princeps, & Patrue, ante biduum litteras V. D. accepimus per duos nostros Subditos de ordine Clericali, ex Diæcesi Vexionensi, quos, anteà illorum petitioni responso dato, ad Episcopum remisimus: Ex quibus litteris, sicut etiàm ex relatione quorundam rusticorum Ostrogothiæ cognouimus, V. D. de nostris litteris, perindè ac criminationibus, & minis plenissimis conqueri; Atq; deindè post prolixam excusationem (cur non velut Rex legitimus pro dignitate excepti sumus, nimirùm quòd Transactioni, cum nostro Legato Samuele Laski factæ non institerimus, & Finnones rebelles, prout nunc compellantur, impedimento fuerint, vt etiàm externus miles copiosus, qui nos comitatur; Deniq; ob vehementes minas, & accusationes, quouis Regni angulo de V. D. diuulgatas) illud V. D. summoperè

mopere vrget, quò peregrinum exautoremus militem, qui nos in Regnum comitatus est, & V. D. à violentiâ, & iniustitiâ plenè reddamus securam, deuoluentes omnia controuersiarum negotia, ad libera Comitia, in quibus à synceris Sequestribus legitimè examinentur, & decidantur. Hac obtentâ aßecuratione, parata V. D. cum suo comitatu ad nos sese protinùs conferre, in rebus conuenientibus sua fidelia obsequia, nobis exhibendo.

His verò super V. D. significamus, nos præteritis nostris litteris nihil aliud comprehendiße, quàm quod ratione, & veritate probare poßumus, quocunq; tandem nomine illud V. D. compellet, neq; vllas minas intentaße D. V; Verùm quòd pro dignitate hactenùs non simus excepti, non opus est vt tantoperè V. D. se excuset; Quandoquidem V. D. non fugeat, quàm seriò nauium expeditio in nostrum obsequium, & honorem sit maturata; Sicut neq; Transactio cum nostro Legato inita seruata est. Quòd autem V. D. scribat, Finnorum irruptiones in Ducatum V. D. meditatas, multùm impediuiße, non præterit nos secùs hanc caußam se habere: Nam vt illis solummodò à nobis fuerat demandatum, in faucibus Stocholmensibus nostrum aduentum præstolari; Ità nostram voluntatem præuaricari non sunt ausi: Sed si armis se accinxerint, fortè satis ampla illis ansa porrecta, velut ex illâ vehementi impreßione tùm temporis, & postmodùm à V. D. in illos factâ, non obscurè licet colligere. Proindè rebelles non sunt censendi, quamdiu legitimo suo Domino non aduersantur, neq; illegitimas, & intolerabiles attentauerint obtrudere conditiones: Sed secundum Iura Suetica, Regiam nostram Iurisdictionem, & authoritatem protegere voluerint.

Quantùm autem ad peregrinum attinet militem, de quo V. D. tantoperè solicitatur, nobis & nulli alteri est grauamini, quem tempore conuenienti dimittemus; Præcipuè vbi nostræ Ditiones, Subditi, Arces, exercitus, naues, tormenta, & alia quæ ad nos, Deo iudice, & toto mundo, iure spectant, fuerint nobis restituta. Verùm D. V. ex suo Ducatu, magnâ militum frequentiâ stipata, nobis obuiàm proceßit, ad exhauriendum nostros Subditos statiuis, exactionibus, & tributis, ità vt nostro peculio, in proprio nostro Regno constituti, frui nequeamus: Atq; ne nobis, & nostro Regio comitatui, in progreßu itineris quidpiam sit in promptu, de copijs militaribus nonnulli accepti, inuitati, &

 ti, & seducti sunt ad contrarias partes, vt quicquam extet, in quem culpa conferatur, vbi rusticorum substantia fuerit exhausta; Hæc ipsa veritas testatur, neq; vllâ ratione legitimâ reluctante. Quòd autem V. D. postulet à nobis, vt à violentiâ, & iniusticiâ assecuretur, atq; vniuersa discordiæ negotia, à sinceris & neutralibus Arbitris examinentur legitimè, ad ea aliquoties respondimus, nos (Deo laus) ad annos discretionis peruenisse, vt quid hac ex parte tenor Iuris municipalis admoneat, probè sciamus, cui adhærere, & vnumquemq; illius vigore, tàm V. D. cum suo comitatu, quàm alios Subditos protegere decreuimus: Atq; ità rebus constitutis, videtur nobis non licere domicilij præsidio tutissimo, prouentu Regni nostri, & alijs quæ Iura Suetica nostræ potestati submittunt, perfrui.

Quocircà V. D. sese conferat in suum Ducatum, ibi tranquillè commorans, illis omnibus nobis restitutis, quæ V. D. nobis eripuit; Sicut etiàm nostros fidos viros, subditos & seruitores, qui annis superioribus captiuati; Velut etiàm qui nuper bis diebus, fermè præ foribus nostris intercepti, & abducti sunt in vincula, pristinæ libertati restituat: Sed quantùm spectat ad vberiorem assecurationem, secundum Iura Christiana optimè constituta, vsitatum & conueniens est, etiàm inter æquales, vt qui aliquid iniustâ possessione detinet, illud inprimis restituat, legitimâ ei factâ assecuratione, super omni incusatione vlteriori. Similiter V. D. illi Gubernatoris Titulo supersedeat, quem illegitimè sine nostro consensu vsurpat, perpendens tàm rationi, quàm iustitiæ dissentaneum esse, imò inauditum, quòd Rege in legitimâ ætate constituto, fuerint in Regno Sueciæ Gubernatores simul cum illo: Speramus namq; nos, diuino freti auxilio, nostrum Regnum gubernare posse, & ex tutelâ excessisse; Ideoq; hominum cachinnis hoc nomine, & famæ diminutioni, illam sufferendo iniuriam, exponi nolumus. Hæc omnia cum V. D. fecerit, opera verbis consentanea iudicabimus, documentumq; V. D. datura non obscurum, quòd incipiat ea quærere, quæ ad dignam fidelitatem nobis exhibendam, & Patriæ nostræ emolumentum, prosperitatem, & pacem spectauerint; Hac ratione non solùm cuncta dissensionis negotia, ad legitimum examen deuenire; Sed etiàm finem consequi possint optatum. V. D. Deo commendamus. Stegeburgi 3. Septembris, anno 1598.

Mox.

MOx eiusmodi Responsum Illustrissimus Princeps Dnus Carolus, ad Regis Sigismundi litteras, 3. Septembris conscriptum, & destinatum dederat.

POtentissime Rex, amice Dne frater, aliquoties V. M. scripsimus, fraternè & amicè, fideliterq; ac diligenter obsecrantes, & admonentes, quò V. M. illius fidi obsequij velit esse memor, quod V. M. (diuæ memoriæ) Parenti, sicut & V. M. identidem exhibuimus, et adhuc exhibere non grauabimur; Neq; fidem habeat peruersorum hominum quorundam sermoni, & callidissimæ relationi de nobis factæ: Sed iustissimæ nostræ excusationi vicissim aliquem locum tribuens, omnem indignationem, atq; offensionem seponat, quæq; dissensionis, & grauaminis negotia occurrerint, legitimis medijs, atq; ab Arbitris synceris examinentur, et inspiciantur, decidanturq;, cum alijs omnibus in diuersis nostris litteris fusè propositis, & exaggeratis. Ad has verò litteras, cùm sperata non obtinuerimus responsa, sed de die in diem suspendamur, ità vt si nullum aliud foret argumentum, ex hoc liquidò cognoscere possemus, nobis nihil boni destinatum: Quandoquidem ea omnia attentauerimus, quæ nobis possibilia, & vnquàm excogitare potuimus, ad M. V. & Regni fælicitatem, pacem, atq; concordiam spectantia. Quamobrem

Frustrà Dux litem vtrinq;, examinari à iustis cupit arbitris.

mobrem alia circumspicere effugia compellimur, quibus domicilij præsidium fore tutissimum, & vitæ propriæ, Ditionibus, & populis, vxori & Liberis discrimen non inferendum assecuremur: Cùm vero M. V. ex corde semper fido dediti fuerimus, & M. V. prosperitatem pro viribus quæsiuerimus; Ideò Deum testamur, nos ægro animo ferre, quòd M. V. aliquo modo, pro votis non esset euenturum, optantes ex animo, vt Deus præpotens, M. V. diuturnam vitæ salutem, & fælix, quietumq; Regnum largiri dignaretur.

Quod cùm ità sit, consulimus, & admonemus quàm fidelissimè, & diligentissimè M. V. nè in campis compareat foris, prout paucis antè diebus factum cognouimus; Neq; quopiam per aquas sese conferat, sed in arce sese contineat, vt, quod Deus auertat, si aliquis tumultus inter vtrumq; exercitum oriretur, aut V. M. in classem naualem nunc appropinquantem incideret (cui diligentem in mari balthico omnium rerum curam demandauimus,) aliquid præter nostram voluntatem fortè fortunà accidat periculi: Nam si (quod Deus prohibeat,) V. M. aliquid infortunij contingeret (quod neq; consilio, aut auxilio machinaturi sumus; Sed quantùm per vires licuerit auersuri, & impedituri) vel V. M. militaribus copijs, et

nauibus

nauibus damnum aliquod inferretur, coram Deo, & toto mundo cupimus esse excusati, in nobis culpam non residere, cùm tempestiuè M. V. satis admonuerimus, eiusmodi infortunia prauenire cupientes, si nostrum consilium plùs ponderis, quàm prauorum hominum scelerata machinatio, & perniciosa voluntas obtinere potuißet. Hæc M. V. fraternè, & amicè significare decreuimus, diuinæ protectioni M. V. commendantes. Ex prato Memiano 3. Septembris, anno 1598.

DEindè cùm Serenißimus Dux Carolus, noctè propiùs Stegeburgum versus castra mouißet, has litteras per Iohannem, & Balthazarum tubicines, Regi Sigismundo destinauit.

SErenißime Rex, amice Domine frater, precamur M. V. fœlix, faustumq́; hoc diluculum, â diuinâ bonitate obnixè petentes, quò V. M. prosperum, & pacatum regimen largiri dignetur, in M. V. encomium, & Subditorum fidelium prosperitatem, emolumentumq́;. Deindè fraternè, & amicè M. V. significamus, prout V. M. probè cognitum, nos aliquoties litteris & internuncijs, atq́; per Electorios, Ducalesq́; Legatos postulâße, vt nos, aliosq́; viros honestos nobis adhærentes, de præsidio domicilij tutißimo, iure, & iusticiâ dignè aßecurare dignaretur: Siquidem abundè animaduertérimus,

Dux litteras assecurationis à S. R. postulat

 rimus, M. V. in hoc Regnum non aduenisse, vt nos Iure municipali gubernet; Sed potiùs verbere, & violentiâ, quod M. V. inter cætera satis illo argumento prodidit, natale solum externo, & interno exercitu molestando, & affligendo, nobisq; verbis, & litteris sine vllâ caussâ porrectâ, in quauis Regni Ditione, etiàm atq; etiàm incommoda struendo, & proscribendo, nostris seruitoribus captiuatis passim, & vinculis constrictis, quod nè in minimo quidem nos promeruisse, nobis conscij sumus. Quòd si autem quidpiam promeruissemus eiusmodi, inquisitio, & diiudicatio legitima exequutioni foret præmittenda; Neq; tantâ hostilitate, & vi omnia attentanda, prout nunc fieri, omnibus manifestum.

Quandoquidem etiàm nihil responsi obtinuerint nostræ litteræ, & nobis quotidiè clàm, atq; palàm mala quæq; irrogentur; Ideò propiùs aliquantulùm accessimus, & huc iam aduenimus, non eâ quidem intentione, vt hostile quidpiam contra M. V. aut minimum M. V. sectatorem attentemus, nisi violentia nobis priùs illata fuerit; Verùm exploraturi potiùs, an M.V. huiusmodi actionibus non velit supersedere, nobis & nostris sectatoribus jure, & justiciâ frui permittens, ac nos prædibus, alijsq; nostram, & comitũ

nostro-

nostrorum securitatem spectantibus assecurans, prout huius tempestatis conditio postulat. Quod si M. V. facere non detractauerit (quòd fraternè, & amicè petimus, & postulamus) parati, atq; prompti sumus, cum toto nostro comitatu, ad exhibendum M. V. consilia, & auxilia, obsequiaq; iustissima, prout nos, ratione consanguinitatis, & iuramenti nomine obligati, & obstricti sumus: Verùm si secùs factum fuerit, adductas copias militares disgregare, & arma deponere non decreuimus, priusquàm firmissimo tenore votis nostris fuerit satisfactum: Quod speramus nullo iure, aut ratione M. V. nobis prohibere posse; Et quidem eâ protestatione M. V. expectamus responsum optatum, vt nisi duarum horarum spacio illud obtinuerimus, & vtrinq; copiarum aliquis tumultus increbuerit, in M. V. & comitatus, Regniq;, ac populorum detrimentum aliquod spectans, coram Deo, & vniuerso orbe nos inculpatos esse protestamur, hisce M. V. Deo commendantes. Ex Castris 8 Septemb. anno 1598.

Quatriduo postmodùm interiecto, hanc assecurationem Rex Sigismundus S. C. destinauit, quâ Illustriss. Dux minimè fuerat contentus, aut pro legitimâ acceptare potuerat.

Nos Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, hisce patentibus notum facimus litteris, quòd cùm Illustrissimus Princeps Dux Carolus, rumores grandes diuulgauerit, nos externo milite stipatos, in Regni desolationem, & violentiam S. C. alijsq; illatum aducenisse,

 nisse, quo rumore multis de nostris Seruitoribus, & Subditis ad se pertraxerit, & indies ad eum confluunt, magnumq; terrorem illis de nobis conciliauerit, ac iniecerit. Itaq; licet plurimis anteà litteris nos declarauerimus, non bellandi caussa, sed velut Rex *legitimus, qui nullam rebellionem promeruit, neq; eiusmodi quid metuere potuit, pacificè in* Patriam *nostram, &* Regnum *hæreditarium, pro desiderio, & postulatione omnium, litteris varijs attestantibus hoc ipsum, aduenisse, quæ sanè nostra intentio illis satisfacere posset:* Nihilominus *tamen, vt noster syncerus, & iustissimus eò meliùs omnibus innotescat animus, & quòd nos internæ discordiæ, & ciuili sanguinis profusioni ansam præbere nolimus;* Ideò *si* Illustrissimus Dux Carolus *nobis extemplò, nostros* Seruitores, *milites,* Regnum, & Munitiones, *domos, & prædia, cum vniuersâ classe nauali, & alijs,* Reipub. *atq; nobis subductis rebus resignauerit; Similiter etiàm omnes captiuos nostros, & Subditorum nostrorum famulos, famulasq; restituerit, & dimiserit, copiasq; militares exautorauerit, atq; in suum* Ducatum *se contulerit, ibidem quietè, & tranquillè agens, donec ad iudicium citatus cum suis Sectatoribus, culpæ alicui obnoxijs, comparere paratus, atq; super his suam assecurationem deposuerit, deinceps nos promittemus, & assecurabimus, sicut etiàm harum vigore patentium litterarum promittimus, & assecuramus, nos peregrinum militem dimissuros, & neq; contra* S. C. *aut illius populum, & seruitores aliquam violentiam attentaturos: Sed quemlibet* Regni Succiæ *Legibus, rationi, & iusticiæ consentaneis frui permissuros; Atq; tàm* Nobiles, *quàm plebeios, nostris partibus adhærentes, à* S. C. *aliquo modo culpandos, in iudicio staturos.* Hæc *omnia pro Regiâ nostrâ fide, & veritate nos inuiolabiliter facturos, vberioris ergò testimonij, his* Regium *nostrum sigillum suppressimus, & propriâ manu subscripsimus.* Datum *in arce nostrâ Stegeburgensi, 12. Sept. anno 1598.*

POst *biduum verò* Illustrissimus Dux Carolus, *has litteras* Regi Sigismundo, *ex castris destinauit.*

Dux pacis vrget negotium apud R. S.



Otentissime Rex, amice Dne frater, M. V. fœlicem, faustumq; vesperum precamur, nihil addubitantes quin M. V. ex

V. ex Electorijs, & Ducalibus Legatis probè cognouerit, eas Transactiones, quæ inter M. V. & nos hactenùs intercesserunt, ità vt superuacaneum videatur, illa denuò nunc repetere: Sed M. V. duntaxat fideliter, & diligenter velut priùs admonitam habere, quò M. V. sibi benè prospiciat, neq; à prauis Consiliarijs ad infortuniū quodpiam se patiatur deduci. Quandoquidem non de pomis & pyris hic ludatur, verùm de M. V. & nostrá, Regniq;, & populorum salute; Cùmq; probè animaduertamus, quocunq; tandem pacto nos M. V. voluntati accommodemus, & nos offeramus paratos M. V. petitionem exequendi, dummodò M. V. Iuramento, & Assecurationi nobis inhærere, & domicilij præsidio tutissimo frui liceat: Tamen omnia in cassum cadere, ità vt dùm vnum concedimus, alterum protinùs postuletur, & nobis velut intolerabile proponatur: Quâ ratione de die in diem detinemur, ad nullum prorsùs terminum, & decisionem peruenientes, mala quæuis inaudiendo.

Quocircà quosdam fideles nostros viros, ad M. V. destinare decreuimus, M. V. adhuc mentem expiscaturi, an melior spes in propinquo non affulgeat, pro quibus Saluum conductum, & M. V. assecurationem postulamus, vt liberè, & sine

 incommodo ad M. V. sese conferre, atq; mandatis sibi negotijs, apud M. V. depositis, sine impedimento, & dolo malo, quocunq; tandem pacto excogitato, ad nos reuertere possint, commendantes hisce M. V. supernæ protectioni. Ex castris 14 Septemb. anno 1598.

NEq; Rex Sigismundus moratus his litteris acceptis, sed per eundem tubicinem S. C, sequenti tenore respondit.

NOs Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, Illustrissimo Duci Carolo salutem precamur. Serenissime Princeps, & Patrue, redditæ sunt nobis V. D. litteræ, in quibus nobis consulit, atq; admonet, vt salutis nostræ curam habeamus, perpendamusq; de Prouincijs, & populis hunc lusum institui, & non de pyris, & pomis; Ac licet nostræ voluntati sese V. D. quàm optimè accommodet, nihilq; aliud postulet, quàm domicilij præsidium; Tamen omnia frustrà attentare, vt cùm V. D. vnum concedit, nos protinus aliud intolerabilius petamus. Quocircà admiramur, cur V. D. eiusmodi scribere non vereatur, siquidem nullas conditiones nisi legitimas proposuerimus, & nobis concedendas, ius atq; fas est, quæ in eâ assecuratione, quam V. D. obtulimus, perspicuè exprimuntur: Verùm quòd V. D. multas conditiones, easq; diuersas proponat, quarũ maior pars intolerabilis, ex V. D. litteris liquidò demonstrari potest: Ideò quod V. D. ipsamet facit, nobis imputandum non foret innocentibus; Quòd autem nostra sit salus, Regnum, & populus de quo luditur, & non poma, pyraq; (vt litteræ D. V. loquuntur) illud probè experti sumus; Neq; vnquàm nobis persuadere potuissemus, quempiam nobis eam aciem oblaturum, quam nequaquàm promeruimus, aut caussam præbuimus, quod tamen Deo, & iusticiæ committimus examinandum. Deniq; quòd V. D. quosdam ad nos expedire cupiat, illud facilè patimur, & admittimus, hisce saluum conductum, & securitatem huc, atq; illuc cum octo personis promittentes. Hæc V. D, respondere decreuimus, Deo Opt. Max, V. D. commendando. Ex castro Stegeburgensi 14. Septemb. anno 1598.

His

His Illustrißimus Dux Carolus litteris inspectis, proximus Regi Sigismundo de Saluo conductu, pro suis viris bonis, quos ad S. M. fuerat missurus, exactiore obtinendo, hoc modo perscripsit.

POtentißime Rex, amice Dne frater, fraternam nostram salutem, cum alijs quæ in nostrâ potestate sunt bonis, V. M. deferimus. Quod ad primum attinet, M. V. ignorare nolumus, litteras M. V. ad nos perlatas, in quibus de illo saluo conductu, pro nostris viris bonis, quos ad M. V. expedire decreuimus, obtinendo tractabatur; Ideò M. V. singulares, & fraternas agimus gratias, quòd M. V. placuerit, vt liberum, tutumque habeant ad M. V. accessum: Verùm cùm litteræ M. V. clarè non expriment, quòd securè tàm ad nos iterùm, quàm illuc redituri sint, prout in nostris litteris postulauimus; Ideò nullo alio fundamento nixi, nostros illuc expedire non audemus viros; Sed petimus vt manifestè exprimant V. M. litteræ, quòd absque omni dolo malo, quomodocunque tandem ille excogitari posset, liberè atque tutè M. V. accessuri, & postmodùm ad nos redituri, significatum qualiter negotia apud M. V. sint expedita. Hoc vbi factum fuerit, extemplò viros nostros ad M. V. expediemus, super his M. V. responsum, per præsentium latorem expectantes. Diuino patrocinio M. V. commendamus.

Dux pro suis Commissarijs saluum postulat commeatum.

Rr 5

 damus. Ex castris nostris 14. Septembr, anno 1598.

His igitur litteris commotus Rex Sigismundus, hunc Saluum conductum Commissarijs S.C. destinauit.

Nos Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, notum facimus, quòd cùm Patruus noster Illustrissimus Dux Carolus, pro quibusdam suis viris, & seruitoribus, quos ad nos expediturus est, quorundam negotiorum vrgentium expediendorum gratia, saluum conductum, & securitatis litteras postulauerit, illius petitioni locum assignare decreuimus. Quocircà hisce patentibus litteris, pro Regio nostro verbo, promisso, atq; fide absolutè promittimus, & spondemus, Serenissimi Ducis Caroli bonis viris, & seruitoribus Octo numero, à. S. C. huc ad nos destinandis, Christianum, liberum, & securum commeatum, huc ad nos veniendi, & deinceps securè omninò, & tutè ad S. C. sine vllâ detentione redeundi. Ad vberiorem certitudinem, & assecurationem, huic saluo conductui propriâ manu subscripsimus, & Regium nostrum Sigillum supprimere curauimus. Datum, & exaratum in Regiâ nostrâ arce Stegeburgensi 15. Septembr, anno 1598.

Commissio proindè Serenissimi Ducis Caroli Commissarijs, ad Regem Sigismundum destinatis 15. Septembr, tradita, eiusmodi fuit.



Otentissime Rex, amice Domine frater, cùm hesterno die M. V. scripserimus, nos quosdam viros bonos ad M. V. expedire decreuisse, qui M. V. voluntatem, atq; sententiam porrò intelligerent, vbi M. V. illud non displicere cognosceremus, atq; pro nostris Legatis securitatis litteras consequeremur, illis sine impedimento liberum hoc fore, & â M. V. saluus conductus hodiè sit oblatus: Ideò ad M. V. nobis dilectos Nobiles, Generosos, & Illustres

Dux priuatam, pro suis Commissarijs à R. S. petit audientiam.

ſtres fideles noſtros viros, & conſiliarios, Dominum Mauricium Stenonis, comitem Rasburgenſem, & Baronem Gretznecenſem, Ludbertum Cauerum, & Johannem Erici ablegauimus, quibus nonnulla negotia commiſimus, M. V. noſtro, & Regni Ordinum, apud nos conſtitutorum nomine manifeſtanda, quæ M. V. & totius Regni plurimùm attingunt vtilitatem. Proindè fraternè, & amicè poſtulamus, quò M. V. eorum commiſſionem, omnibus remotis Arbitris, excipere dignetur, fidemq; ijs habeat, quæ M. V. pro tenore Inſtructionis ſuæ ſunt relaturi; Sicut etiam eiusmodi reſponſum ſuper his negotijs, cuiusmodi V. M. putauerit ſui, & totius Regni plurimùm intereſſe, impertiat: Nos viciſſim ſemper parati ſumus M. V. omnem fraternū amorem, & fidelia obſequia in omnibus ijs, quæ ad M. V. ſalutem ſpectare iudicauerimus, præſtandi ſecundum juramenti noſtri tenorem. Hiſce M. V. Deo commendamus. Ex caſtris noſtris 15. Septembris, anno 1598.

INſtructio autem ſeu informatio ſuper ijs rebus, quas Illuſtriſſimus Dux Carolus, & Ordines Regni apud S. C. conſtituti, fidelibus viris, & Conſiliarijs, Nobilibus, & Generoſis, Domino Mauricio Comiti Rasburgenſi, Ludberto Cauero, & Iohanni Erici apud Regem Sigismundum proponere demandauerunt, huius fuit tenoris.

INprimis R. M. fraternam, & amicam ſalutem, promptaq; obſequia S. C. ſicut etiàm Ordinum Regni humilem, & ſubmiſſam obedientiam, quantùm per facultates, & vires illorum licuerit, cum alijs huc ſpectan- Inſtructio Commiſſariorum Ducallum.

spectantibus, quæ præfati Dni Legati,*pro suâ discretione, factu ne*[illegible]*saria iudicauerint, deferent.* Deinde *significabunt, quòd licet* S. C. [illegible]*penumerò, partim per illos* Electorios, *&* Ducales Legatos, *qui* [illegible] *caußæ suam operam impenderunt;* Partim *etiàm per alios* Internun[illegible] *& litteras, atq; ad extremum per eam resolutionem, quam* S. C. [illegible] *præfatos* Legatos, *pro desiderio* R. M. *offerre curauit, sese obtul*[illegible] *ad exequendum* M. R. *voluntatem, in omnibus quæ* M. R. *postul*[illegible]*rit, &* S. C. *aliquâ ratione eßent poßibilia factu.* In *quo munere* [illegible]*lectorij, &* Ducales Legati, *omnem adhibuerant diligentiam, vt o*[illegible]*tus finis toti controuersiæ imponeretur, ità vt* S. C. *inprimis co*[illegible] Deo, *&* R. M. *alijsq; per orbem christianum* Monarchis; Sicut *et*[illegible] *apud quemlibet honestum virum, securè poterit respondere, quòd* S. [illegible] *illud duntaxat quæsiuerit, quod paci, tranquillitati, & concordiæ* [illegible]*uiret, vt nè quidquam porrò à* S. C. *desiderari, & postulari iure poß*[illegible]

Nihilominùs *tamen animaduertit* S. C. *quòd hæc omnia nul*[illegible] *fructum producant, aut spem, quòd hæc controuersia ad legitim*[illegible] Transactionem, *& vnitatem peruentura:* Quocircà *præfati* Do[illegible] Commißarij, S. C. *&* Statuum *nomine, fraternè, & amicè, sicut et*[illegible] *diligenter, humiliter, & submißè postulabunt, vt* R. M. Regni *hu*[illegible] *patriæ suæ dilectißimæ, hoc tempore miserrimam conditionem clem*[illegible]*ter perpendat, neq; porrò à quocunq; tandem, sese ad aliquid permo*[illegible] *patiatur, quod* R. M. *ipsimet,* S. C. *& toti* Regiæ *familiæ, velut eti*[illegible] *vniuerso* Regno *damnum, & perniciem procreare poßet.* Cùm *verò* [illegible] *resolutio, quam* S. C. *nuper ad instantiam* R. M. *non minùs christi*[illegible]*sit, quàm legitima, vt neq;* S. C. *aut* Regni Ordines *sciant, quid* [illegible] *pliùs sint facturi;* Ideò S. C. *adhuc velut anteà fraternè, & amicè,* [illegible]*cut quoq;* Regni Ordines *quàm diligentißimè, & humillimè postula*[illegible] *vt illâ* M. R. *sit contenta, eamq;* Aßecurationem, *quam* S. C. *&* St[illegible] Regni *fraternè, & submißè postulauerant, vltrò concedat:* Quod *ce*[illegible]*to certius sibi persuadent,* R. M. *propter diligentes, atq; humiles eo*-*rum preces, facturam:* Verùm *si (quod* Deus *auertat) hæc* S. C. *&* Regni Ordinum *fidelis, atq; sedula, humilisq; petitio, atq; admonitio nullum locum inuenerit, aut pondus iustum obtinuerit, indeq; aliqua di*-*scrimina profluxerint,* S. C. *&* Regni Status *coram* Deo, *& vniuerso orbe christiano, se cupiunt excusatos, quòd omnis culpæ sint expertes:*

Verùm

Verùm vt commemoratum est, ea quæsiuiße, quæ tranquillitati, paci, & concordiæ seruirent; Neq; porrò aliquid in hoc negotio facere potuiße: Atq; vt R. M. penitiùs inspiciat S. C. fraternam, & amicam voluntatem erga se, postulat S. C. modo velut anteà sæpiùs fraternè, amicè, & humillimè, vt S. C. securè in loco commodo, & M. R. conuenienti, pateat aditus ad colloquium R. M. legitimæ suæ excusationis deponendæ gratia apud R. M: Quod si fecerit, sperat S. C in veritate R. M. cogituram, quòd S. C. multa malignè sint imposita apud R. M. in quibus S. C. immunis sit prorsùs à culpâ.

Ad extremum, præfati Commißarij, nomine S. C. & Ordinum Regni, R. M. fraternè, & amicè, humiliterq; insinuabant, quòd S. C. pro suâ personâ, velut etiàm Statuum Regni quilibet per se, prompti & parati sint, ad exhibendum R. M. quidquid S. C. atq; illis poßibile fuerit, & in R. M. honorem, obsequium, & beneplacitum cedere iudicauerint, omninò secundum iuramentum fidelitatis suum, & Leges Sueciæ scriptas: Neq; de S. C. aut illis aliud R. M. resciet, quàm quòd R. M. & illius masculis Hæredibus in salutem, & commodum cedat; Imò pro M. R. eiusq; legitimis Hæredibus, nulli in eorum potestate posito parciturі; Vicißim persuadentes sibi vniuersi & singuli, quòd R. M. erga illos velut mansuetum, & mitem decet Regem, sese exhibitura, & declaratura sit. Datum vt suprà.

Litteræ Sigismundi Regis, ad Illustrißimum Ducem Carolum, in quibus desiderat R. M. vt duodecim de ordine Equestri, & sex de Militari conueniant viri, vtrinq; numero æquali, de stabili concordiâ ineundâ tractaturi.

Nos Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, Serenißimo Duci Carolo, Patruo nostro fraternam salutem, & quidquid præterea nostræ potestatis fuerit, deferimus. Illustrißime Princeps, & Patrue, intelleximus V. D. commißionem, Dno Mauritio Stenonis., Ludberto Cauero, & Iohanni Erici traditam, cui protinùs respondimus; Verùm cùm nobis suam reliquerint Instructionem, vt illi per litteras responderemus, breuitate temporis sumus heri vesperi impediti, quò minùs mox responderemus; Ideò V. D. hisce litteris responsum dare decreuerimus, à V. D. postulantes, quò duodecim de ordine Equestri, & sex de ordine Militari, tàm Equitum, quàm Peditum apud V. D. consti-

Duodecim viri committetur totius controuersiæ Decisio.

constitutorum conueniant, æquali numero vtrinq; in hac dissensione componendâ, capita & consilia collaturi, libenter optantes, vt V. D. etiàm Patriæ nostræ, & Regalium, Ducaliumq; personarum prosperitatem perpenderet, quemadmodùm V. D. ad hoc nos hortatur: Quod si factum fuerit, nihil ambigimus, quin omnes dissensionis ambages finem sint optatum consequuturæ. Hisce V. D. diuino patrocinio commendamus. Ex castro Stegeburgensi, 16. Septemb. anno 1598.

PRoindè hic Saluus conductus, S. C. Commissarijs extemplò à Rege Sigismundo datus, qui controuersiæ adhuc decidendæ gratia, fuerant à S. C. constituendi, & ad R. M. expediendi.

Assecurationis tessera Ducis data Commissarijs.

NOs Sigismundus Dei gratia Sueciæ, & Poloniæ Rex, notum facimus, quòd cùm consultum iudicauerimus, vt duodecim viri ex ordine Nobilitatis, & sex de Militaribus Copijs vtrinq;, de compositione dissensionis inter nos, & Serenissimum Ducem Carolum, Regni Sueciæ Principem hæreditarium, Ducem Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ obortæ, in aliquo propinquo, & commodo conueniant loco consultatum; Ideò nè S. C. Commissarij quidquam metuant à nobis, aut nostris Sectatoribus mali sibi inferendum, promittimus, & spondemus vigore præsentium nostrarum litterarum, pro Regio nostro verbo, promisso, atq; fide, quòd S. C. Legatis, quos in præfatâ Transactione nostris adiunxerit, nihil discriminis à nobis, aut vllo alio, nostro imperio subiecto, Indigenâ, aut Alienigenâ sit irrogandum: Sed securè, & liberè quæ in mandatis habuerint deponent, & transigent, deinceps cum suis assecIis, & famulis, sine impedimento, & remoratione ad S. C. Patruum nostrum sese conferent. Ad vberiorem certitudinem, & securitatem, hisce propriâ manu subscripsimus, & sigillum nostrum supressimus litteris. Datum ex castro Stegeburgensi, 16. Septembris, anno 1598.

ASsecuratio autem Regis Sigismundi Commissarijs, ab Illustrissimo Duce Carolo concessa, atq; tradita, hoc pacto sese habet.

Saluus conductus R. S. Commissarijs traditus.



Os Carolus, Princeps hæreditarius Regni Sueciæ, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, notum facimus, quòd

quòd cùm potentissimus Princeps, Dnus Sigismundus, Sueciæ & Poloniæ Rex, fraternè consenserit, & decreuerit quosdam suos bonos viros huc ad nos, super grauibus quibusdam Regni negotijs tractaturos, expedire: Quocircà nè à nobis, aut militi nostro quidquam discriminis, aut violentiæ metuant sibi inferendum, pro illis saluum conductũ, & securitatem S. M. postulauit, quam denegare noluimus; Sed hisce præsentibus, pro Ducali nostrâ fide, & promisso spopondimus; Sicut etiàm modò hisce promittimus, & spondemus, R. M. Commissarijs, qui super præfato litis negotio componendo, sex numero ad nos expedientur, christianum, & securum saluum conductum, liberumq; commeatum huc ad nos, iniuncta deponendi mandata, & postmodùm securè, & liberè ad R. M. redeundi facultatem, tàm illis, quàm eorum comitibus, tot personis, quot prædictum est, sine inpedimento, & detentione à nobis, aut nostro imperio subiectis, vel nobis nunc adhærentibus structâ. Ad maiorem euidentiam, & certitudinem, quòd inuiolabiliter hæc à nobis seruanda sint, huic saluo conductui propriâ manu subscripsimus, & sigillum nostrum supprimere curauimus. Ex nostris castris 16. Septembris, anno 1598.

Responsio R. S. ad commissionem Commissariorum.

DEinde Responsum Sigismundi Regis super ijs negotijs, quae Illustrissimus Dnus Carolus per suos Commissarios, Comitem Mauritium, Ludbertum Cauerum, Iohannem Erici, & Michaelem Olai, Regiae Maiestati exponi curauit, huiusmodi fuit.

IN primis quantùm ad salutis, promptorumq; obsequiorum annunciationem pertinet, ea R. M. pergrata sunt, praesertim si verbis facta responderint, & consenserint; Caeterùm quòd S. C. per diuersos Internuncios, & litteras, atq; etiàm Electoriorum, & Ducalium Legatorum diligentiam, se paratam obtulerit ea omnia exequendi, quae R. M. postulauerat, ità vt S. C. coram Deo, & omnibus hominibus velit esse excusata, se nullum pacis medium reliquisse intentatum, omnia tamen frustrà; Quocircà S. C. postulat, & admonet, vt R. M. suam, & Regni salutem perpendat, hacq; vltimâ resolutione, quae legitima est, & porrò fabricari nequit, sit contenta, eam communicans assecurationem vicissim, quam S. C. desiderat.

Ad haec R. M. eiusmodi responsum dedit, quòd licet R. M. non promeruisset, neq; sperasset se hoc pacto in Regno suo haereditario excipiendam, quà intolerabilibus conditionibus, quà alijs similibus propositis inconuenientibus; Attamen R. M. eâ assecuratione, partim erga S. C. partim erga alios S. C. sectatores vberiùs se resoluit, quàm à R. M. iure fuisset postulandum, ipsâ assecuratione attestante, et pacis, tranquillitatisq; amantibus abundè satisfaciente. Verùm quòd Serenissimus Princeps, omnibus Regis consenserit postulatis, longè secùs deprehenditur: Quoniam illa declaratio Legatis tradita, non omnium postulatorum Regiorum exequutionem astruit, atq; respicit; Sed intolerabiles quasdam conditiones, prout ipsa resolutio germanicis Legatis vltimò tradita, & R. M. oblata, testimonium perhibet.

Illâ etiàm admonitione, quam Dux ad Regem instituit, indiguerat potiùs S. C. cùm Rex suis copijs, & comitatu, nulli violentiam, aut iniusticiam irrogauerit, neq; aliud quàm suum proprium repetat, cùm Princeps interim militem cogat ex regijs subditis, & seruitoribus, in M. R. dedecus, atq; in regiâ Ditione militares stationes agat, exhauriat R. M. subditos, impediat, & absumat annuos Regis prouentus, tributa, & auxiliares exactiones Incolis imponat; Et quod magis est, ne pro pecunijs ad regia castra victualia deferantur, prohibeat, ab vno loco,

loco, in alium proficiſcatur; Et *tandem ante portam* Regiam *armato milite, & tormentis caſtrametetur*; R. M. *famulos, & ſubditos captiuet, velut in prædio* Rönenſi, *& alibi factum eſt, eorum bona, & ſupellectilem domeſticam, qui ad* R. M. *ſeſe contulerunt, diripere iubeat*; Hodie *etiàm titulo* Gubernatoris, *& authoritate utatur, licet* Rex *ipſemet in* Regno *conſtitutus, quod nunquàm anteà factum*; Ex *his ſanè non obſcura ſumitur coniectura, quisnam tumultui, & infortunio præbeat anſam?*

Idcircò R. M. *admonet, quò* S. C. *his, & ſimilibus ſuperſedeat, &* R. M. *cum pace, & tranquillitate ſuo proprio frui permittat, idipſum* S. C. *ſecundum traditæ aſſecurationis tenorem accidet, aliàs* R. M. *maiorem habet cauſſam proteſtandi, ſi tàm manifeſta iniuſticia* R. M. *irrogata, aliquod detrimentum procreauerit*: Nihilominùs *tamen* R. M. *expetit cognoſcere, quâ ratione hæc proteſtatio ſit* S. M. *intelligenda, aut quorsùm* S. C. *collimet, vt* R. M. *ſuam commoditatem vicisſim his accommodet.*

Quod *ſpectat ad illud colloquium, quod* S. C. *cum* R. M. *habere deſiderat, ab illo* R. M. *non eſt aliena*; Sed *cùm* S. C. *ſuper deſiderio, & pacificis* R. M. *poſtulatis, pro dignitate ſeſe reſoluerit, præfato colloquio* R. M. *præbebit conſenſum, in commodo loco, & tempore inſtituendo, ità vt neq; ex hac parte quidquam* R. M. *promptæ voluntati deſideretur.*

Ad *extremum, cùm multis verbis obſequio plenis fidelitas, & obedientia erga* R. M. *& illius* Hæredes *à* S. C. *deferantur, pergratum eſt* R. M. *& iucundum, ex animo optans effectum verbis reſpendere, vt hæc diſſenſionis negotia, eò citiùs, meliùs, & pacatiùs tranſigerentur*; Sua *quidem* Maieſtas *nullius incommodo inhiatura, ſed potiùs regiæ ſuæ clementiæ, & fauoris documenta clariſſima datura.* Itaq; R. M. *ſeriò admonet* S. C. *quò hæc negotia meliùs perpendens, à* R. M. *non poſtulet pacis media dedecore plena, & intolerabilia*; Neq; *concordiæ, & paci ſeruientia, ſed potiùs vberiorem diſſenſionis materiem ſubminiſtrantia, quam* Deus *clementer àuertat, &* R. M. *ex ſuâ parte libenter declinabit.*

Ducis Reſponſum Commiſſarijs datum.

R *Eſponſum verò Illuſtriſſimi* Dni *Caroli, moderni Regis noſtri, ad ea negotia, quæ* Rex Sigismundus *per* Nicolaum Nicolai, Mauritium Georgij, Regijs.

 Georgij, & Nicolaum Rask in castris ducalibus exponere curauit, hoc fuit modo contextum.

Refutat Dux obiecta Instructionis regiæ.

PRincipiò, quòd R. M. significet sibi eam salutationem, & alia officiosa, quæ S. C. pridie per quosdam suos bonos viros S. M. detulerat, sibi placuiße; Tamen cùm S. C. insuper exprobretur, verbis opera non esse consentanea: Ideò licet S. C. minùs neceßariam duxerit horum responsionem; Cùm S. C per suos bonos viros, in hoc negotio suam excusationem deposuerit, sperauerit q; S. C. nihil eiusmodi sibi attribuendum; Tamen R. M. in hoc excusatam habet: Siquidem S. C. probè nouit vnde verba hæc profluxerint. Verùm cùm non deceat honestum virum, hanc pileo suo aptare cristam, in hunc modum S. C. his respondet.

Illos nimirùm qui S. C. hæc exprobrant, & obijciunt, illâ calumniæ notâ pingendos, quousq; in veritate probauerint, S. C. verba factis dißentanea: Profectò S. C. verbis, atq; factis ea præstitura, tàm R. M. & cuiq; honesto viro, quæ honestum principem decet exhibere, vt verbis opera consentiant. Quantùm verò attinet ad eam declarationem, quam S. C. fecerat super R. M. postulatis, per Electorum, & Ducum Legatos, qui huic Transactioni sese interposuerant, expositis, in quâ declaratione R. M. intolerabilia media sibi proposita opinatur, prouocat S. C. ad ipsa Acta, certo certius sibi persuadens, secùs illa testatura, & S. C prorsùs excusatura: Præterea accusationes quæ in S. C. congeruntur, illas S. C. præterit sponte, quandoquidem huic foro non seruiant; Verùm vbi eò res deuenerit, vt de illis disputatio instituenda sit, ad illas S. C. ità responsura, vt quilibet vir honestus S. C. legitimas excusationes sit cogniturus.

Illa autem protestatio à S. C. facta, aliter interpretanda non est, quàm si illa pacis media, quæ hactenùs oblata sunt, & posthac proponi possunt, non fuerint acceptata, atq; si dißentionum ambages indè sumpserint originem (quod Deus auertat) coram Deo, & toto mundo S. C. cuperet eße excusata, quòd insons prorsùs sit; Illi autem sontes, qui radicem huius dißensionis dudùm plantarunt, & fouerunt.

Illam deindè obsequij, & fidelitatis oblationem, quâ S. C. Regi Sigismundo, & illius hæredibus sese obtulit, nunquàm violata est, neq; vnquàm

vnquàm S. C. violatura; Sed fideliter conseruatura, dummodò vicißim S. C. frui licuerit, quæ iure poßidet, & frui deberet.

Ad extremum, vt ex parte S. C. nulla deprehendatur culpa, quasi tolerabiles pacis, & concordiæ conditiones non admitteret, ideò libenter S. C. consentit, tot viros bonos ex ordine Equestri, & Militari designandos, quot R. M. postulauit, cum ijs quos R. M. nominatura esset conuenientes, omnia negotia fusiùs examinatura, & transactura, vbi S. C. intellexerit, quos R. M. ex suâ parte ad hoc Colloquium deputauerit, nihilq; priùs, & potiùs S. C. optat, quàm vt ipsamet ad Regium colloquium admittatur, sperans R. M. ità sese excusaturam, vt R. M. pergratum sit futurum.

Haec deniq; est Declaratio Illustrißimi Ducis Caroli, primâ vice per S. C. Commißarios, seu viros bonos facta, cui S. C. decreuit mordicùs adhærere.

Qvandoquidem Electorum, atq; Principum Legati, quos voluit S. C. vt subscriberent aßecurationi, quam S. C. à Rege Sigismundo postulat, iam disceßerint, ideò S. C. atramento, & papyro solummodò contenta eße nequit; Verùm loco pignoris illas domos, & arces postulat, quas anteà petijt S. C. præsertim Elsborgense, & Vastenense Castellum; in quibus S. C. non suos famulos, sed R. M. peculiares, iuramentoq; obligatos viros constituet, tamen cum S. C. & Regni Ordinibus concordes, & præfatarum Munitionum Castellani, vsq; ad Comitiorũ finem permanentes. Sin verò hoc denegatum fuerit, postulabitur vt S. C. classem Naualem, & armamentarium, quod in Castro Gripsholmensi conseruatur, retineat, donec optatum Comitia finem sortita fuerint; Quod si neq; boc concedatur, nauium potestas bellicarum solummodò efflagitanda; Illud quoq; si præscise R. M. denagauerit, illæ personæ in Prædes, atq; Vades petantur, quas S. C. anteà postulauerat ex Senatu, aut illorum tres, velut Ericus Sparre, Gustauus Baner, & Turo Bielke.

Extima, & absoluta Ducis declaratio.

Vltimo, vt R. M. probè intelligat, S. C. nihil aliud quærere, quàm quod ad pacem, & concordiam spectet, R. M. propriâ aßecuratione S. C. contenta erit, dummodò in illâ expreßè insinuetur, Regni Ordines obligatos eße debere, illi parti sese opponere, quæ vel minimum in horum præiudicium attentauerit. Præsentem verò aßecurationem 17.

Septem.

 Septembris S. C. postulauit à Rege Sigismundo, cui R. M. consensum præbere noluit, vt patet ex sequentibus litteris.

Rex sese tandem resoluit, non tamen pro rei necessitate.

NOs Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, notum facimus patentium harum vigore litterarum, quòd cùm dilectus Patruus noster Dnus Carolus, Regni Sueciæ Princeps hæreditarius, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, ideò formidet quòd in charißimam Patriam nostram, & Regnum hæreditarium peregrinum militem adduxerimus, atq; S. D. etiàm ex nostris quibusdam Diplomatibus, quæ superioribus temporibus in hoc Regno diuulgauimus, eam conceperit opinionem;quasi S. D. hostili animo persequi decreuißemus,aut quemquam Subditorum nostrorum in hoc Regno, inferioris,aut sublimioris conditionis: Itaq; licet diuersis antea litteris nostris, nos declarauerimus, quòd non bellandi caussa in hoc Regnum appulerimus, sed pacificè, & velut mitis, mansuetusq; Rex, quicquid turbarum in nostrâ absentiâ emerserat, iure & iusticiâ discernendi, pristinæq; conditioni restituendi, itâ vt nemo quocunq; tempore, iure de nobis conqueratur: Nihilominùs tamen vt Illustrißimus Princeps, atq; alij fideles nostri Subditi porrò synceram, & fidelem nostram mentem conspiciant, atq; intelligant,maioremq; securitatem,fidelitatemq; à nobis expectent,ergâ Serenißimum Ducem hoc pacto nos declarare volumus.

Quòd cùm Serenißimus Dux nobis promiserit, se omnem obedientiam legitimam, fraternam fidelitatem, & omne bonum nobis, & nostris Hæredibus exhibiturum; Ac in honorem nostrum, obsequium, & beneplacitum se scriptis obligauerit, quòd ad fideles manus, nostrum Regnum, arces, domos,& prædia cum omnibus huc spectantibus restituturum, quæ S. D. in nostrâ absentiâ gubernabat, & prospiciebat: Similiter claßem naualem, cum omnibus apparamentis, & supellectile nauticâ; Sicut etiàm cuncta alia ad nos, & Coronam Sueciæ spectantia, atq; nostros Subditos, famulos, & famulas, quocunq; nomine dictos, quos S. D. hactenùs in suis vinculis detinuit, libertati pristinæ velit restituere: Qui tamen tenebuntur in liberis Comitijs,iuri,& iudicio se sistere: Neq; minùs armatas copias exautorare, quas tàm ex nostris Subditis, quàm suis proprijs, propter caussas commemoratas, S. D. coëgit, quemq; domum suam repetere permittens: Dux quoq; Serenissimus in suum Ducatum sese conferat, ibidem quietè, & pacificè sese contineus,

continens, paratus cum suis Subditis, & famulis, ijs precipuè, quos iniuriæ nomine quispiam compellare poterit, in iudicio respondere, cùm in liberis Comitiorum *ferijs, omnes causæ, & controuersiæ, à legitimis, & synceris arbitris excipientur, & decidentur, prout* S.D. *propria aßecuratio, nobis hac super re data testatur.*

Itaq; nos vicißim promisimus, & aßecurauimus, velut etiàm nunc vigore harum patentium litterarum, & pro fide nostrâ Regiâ, *veritateq; promittimus, & aßecuramus, inprimis nos hoc* Regnum *nostrum hæreditarium, omninò secundum* Iuramenti *nostri, &* Aßecurationis *tenorem gubernaturos; Deindè nos extemplò militem nostrum peregrinum, qui nos comitatus est, hinc ex* Regno *expedituros; Neq; vllum externum militem, permißuros in* Regnum *à quopiam aduocari, nisi commoditas ità flagitaret, vt cùm* S. D. & Regni *Ordinum consensu fieri poßet; Deniq; nostris famulis iuramento fideliiatis nobis obligatis, quos officio cuipiam præfecerat* S. D. *in nostrâ absentiâ, pristinis conditionibus, cum omnibus bonis, & poßeßionibus illorum curæ commißis, frui sit integrum, donec in præfatis* Comitijs *legitimè examinetur, quænam contra illos habeamus grauamina.*

Insuper S. C. *famulos, sicut etiàm nostros proprios* Seruitores, *qui* S. C. *nomine, in* Regno, *aut extra* Regnum *detinentur, captiuitate soluemus, paratos in* Comitijs *se legitimo iudicio sistere.* Atq; *vt omnes eiusmodi causæ, quidpiam dißensionis præseferentes, quasq; alter alteri iure obijcere poßet, legaliter, & veraciter expediantur, ac decidantur, primâ occasione* Comitiorum *ferias publicabimus, ac conuocabimus intra spacium quadrimestre, in quibus capita vniuersa controuersiarum, coram legitimis arbitris, & ab* Electorum, & Ducum Legatis *ad hoc rogatis examinabuntur, & diiudicabuntur, vt nemo iure conqueratur:* Intereà *autem temporis promittimus, & spondemus, nos nemini, aut* S. C. *vel* Seruitoribus S. C. & Subditis, *vel etiàm alijs* S C. Sectatoribus *hactenùs, eminentioris, aut humilioris conditionis hominibus,* Comitibus, Baronibus, Nobilibus *aut ignobilibus, ordini* Clericali, Militari, Equitum Magistris, Centurionibus, Equitibus, & Peditibus, Ciuibus, & *promiscuæ plebi, aliquam violentiam, aut iniusticiam irrogaturos, vel irrogari permißuros;* Neq; *eorum nomine, quæ vnanimi consilio, & consensu approbata, decisa, & facta sunt, vnum alligatu-*

 ros, & iudicaturos, sed vt simul & vnanimiter illa defendant non recusaturos; Vt neq; idcircò, quòd S. D. adhæserint, quemquam eorum contempturos, aut persequuturos detrimento vitæ, bonorum, aut honoris; Sicut neq; impedimenta structuros, aut alteri id facere permißuros, S. C. seruitoribus, , aut certè alteri cuipiam, quem S. D. ad Regni Ditiones fortè expeditura, donec in commemoratis Comitijs vniuersa expediantur, & examinentur negotia: Nec postmodùm etiàm vllo pacto aliquas vlteriùs tricas moturos, quàm in Comitijs iustè., & legitimè pronunciatum fuerit. Hæc omnia quòd inculpabiliter, & sine dolo malo seruaturi simus, hisce propriâ manu subscripsimus, & nostrum sigillum suppreßimus litteris, ad vberiorem securitatem, & certitudinem: Si verò præter opinionem acciderit, vt alterutra pars, nos, vel Patruus noster ab hoc Pacto recedat, idq; (quod absit) in minimo violet, eo casu Regni Ordines parti violanti, resistendi ius, & potestatem habebunt. Ex castro Stegeburgensi 17. Septemb. anno 1598.

VErùm Serenißimus Dux Carolus, hac litterariâ aßecuratione non contentus, sequenti litterarum formâ ad Regem Sigismundum 19. Septemb. anno 1598. perscripsit.

Dux aliam petit assecurationis formam.



POtentißime Rex, V. M. fraternam, et amicam nostram salutem, cum alijs quæ nostræ facultatis sunt bonis, deferimus. Amice Domine frater, V. M. dubio procul, ex illis actionibus liquidò cognouit, quæ inter V. M. & nos aliquo tempore per litteras, & Internuncios intercesserunt, nos nihil priùs, & potiùs ducere, quàm vt interna pax, tranquillitas, concordia, & fraternus amor vndequaq; reflorescat, atq; vigeat, quod intricatum est, & perturbatum, secundum jura Suetica, cum discretione legitimâ, sine tumultu, & armis extricetur, atq;

compo-

componatur; Ac vt ex nostrâ parte nihil desideretur, huic negotio componendo accommodatum; Sed tàm V. M. quàm omnes alij toto terrarum orbe, nostrum pacis, & concordiæ amantem animum, ipso opere penitùs inspicerent, nos obtulimus ea omnia facere, & exequi velle, quæ V. M. à nobis postulauerat: Nihilominùs tamen animaduertimus, quocunq; tandem modo nos M. V. voluntati accommodamus, & tranquillitati, concordiæq; studemus; Tamen quotidiè magis, ac magis indignationem, & sinistram actionū interpretationem accrescere, peruersorum, & turbulentorum quorundam hominum machinatione, consilioq; Eorum præsertim, qui principium, & finis hujus tragædiæ extiterunt, ità vt dùm optatum finem controuersiæ speremus, plus tumultus, & dissensionis paulatim emergere experiamur.

Idcircò cùm probè cognoscamus, quòd quamdiu illi ipsi apud M. V. sint, & V. M. eorum consilijs vtatur, ad prosperum exitum nunquàm præsentem litigationem deducendam; Proindè fraternè, & amicè postulamus, atq; fideliter consulimus, ac admonemus, quò M. V. de omnibus negotjs melius adhuc deliberet, & infidæ illi, tumultuosæq; cohorti Consiliariorum quorundam prorsùs renunciet, quæ M. V. ad mala quæq;

instigat, ob proprium suum commodum, & peruersam caussam, sese conferat, aut ad Regni Metropolin, & arcem primariam Regni Stocholmiam, aut quocunq; M. V. visum fuerit; Nos M. V. non solùm assecurabimus, quòd M. V. nihil vllo pacto detrimenti, aut impedimenti inferetur, vel à nobis aliquid periculi inferendum sibi formidet; Sed insuper nos, & omnes nostri Sectatores obligati, & obstricti esse volumus, vigore firmissimo, quod M. V. eò libenter, & securè deducturi simus, quò aspirat, omnia fidelitatis obsequia, obedientiam, & promptitudinem prorsùs secundum Juramenti nostri tenorem exhibendo. Verùm cum alijs deinceps ità procedemus, prout dignum, & justum fuerit, quibus cum plùs patientiæ habuimus, propter M. V. personam, quàm aliâs decuerat, nè M. V. vnà cum illis aliquo discrimine obrueretur: Deum testamur, nos non libenter videre infortunium M. V. licet aliter de nobis diuulgatum, sed pro extremis nostris viribus parati semper inueniemur, ad auertendum eiusmodi mala à M. V. modò sibi ipsi prospicere M. V. velit, ità de nobis, velut de Patruo suo charissimo sibi persuadens.

Atq; si hos inquietos Consiliarios M. V. nullâ ratione ablegare à sese voluerit, sed omninò contra hanc

tra hanc noſtram fidelem admonitionem retinere decreuerit, conſulimus quàm fideliſſimè, & diligentiſſimè M.V. vt ſibi benè prouideat, nè vnà cum illis in diſcrimen aliquod ruat. Quippè ſi (quod Deus auertat) M.V. aliquid infortunij accideret, quod nos conſilio, aut auxilio nunquàm ſtructuri ſumus, coram Deo, & toto orbe chriſtiano excuſati volumus eſſe, nos in culpâ non eſſe, libenterq; ejusmodi infortunio prævenire voluiſſe, ſi conſilio noſtro locus potior fuiſſet aſſignatus, quàm prauorum hominum peruerſæ machinationi, & pernicioſæ voluntati. Hæc M.V. fraternè, & amicè ſignificare decreuimus, quibus ſuper quamprimùm M.V. optatū reſponſum præſtolamur, M.V. cæleſti patrocinio commendantes. Ex noſtris caſtris 19 Septembris, anno 1598.

PRidiè verò quàm Rex Sigismundus, Stegeburgo caſtra moueret Lincopiam verſus, has confœderationis litteras Duci Carolo deſtinauit.

His ſub conditionibus Rex inducias facere cupit.

NOs Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, notum facimus, quòd cùm inter nos, & Sereniſſimum Principem Ducem Carolum, ex diuerſâ occaſione, eiusmodi controuerſiarum ambages creuerint, cuiusmodi hoc tempore transigi, & componi nequeant; Sed iuri, & iudicio ſiſtendæ: Proindè aſſecuratio interim ex vtraq; parte poſtulata. Itaq; vt omnes videant, & cognoſcant nos ex noſtrâ parte, cauſſam internæ diſſenſioni, & ſanguinis profuſioni præbere nolle, idcircò ſi illuſtriſſimus Dux Carolus nobis extemplò reſtituerit, & libertati donauerit noſtros Seruitores, exercitum, regnum noſtrum, arces, domos, & prædia cum vniuerſâ claſſe nauali, & armamentarij ſupellectile, alijsq; ad nos, & Coronam Regni Sueciæ

 ſpectan-

spectantibus; Similiter nostros, & Subditorum nostrorum famulos, & famulas, ex captiuitate dimiserit, armorum tractationi supersederit, tàm cum nostris, quàm suis Subditis instituta, & ad proprium Ducatum sese contulerit, ibidem quietè sese continens, paratus cum suis famulis, culpæ alicui obnoxijs, & legitimè postmodùm citatis, in iudicio comparere, & respondere, atq; super his suam aßecurationem dederit.

Nos deinceps promittemus, & aßecurabimus, velut etiàm tenore præsentium promittimus, & aßecuramus nos peregrinum militem, Regiâ tamen nostrâ aulâ, & coborte vitam nostram custodiente exceptis) exautoraturos, & ablegaturos, neq; aduersus S. C. aut illius militem, vel subditos, vt neq; alijs nostris Seruitoribus, & Subditis, Nobilibus, aut ignobilibus, Ecclesiasticis vel Politicis, quicunq; tandem illi fuerint, vim quampiam illaturos: Sed secundum Iuramenti nostri tenorem, omnibus & singulis Iure Suetico frui, & quæcunq; recta ratio dictat, permißuros, hæcq; discordiæ negotia primâ occasione secundum Iura Suetica, à legitimis Arbitris decidenda curaturos; Nobiles quoq; & ignobiles huic nostræ parti adhærentes, quos Princeps, aut alij, alicuius nomine sibi compellandos putauerint, Iuri, & iudicio staturos, omnes S. C. famulos, qui propter hunc tumultum captiui detinentur, libertate donantes. Hæc quod inculpabiliter pro bonore nostro Regio, & veritate facturi, & seruaturi sumus, ac in harum euidentiùs testimonium his propriâ nostrâ manu subscripsimus litteris, & sigillum nostrum Regium appreßimus. Etsi præter expectationem nostram acciderit, vt antequàm hæc controuersia prædicto modo legitimè decisa fuerit, alterutra pars, nos, aut Princeps Illustrißimus, quidquid hìc approbatum, & confirmatum est violet, aut in contrarium aliquid agat, obligati erunt Regni Ordines, parti violanti resistere. Datum ex castro Stegeburgensi, 20 Septemb. anno 1598.

Neque moratus hisce litteris acceptis Illustrißimus Dux Carolus; Sed erga Regem Sigismundum vicißim sese resoluit, his propositis conditionibus induciarum.

Resolutio Serenißimi Ducis

Inprimis vt R. M. comitatu suo consueto stipata, Stocholmiam sese conferat, non frequentiori satellicio, quàm R. M. (diuæ memoriæ) Parens incedebat per Regnum.

Secun-

SEcundò, vt peregrinus ille miles à R. M. in Regnum deductus, quantocius hinc ex Regno ablegetur.

TErtiò, vt Regni Consiliarij sua prædia repetant, ibiq; quietè commorentur, vsq; ad Comitia, & in illis se iuri, & iudicio sistant.

QVartò, vt citra semestre spacium Comitia publicentur, & celebrentur.

QVintò, vt Electorum, & Principum Germaniæ Legati, pro eo tempore litteris aduocentur, negotia examinaturi dissensionis, & nominentur qui ex vtraq; parte sunt rogandi. Intereà temporis nihil tractetur, aut intra, aut extra Regnum, clàm aut palàm, alterutri parti in præiudicium; Sed vnusquisq; domicilij tutissimo præsidio fruatur, donec iuri, & iudicio sistatur.

SExtò, quilibet consueto fungatur munere, quod pro tempore obtinet, vsq; ad sollennitatem comitialem.

SEptimò, nihil in Regni negotijs, S. C. insciâ decidatur, aut tractetur, & prout necessitas moderna postulat, quamprimùm singula expediantur.

OCtauo, Finlandiæ miles armis instructus, in Sueonum oras se conferre prohibendus, sed quietè in illâ Prouinciâ, vsq; ad Comitia sese contineat, & in illis iuri, & iudicio se sistat; Interim perniciosæ illæ machinationes relegentur, & iura, iusticiaq; in illâ Ditione cuiq; administrentur.

NOnò, nulla antè peracta Comitia feuda distribuantur.

DEcimò, peregrinus miles ex Arcibus, & Munitionibus ablegetur, illaq; milite Suetico, præsidiario fideli muniantur.

VNdecimò, Lubecensium, & aliorum peregrinæ naues, quæ externum militem inuexerunt, arresto detineantur.

SVper his omnibus, Illustrissimus Princeps, R. M. assecurationem postulat, cum illâ extremâ clausulâ, præteritis litteris appositâ, vt si contra hæc delictum fuerit, Regni Ordinibus plena sit potestas, S. C. adhærere partibus; Vicissim sese offert S C. quòd velit eum, quem sub signis habet militem dimittere, in suum Ducatum sese conferens, ibidem pacificè, & quietè commorando.

Verùm

Verùm Rex Sigismundus hæc pacis conditiones contemnens, noćte intepestâ vt dictum est, profectus cum exercitu Lincopiam versus, hac Instructione illis traditâ, quorum curæ, ante profectionem regiam, fuerat arcis Stegeburgensis custodia demandata.

Informatio præsidiarijs Stegeburgi à R. S. positis, tradita.

INstructio deniq; quâ ratione Benedictus Georgij, Petrus Lilie, & Ericus Georgij, absente M. R. se in arce Stegeburgensi gerent, prout temporis huius commoditas postulat, data Stegeburgi 20. Septemb. anno 1598. erat eiusmodi.

PRimò, vt R. M. sint fideles consilio, & auxilio, quærentes emolumentum Regium omnimodè, prout eorum iuramentum, & obligatio postulat.

Secundò, si Illustrißimus Princeps Dux Carolus, caußam subitæ profectionis Regiæ quæsiuerit, responsuri sunt, quòd cùm R. M. probè perpenderit, tolerabilibus conditionibus has dißensionis scintillas supprimi non poße, sed indies intolerabiliores R. M. præscribi; Ideò R. M. tumultus, & cædis deuitandæ gratia seceßiße paulisper, præstolatura adhuc, an S. C. nondùm velit ad saniorem mentem redire, & pristinis machinationibus supersedere, quæ in Patriæ extremam perniciem vergere videntur.

VLtimò, si Illustrißimus Princeps his minimè contentus fuerit, sed vim arci, aut militi à R. M. in illâ relicto inferre perrexerit, præfatus Benedictus Georgij, Petrus Lilie, & Ericus Georgij, vim vi repellent, quantùm per vires licuerit, nullâ ratione vltrò Principem, aut illius militem in arcem admittentes.

SEd dilucescente die, & fugâ Regis Sigismundi ex Castello cognitâ, hoc Epistolium Illustrißimus Dux Carolus, post Regem Sigismundum Stegeburgo Lincopiam versus Castra mouentem, transmisit.

Dux litteris post R. S. missis, illum hortatur ad pacem ineundam.



Otentißime Rex, M. V. fraternam, & amicam salutem precamur. Amice Dne frater, quamuis non sperauerimus M. V. aliò profecturam, antequàm M. V. ijs exactè respondißet articulis, quos M. V. nuper destina-

destinauerimus; Nihilominùs tamen cognouimus, M. V. præproperè Stegeburgo profectam, et fortaßis à peruersis illis Consiliarijs, huius dißensionis vniuersæ authoribus impelletur, ut ex Regno discedat, aut alium quempiam locum petat, vbi prolixior tumultuandi campus sese offerat: Ideò M. V. fraternè inprimis, & amicè, atq; etiàm per acerbißimam Christi paßionem, & mortem admonitam volumus, nè M. V. sese eò vsq; permittat ab illis seduci, vt sese porrò conferat, antequàm M. V. meliùs negotium hoc examinauerit, & perpenderit, eoq; perduxerit, quò in M. V. et totius Patriæ emolumentum cedat: Velut Deum testamur, nos nihil aliud existimaße, aut postulaße, neq; postulamus, aut desideramus. Verùm si secùs factum fuerit, & M. V. in tàm subitâ, & insperatâ profectione quidpiam (quod Deus clementißimus auertat) mali vsu venerit, nos per animæ nostræ salutem, sicut etiàm coram Deo, & quibusuis eminentioris, humilioris q; conditionis hominibus protestabimur, nos esse insontes, quod V. M. cogitandū, et perpendendum relinquimus: Neq; M. V. putet ea, quæ secundum M. V. profectionem in nostram potestatem deuenerunt, siuè illa fuerint in Arce, siuè etiàm in nauibus, peritura, sed M. V. postmodùm restituenda. Quo

V v *pacto*

 pacto V. M. declarauimus, nos aliud nihil quàm quod optimum, & vtilissimum est V. M. meditari. Hisce M. V. Deo commendamus. Datum 22 Septemb. anno 1598.

R*Esponsum* Regis Sigismundi *ad litteras* S.C. *per quendam tubicinem, in parochiâ Rysta,* 23. Septemb. *ad castra* S. C. *delatum, hoc extitit.*

Temerarium R. S. responsum.

N*Os* Sigismundus *Dei gratiâ* Sueciæ, & Poloniæ Rex, *Illustrissimo Duci Carolo*, Patruo *nostro fraternam salutem*, & *alia nostræ potestatis bona lubenter deferimus. Serenissime Princeps*, & *Patrue, litteras* V. D. *accepimus, pristino tenore conscriptas, vt* V. D. *assecuremus, & insuper more solito minitantes, ideò mirum nobis videtur, quâ de caussâ* D. V. *iniquam suam caussam tamdiu velit mangonizare coram promiscuâ, & imperitâ multitudine, cùm* V. D. *probare aliud nequeat, quàm nos* V. D. *idoneam obtulisse assecurationem, quæ minimè acceptata : Sed dùm vni* V. D. *petitioni nos accommodamus, aliam* V. D. *instituit, & quidem longè diuersam, prout vltimæ conditiones à* V. D. *nobis destinatæ testantur; Quodq; magis est, ordinatâ, & instructâ acie nos insequitur, arce nostrâ Stegeburgensi occupatâ, & nauibus, alijsq; in suam potestatem redactis : Quæ* V. D. *nobis quidem ad fideles manus se postmodùm restituturam asserit; Tamen fideliùs in nostrâ asseruarentur dexterâ. Nihil proindè his respondere possumus aliud, nisi ut* V. D. *eâ sit contenta assecuratione, quam quantùm ratio, & dignitas patiuntur, concessimus; Sin minùs, ea faciat* V. D. *quæ intermittere nequit. Verùm quo encomio, omnibus honestis, & synceris rerum arbitris relinquitur examinandum, nobis vniuersum negotium Deo, & illius æquissimo iudicio discutiendum committentibus. Hæc* V. D. *respondere decreuimus, hisce præpotenti Deo* V. D. *commendantes. Datum* Lincopiæ 23. Septemb. *anno* 1598.

E*Xtemplò Serenissimus* Dux Carolus, *ad præfatas* Regis Sigismundi *litteras, sequenti epistolio, pridie pugnæ* Lincopensis *dato respondit.*

Ducis amica admonitio ad R. S.



Otentissime Rex, V. M. fraternam, & amicam salutem deferimus. Amice

Dne

Dne frater, M.V. litteras accepimus, ex illis aliud nihil cognoscentes, quàm quòd nostrâ apud M V. admonitio nihil effecerit, Atq; occupatæ arcis Stegeburgensis, nauium, & aliarum rerum sublatarum incusemur, quæ in V. M. custodiâ securiùs asseruata fuissent; Illa prætereà verba litteris inseruntur, vt nisi exiguam illam, & incertam assecurationem nobis oblatam acceptare velimus, faciamus ea quæ intermittere nequimus. Itaq; cùm aliud non sit effugium, aut auxilium, omnisq; admonitio in cassum cadat, peruersis Consiliarijs præualentibus, rem Deo committimus, coram quo protestamur, nos his turbis, & sanguinis profusionibus caussam præbuisse nunquàm: Proindè iam scire cupimus, vtrùm M.V. nos iuramento fidelitatis sibi facto velit absoluere, quo obtento, à nobis iniusticiam, & violentiam propulsare conabimur, illis huic negotio medijs adhibitis, quæ eiusmodi foro seruire consueuerunt: Sed si possibile est, M.V. per amorem Dei prorsùs obsecramus, quò apud animum suum hæc melius, & seriò perpendat, neq; vltrà quàm (prô dolor) omninò iam factum est, infortunium hoc tempore permittat, in V. M. & nostrum, Regniq; totius detrimentum serpere. Deniq; nè culpâ in nostro sinu inueniatur, adhuc M. V. exemplar quoddam exhibemus,

 qualem nos cum Sectatoribus nostris efflagitamus assecurationem, in quo apographo nihil iniustum speramus inuentum iri. Hisce V. M. Deo commendamus. Ex castris nostris 24. Septemb. anno 1589.

His nullum fructum reportantibus, post biduum has litteras Serenissimus Dux Carolus, ad Regem Sigismundum ex Castris transmisit.

Dux rogat vt S. R. vtrinq; assecurandi formam praescribat.



Otentissime Rex, salutem, & felicitatem M. V. sempiternam precamur. Amice Dne frater, quandoquidem ex illis dissensionibus, & litteris inter M. V, et nos hactenùs intercedentibus cognouerimus, M. V. illas conditiones, quas M. V. proposuimus acceptare nolle: Etsi eiusmodi illas esse speremus, vt iure M. V. de illis conqueri nequeat, neq; nos velimus, vt neq; conueniens est, aliquas alias conditiones M. V. praescribere, eam spem concipiendo, quòd M. V. ità nobis se resolutura sit, prout vtriq; parti honorabile, & tolerabile existimauerit. Quocircà postulamus vt M. V. eam assecurationem, quam nobis tradere decreuit, quamq; à nobis expetit conficiat, & transmittat, tùm nos porrò super hac re declarabimus animum nostrum, ità de eo negotio statuentes, vt abundè reddatur M. V. contenta. Hisce M. V. diuinae protectioni demandamus. Datum 26. Septemb. anno 1598.

Vix

Vix tandem Rex his litteris beneuolentißimis, alijsq; compulsus, hoc epistolium salui conductus, seu liberi commeatus illustrißimi Ducis Caroli Commißarijs designauit.

Nos Sigismundus Dei gratiâ Succiæ, et Poloniæ Rex, notum facimus, quòd cùm Illustrißimus Dux Carolus, Regni Succiæ Princeps hæreditarius, & Patruus noster postulauerit, atq; decreuerit quosdam viros bonos, ex Regni nobilitate ad nos transmittere, de quibusdam magni momenti negotijs, quæ ratio temporis huius vrgere videtur, nobiscum tractaturos: Ideo nè S. D. Commißarij ullo pacto nos, aut nostros sectatores formident, vigore præsentium litterarum promittimus, & spondemus pro verbo nostro Regio, nos, vel nostros sectatores, commemoratis S. D. bonis viris nihil detrimenti, & iniuriæ illaturos, sed liberè, & securè quæ in mandatis habuerunt deponent, & transigent, ac deinceps cum suo comitatu, & famulis sine impedimento, & remoratione ad Illustrißimum Principem remeabunt. Ad vberiorem certitudinem, atq; securitatem hisce propriâ manu subscripsimus, & sigillum Regium appreßimus litteris. Datum 27. Septembris, anno 1598.

Saluus conductus, Ducis à R. S. traditus Commissarijs.

Saluum vicißim conductum Illustrißimus Dux Carolus, Regis Sigismundi Commißarijs hoc tenore tradidit.

Nos Carolus Dei gratiâ Princeps hæreditarius, & Gubernator Regni Sueciæ, Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ Dux notum facimus, quòd cùm potentißimus Dominus Sigismundus, Sueciæ & Poloniæ Rex, Principem Eduardum Marchionem Badensem, dilectum nostrum nepotem ex sorore, cum alijs quibusdam viris bonis de nobilitate, huc ad nos expedire decreuerit, de quibusdam vrgentibus pro tempore negotijs nobiscũ tractaturum. Itaq; nè præfatus Illustrißimus Mar-

Liberum Dux Regijs tradit commeatum Legatis.

chio cum suo comitatu, à nobis, aut nostris Sectatoribus sibi aliquid periculi, ullo pacto struendum formidet, præsentium vigore litterarum promittimus, atque spondemus pro verbo, atque fide nostrâ ducali, commemorato Marchioni, eiusque comitibus nihil detrimenti, aut iniuriæ à nobis, aut nostrûm aliquo inferendum; Sed illis integrum fore, ijs quæ habent in mandato depositis, liberè & securè, sine ullâ remoratione ad V. M. redire: Securitatis autem, & certitudinis uberioris ergò, manu nostrâ his subscripsimus, & nostrum sigillum suppressimus litteris. Datum ex castris nostris circa Lincopiam positis, 28. Septemb. anno 1598.

EX his verò commemoratis hactenùs, quisque candidus rerum æstimator non difficulter iudicare poterit, an S. C. modernus Rex noster clementissimus, digna litterarum suarum responsa à R. M. consequutus sit; Quandoquidem S. C. nihil aliud eò tempore quæsiuerit suis litteris, quàm Regis Sigismundi, & Patriæ totius emolumentum; Atque si consilio, & admonitioni fidelissimæ S. C. obtemperare voluisset, opus non fuisset sibi postmodùm fugâ consulere, nemine illum persequente. Deindè si iusticiæ fuisset amans, Iure hæc mala præuenire potuisset, velut superiori commemoratum est Tractatu; Nimirùm cùm S. C. & nos illius Sectatores parati identidèm fuerimus, coram legitimis arbitris, ad ea respondere omnia, quæ Rex Sigismundus S. C. aut nobis se iure obijcere posse putabat.: Neque minùs ex litteris à S. C. ad Regem Sigismundum datis, liquidò colligi potest, eiusdem Illustrissimum Principem nobiscum adhuc fuisse propositi, cuius erat Stegeburgi erga Regem Sigismundum, per litteras, & oretenùs declarati frequentiùs; Cùm postulauerimus nè ullâ ratione S. C. aut nos fugeret, cùm secùs erga Regem Sigismundum non essemus affecti, quàm ratione iuramenti nostri tenebamur.

Licet

Licet amplißima nobis ansa fuerit porrecta sæpiùs, vt iure illi renunciare omnem fidelitatem, & obedientiam potuißemus; Quandoquidem ad nos velut fidus, & mansuetus Rex non acceßerit; Sed perindè ac persequutor, & osor, violentiam non iusticiam illaturus omnibus illis, qui impiæ ipsius subscribere nollent machinationi, & peruersam renuerent eius acceptare Religionem: Verùm cùm his consensum minimè cuperemus præbere, existimantes Regem Sigismundum ab hostili suâ molitione destiturum, remq; meliùs perpensurum, id nobis exhibuit, quod illi fuerat exhibendum, Illustrißimum Ducem Carolum, atq; nos S. C. Sectatores iuramento fidelitatis absoluens, vt si Regem Sigismundum peruerso suo proposito indulgere S. C. non pateretur, faceret S. C. quæ intermittere non poßet, prout contextus litterarum testatur paulò ante insertus. Quocireà iustam satis caußam habuit S. C. atq; nos contrà Regem Sigismundum, & illius exercitum Martem experiri, & fortunæ nostræ attendere, cùm manifestißimi hostis argumenta nobis sæpiùs præberet: Nihilominùs tamen factum non est, sed illa adhuc media tentauimus, quæ poßibilia, & idonea videbantur, permouendo S. M. ad id quod christianum, & æquum censuimus: Quâ de caußâ modernus Rex noster clementißimus, à R. S. nobiscum postulauit, vt duodecim vtrinq;, pacis amantes viri, prudentes, discreti, & idonei ex nobilitate, in ponte Stangebrogano conuenirent, omnem dißensionem, sinistram relationem, suspicionem, & discordiam examinaturi, atq; decisuri, omnemq; vicißim pacem, concordiam, & fraternum amorem restauraturi, ac confirmaturi, consentiente etiam in hanc pacificandi rationem Rege Sigismundo; Verùm hoc à S. M. ità conseruatum, & exequutioni mandatum, vt reliqua priùs, & velut Iesuitarum, Pontificiorumq; perantiqua est consuetudo, fidem & promißa seruandi.

Quippè subsequente nocte, Regius miles in castra ducalia irruptionem faciens, vigiles fugauit, quibusdam ex illis interfectis, nonnullis eorum captiuatis, antesignano Iohanne Veiero: Quidnam S.C. nobiscum iam exordiretur? Vniuersa pacis media, quæ S.C. et nos Regi Sigismundo proposuimus, ab illo illudebantur, iuramento fidelitatis S. M. præstito absoluebamur, verba, & promißa minimè seruabantur. Deindè fueratne S. C. tolerandum, quòd Regiæ copiæ, nullâ caußâ datâ, S. C. militem in conspectu cæderent, & mactarent? Quòd non solùm Lincopiæ,

sed

sed etiàm circa Stegeburgum factum est ; Proindè *vim vi repellentes, Christianam* Religionem *defendere, vitam nostram, priuilegia, & libertates, vxores, liberosq; protegere coacti sumus* ; Quod in *Lege diuinâ, & laudabilibus exemplis, quæ tàm sacra Scriptura, quàm prophanæ historiæ narrant, non solùm permissum est, verùm etiàm* Lex *Naturæ, & vniuersa Iuris volumina idipsum concedunt, velut secundo libro Machabæorum, capite 8. legitur, de Iudâ Machabæo nimirùm cum Machabeus sex millia populorum congregasset, admonuit plebem inermis, nè hostium multitudinem gentilium pertimesceret, à quâ contra ius, & iusticiam affligebatur, sed potiùs se viriliter defenderet, illa dedecora perpendens, quæ gentiles Sanctuario intulissent, & qualiter ciuitatem Hierosolymam dedecorassent, ac afflixissent, lege Mosaicâ profligatâ : Illi spem habent, inquit, in suis loricis, atq; scutis, fastu tumentes, sed nos in Deo omnipotente, qui in vno momento, non solùm eos, qui nunc contra nos veniunt, sed vniuersum mundum ad internecionem delere potest.* Hoc ipsum *prophanæ testantur, vt dictum est, historiæ, iura Naturæ, & omnium populorum consuetudo, quemlibet veram Religionem, & cultum diuinum, velut etiàm patriam, parentes, & consanguineos obligans protegere.*

Quamobrem *ad extremum, cùm* S. C. *probè cognosceret, se, suique Sectatores pace nullâ frui posse, eò descendere* S. C. *coacta, quò nunquàm decreuisset, dùm* S. C. *iustissimâ suâ caussa freta, armis populum suum, patriamq; vniuersam defendere cogebatur* : Ex *animo eundem proindè omnipotenti Deo agimus gratias, qui iustissimam causam nostram respiciens, diuino auxilio inuocatus nobis adfuit: Propter quod diuinæ Maiestati sit honor, atq; gloria sempiterna, cuius beneficio hostibus superiores euasimus, & victoriam de ys, qui* S. C. *& nos sine ullâ caussâ datâ persequi, & conculcare decreuerunt, reportauimus.* Hac *verò pugnâ vigente, cùm hostis probè animaduerteret, Martem nostris partibus fauere, tàm Sueci, quàm Poloni sub vexillis Regijs pugnantes, inclamare, atq; ingeminare occeperunt* : Pax, Pax, *quâ* Rex *cum suis Sectatoribus, &* Auxiliatoribus *frui potuisset, si pacis amans illam acceptare priùs voluisset; Verùm eo tempore sera nimis fuit pacis expectatio, cùm multa hominum millia cæsa iacuerant in campo vtrinque, quolibet interfecti Commilitonis vindictã repetere de hostibus cogitantes.*

Quan-

Quãtnquàm proindè S. C. & nos caußam habuißemus æquißimam, & oportunitatem commodißimam ea hosti exhibere, & remetiri, quæ nobis moliebatur: Tamen S. C. & nos huius vindictæ superſedimus, hostium precibus ad mansuetudinem, & misericordiam nos permoueri sustinentes, plùs illis gratiæ, & mansuetudinis, quàm promeruißent exhibendo.

Enimuerò S. C. atq; nos eo die occaſionem habuimus, & facultatem maximam, Regem Sigismundum cum vniuerſo exercitu ſuo penitùs delendi, ſi de Rege Sigismundo, pro meritis vindictam postulare voluißemus; Quod tamen prætermiſſum eſt, nobis, & Regno Sueciæ in detrimentum maximum, & infortunium. Quippè meliora à Rege Sigismundo ſperauimus, & deteriora conſequuti ſumus, ideoq; cum Polonis, & Lithuanis ad bella cruentißima gerenda delati ſumus, quã belli molem iam aliquot annis ſuſtinuimus, et adhuc incertum quandò finem hæc tragædia Sueopolonica conſequetur: Verùm ſi tùm temporis, vt dictum eſt, Regem Sigismundum, & illius complices prorſùs deleuißemus, fortè his belli diutinis tumultibus caruißemus, multiq; excellentes viri forent ſuperſtites, qui in bello poſtmodùm occubuerunt; Neq; tàm S. C. quàm etiam nos tot iniquis, & famoſis libellis, verbisq;, quæ de S. C. & nobis paßim diuulgantur, fuißemus lacerati; Quæ famoſa ſcripta morte ipsâ intolerabiliora ſunt; Ipſa tamen, diuino auxilio, bonâ conſcientiâ, & optimâ cauſâ freti, ore, manu ratione, & veritate nos refutaturos ſperamus: Quæ deinceps omnia indè profluxerunt, quòd Regem Sigismundum è manibus noſtris elabi permiſerimus, qui neq; ante, neq; poſt ſtetit, aut ſtat iuramento, litteris, & promißis, pro conſuetudine, & naturâ Pontificiorum contra eos agendi, qui falſam illorum Religionem, & hypocriticum Dei cultum acceptare nolunt.

Hac ratione Rex Sigismundus Patriam ſuam dilexit, pro quâ plurimi Monarchæ, Reges, Principes, infinitiq; Heroes & generoſi viri occumbere ſibi duxerunt perquàm glorioſum: Atq; vt vniuerſi magnanimi ſtrategi, Patriæ ſolum defendere ſtuduerunt, ità Rex Sigismundus èçontra illud perſequutus, prout ex ſequentibus patebit: Siquidem huic cruentæ pugnæ termino impoſito, pactus eſt Sigismundus Rex cum Illuſtrißimo Duce Carolo, Rege noſtro moderno, amicas inducias, in omnibus

bus omnis amicitia, fraterna fiducia, iuris & iusticiae administratio, inter S. C. & Regem Poloniae restaurata, confirmataq́, prout ipsa Transactio modo sequenti testatur.

ansactio ...ecopen-

NOs Sigismundus Dei gratiâ Sueciae, & Poloniae Rex, constare & notum esse volumus, posteaquàm per diuersas caussas, dissensione inter nos, & Illustrissimum Principem, patruum nostrum charissimum, Dominum Carolum, Regni Sueciae hæreditarium Principem, Sudermaniae, Nericiae, Varmelandiaeq́ Ducem exortâ, res (prô dolor) ad eum statum deducta sit, vt inter Incolas Regni Sueciae, ciuili contentione suscitatâ, ad arma deuentum sit duorumq́ exercituum parti alteri externus miles accesserit, opē tulerit. Et velut ex hac re manifeste apparet, nisi huic malo in tempore remedium inueniatur, eiq́ tempestiuè occurrendo in longitudinem consulatur, exitiale nos, Regnumq́ nostrum indè detrimentum accepturum. Quamobrem nullum praesentius huic malo remedium afferre potuimus, quàm vt sublatis dißidijs, controuersijsq́ compositis, & sopitis, inter nos, & eundem Patruum nostrum charißimum, fraternus, & syncerus amor, & concordia dißidijs interrupta restauretur, ac resarciatur; Idcircò inter nos, & eum quem diximus Patruum, lis eo quo sequitur modo composita est.

Principiò Patruus noster charißimus, & omnes ij qui hactenùs à partibus S. C. steterunt, sanctè, & religiosè nobis confirmarunt se nobis, hæredibusq́ successuris obsequium, reuerentiam, fidem, fraternumq́ amorem exhibituros esse, ex praescripto eius iuramenti, quod nobis praestiterunt, ipsiq́ sanguinis, & propinquitatis, obedientiae, & subiectionis iure nobis obstricti sunt; Ideoq́ nos vicißim sanctè, & interpositâ fide, & dignitate regiâ promittimus, & confirmamus, nos neq́ praesenti, neq́ postero tempore vindicaturos, vel vlturos ea quaecunq́ toto dißensionis tempore, quouis modo acciderunt, nec ob eam rem odio, & inclementiâ prosequuturos vel S. C. vel socios, quaeq́ ministri Ducis, mandato sui Principis gesserunt. Verùm eundem Illustrißimum Principem amore, & beneuolentiâ, aliosq́ omnes regiâ benignitate, & clementiâ amplectemur; Nec vllo vnquàm tempore in authores earum rerū, quae gestae sunt, animaduertemus, nec quemquam aliquâ penâ afficiemus; Nihil deniq́ per vim fraudemuê agemus, & moliemur, nec per nos, aliosuê clàm, palamué, intra vel extra Regnū machinari permittemus,

mus, quod Illustrißimo Principi, eiusq; Coniugi, Liberis, ministris, subditis, & socijs, nostrisuè subditis qui superiori tempore à partibus S. C. steterunt, cuiuscunq; dignitatis, ordinis, fortunæ, & conditionis hominibus, Ecclesiasticis siuè Politicis, Nobilibus, vel alijs detrimentum corporis, vel fortunæ creare, & afferre queat: Pro eâ etiàm, quâ valemus potestate regiâ, ministris, subditisq; nostris seriò, & sub graui pœnâ, vt idem faciant, præcipimus, & mandamus.

Profitemur, & promittimus etiàm nos gubernandi rationem ad Iurisiurandi Religionem, Cautionemq; regiam scripto comprehensam, & in Inauguratione præstitam, Legesq; Sueticas reuocaturos; Omnes etiàm controuersiæ, vsq; ad futura, & libera Comitia intra quatuor menses celebranda, prorogabuntur, quo tempore si vel nos, vel Patruus noster charißimus quemquam, vel subditi subditos conuenire, & in ius vocare velint, omnes illæ controuersiæ coram arbitris neutri parti addictis, vtpote Imperatoris, Regum, Electorum, & Principum Legatis, ad eam rem litteris amicis accersendis, decidantur, & componantur; Inprimis verò eæ controuersiæ tùm determinabuntur, quæ inter subditos Suecos aliter dirimi, & decidi nequeunt; Inter nos verò, Patruumq; nostrum charißimum, nullâ iuris, aliauè disceptatio vsurpetur, nec vt aliqua suscipiatur neceße est; Verùm controuersiæ inter vtrumq; exortæ, vt supra commemorauimus, per amnistian in perpetuum compositæ, & omninò sopitæ erunt. Quæcunq; etiàm ab omnibus communiter acta, conclusa, & decreta sunt, ad ea singuli separatim respondere non tenebuntur, sed communiter vniuersi de ijs rationem reddere admittentur. Quæ etiàm in Comitijs futuris decreta fuerint, rata & grata erunt, ijsq; vniuersos gaudere, & vti, fruiq; permissum erit, nec quisquam contra ea grauabitur, aut vllo detrimento afficietur.

Omnes etiàm captiui, alijq; vtriusq; partis, in ijsdem comitijs iuri, & iudicio se sistere tenebuntur. Quod ad peregrinum militem attinet, quem in Regnum transportari curauimus, vbicunq; fuerit, tàm eum quem penes nos habemus, quàm qui in propugnaculis, & Munitionibus est, continuò ex Regno dimittemus, exceptis consuetis nostris ministris aulicis, & quos corporis custodiæ causa, circa nos habemus satellites, tamen eorum numerum, quorum operâ superiori tempore in hoc Regno vsi sumus, non excedent. Præterea etiam Equitibus Sue-

 eis, equé atq; ac Peditibus, qui hactenus nobis militarunt, commeatum dabimus, usq; domum redire mandato nostro iniungetur: Idem etiam dilectus noster Patruus suos facere iubebit; Clementer quoq; consensimus & promisimus, vt si quos patruus noster, absentibus nobis, arcibus, & alijs præfecit, usq; ad futura Comitia ijs officijs perfungantur; Quinq; verò illi viri, qui Senatorio munere functi sunt, quos Patruus noster à nobis tradi sibi postulauit, in potestate eius usq; ad causæ decisionem permanebunt, necessario tamen victu prouiso, corporis fortunisuè eorum non noceatur.

Porrò clementer promisimus, nos hoc concordiæ pactum, nostro Diplomate in omnibus Regni prouincijs, et locis publicaturos, cui Diplomati etiam Patrui nostri dilecti excusationem adiungemus, quâ S. C. ijs criminibus leuabitur, quæ D. S quorundam calumnijs obiecta fuerunt, serioq; mandabimus, vt armis depositis, vniuersi & singuli pacem colant. Patrui etiam nostri ministris, & subditis ad negotia sui Principis, vt etiam propria expedienda in Regno vbiuis locorum liberum, & pacatum transitum concedimus, eâ tamen lege, vt pacifice se gerant, nec seditionis sint authores; Simili libertate, & securitate ministri, & subditi nostri, in S. D. Ducatu gaudeant, & fruantur. His verò omnibus, quæ modò commemorauimus, ad effectũ perductis, vbi in regiam nostram vrbem Stocholmiam fœliciter peruenerimus (quòd Deo benè iuuante, primo quoq; tempore cogitamus) Patruus noster dilectus, se nobis nostras arces, classem, tormenta bellica, quæq; nobis alia Regni Sueciæ nomine debentur, & S D fidei commissa fuerunt, eaq; hactenus possedit, & adhuc possidet, rursus in potestatem nostram traditurum, nobis confirmauit, quibus omnibus contra S. D. & in perniciem patriæ nullo modo abuti cogitamus Hæc omnia & singula firma, & rata fore, interpositâ fide, & authoritate regiâ promittimus, & pollicemur; Vtq; his litteris fides adsit, eas sigillo nostro, manusq; propriæ subscriptione confirmauimus Si deniq; præter opinionem accidat, vt alterutra pars, vel nos, vel Patruus noster ab hoc pacto recedat, idq; (quod absit) violet, eo casu Ordines Regni, parti violanti resistendi ius, & potestatem habebunt. Datum in arce nostrâ Lincopianâ 28. Septemb. anno 1598.

IN hac Rex Sigismundus Transactione sanctè promisit, se neq; moderno, aut etiam futuris temporibus, in malam partem interpretaturum,

rum, aut recordaturum eorum, quæ seditiosorum hominum consilio, & machinatione facta, sed penitùs obliuioni traditurum; Sicut etiàm nullam indignationem erga S. C. vel eorum aliquem, qui partibus S. C. pro tempore adhærebat, concepturum: Sed potiùs S. C. omnem amorem exhibiturum, omnes Regni Ordines regio fauore, & gratiâ complectens, & nunquàm in æternum clàm, palamuè quod commissum erat, exprobrans: similiter Rex Sigismundus se obligauerat, quòd Stocholmiam esset profecturus, ibidem citrà spacium semestre Comitia celebrando, in quibus vniuersa dissensionis capita, coram syncerts imperialibus, regalibus, electorijs Arbitris examinanda, & decidenda forent: Quas Transactiones amicas Rex Sigismundus, pro honore suo regio, inuiolabiliter se seruaturum spopondit, eâ conditione vt parti Inducias Lincopenses transgredienti vel in minimo quidem, huic Regni Ordines aliquam præstare obedientiam non tenerentur; Sed potestatem haberent, atq; ius, illi pro viribus resistendi, atq; persequendi, velut Transactionis contextus perspicuè testatur: De his proindè Inducijs inuiolabiliter seruandis, nemo vir prudens dubium vllum fouebat; Idcircò Dux Carolus Archithalassis, & nauium Capitaneis mandauerat, vt Regi Sigismundo naues, & tormenta resignarent, quibus pro dignitate, & honore regio, à Stegeburgensi castro deduceretur. Verùm quid accidit? Cùm Regni Sueciæ Ordines existimarent Regem suum in itinere esse Stocholmiam versus, vt cuiq; iustitiam administraret, atq; etiàm Comitia ibidem publicaret, vigore Transactionis Lincopensis; Tùm cognouerunt illum cum nauibus & tormentis, primò Calmariam profectum, & deindè in Poloniam, arce Calmariensi contra suum iuramentum, & Regni Ordinum voluntatem, peregrino milite munitâ.

Hoc pacto Rex Sigismundus, tertiâ vice ex Regno Sueciæ discessit, plurimis in illo turbis à sese, & suis Sectatoribus excitatis. Ex his igitur vnusquisq; qui æquam sententiam fateri voluerit, liquidò cognoscet, quâ ratione Rex Poloniæ erga nos sese gesserit, & quid nobis factu opus fuerit postmodùm: Quandoquidem non solùm ab eo derelicti fuerimus, sed grauissimam ab illo persequutionem sustinuerimus; Quid igitur pro tempore nobis faciendum fuerat? Illinè diutiùs auscultaremus, aut maligno suo proposito obedientiam præstaremus, qui nos derelinquebat, & persequebatur, imò prorsùs deperdere voluit?

Ad hoc profectò nullum ius nos alligare, & obligare deprehendetur: Siquidem quicquid Rex Sigismundus *diuersis temporibus regio suo Iuramento, litteris, & sigillis promiserat, atq; confirmauerat, nè in minimo quidem seruauit, aut exequutus est; Atq; vt cæteris stetit promissis, aliàs sæpenumerò factis, ità quoq;* Transactionem Lincopensem *seruauit. Itaq; cùm hac ratione* Rex Sigismundus *contra Inducias Lincopianas egerit, transgrediens quæcunq; in illis promisisset, vndè nos Regni Sueciæ ordines iuramento fidelitatis absoluebamur; Ideò rebellionem vlteriorem illi struere coacti sumus: Quandoquidem vigore pacti Lincopensis teneremur, partem delinquentem contra præfatas Inducias persequi; Potissimùm cùm præsidiarius miles externus, in arce Calmarianâ relictus à Sigismundo Rege, velut hostis manifestus in Regni perniciem sese gereret: Insuper* Rex Sigismundus *naues suas Elsburgum ex portu Dantiscano destinauarat, quas cum tormentis, & alijs munitionibus, ex hoc Regno dolosè consequutus erat, eâ quidem intentione, hac expeditione nauali factâ, vt arcem Elsburgensem Coronæ Sueticæ subduceret, quò si fortuna profectioni respondisset, commodiùs arma nobis cruenta inferre posset, & peruersam suam, impiamq; Religionem intrudere, præfato castro in peregrinorum manus, velut Calmaria, deueniente. Hoc modo* Rex Sigismundus *in nostrum, atq; patriæ maximum detrimentum, ruinamq; clauum Regni Sueciæ gubernauit.*

Proindè cùm illi minimè fidendum aduerteremus, neq; iuramentum, litteras, aut promissa seruantem, malignoq;, & hostili suo erga nos, & Patriam proposito indulgentem, ac vndequaq; nos prementem: non solùm publicis armis, & tumultibus, verùm etiàm occultis molitionibus: Velut etiàm quòd munitionem Calmariensem peregrinæ potestati traditam, milite præsidiario, commeatu, alijsq; rebus necessarijs quotidiè obfirmaret, nos armis denuò accinximus; Similiter Finnones quiescentes ad bellum suscitauit, qui litteris, alijsq; indicijs animum suum hostilem erga nostrum modernum Regem, atq; nos crudelissimè prodiderunt, quos grauissimè sese persequuturos inclamarunt: Vndè sanguinis miserabile profluuium emersit protinus, in quo plurimi Indigenarum perierunt; Quanquàm vero Rex Sigismundus *de subsidio submittendo spem frequenter illis fecisset, cui* Finnones *maximè confidebant; Tamen omni prorsùs auxilio illos destituebat; Proindè ad extremam*

tremam illos perniciem deduxit, eos inprimis instigans vt Transactioni Lincopensi, sicut etiam vniuerso Regno, ex quo ille profugerat, sese opponerent; Atq; deinde præter promißionem factam, suppetijs defraudauerat, ex Poloniâ vbi morabatur destinandis: In hoc autem infortunium, Rex Sigismundus Finnones pertraxit, operâ illius apostatæ Lindormij Bonde, qui Finlandis subdolè suadebat, ne ullâ ratione à Rege Sigismundo discederent, Regis ideò partibus adeò mordicùs adhærebant, vt admonitioni S. C. locum nullum darent, proposito suo pertinaciter adhærentes, consilioq; memorati Lindormij, & Olai Suerkeri, aliorumq; quibus in eâ prouinciâ Sigismundus Rex vtebatur, in perniciem extremam Finnorum. Quocircà præfatis Finlandiæ Incolis, contra regium Iuramentum, & Transactionem Lincopensem, aliasq; pactiones actitantibus, S. C. vnà nobiscum armatâ manu occurrere compellebatur.

Hoccinè regium facinus erat, in mutuam cædem subditos suos impellere? Cum omnium pernicie, plurimorum hominum morti caußam præbere? De subsidio spem facere, & tempore neceßitatis nulla subsidia ferre? Illi verò quorum operâ in in hac re Sigismundus Rex vsus esset, cùm machinationes suas ad effectum perduxissent optatum, subitò indè fugâ elapsi sunt, miserâ hominum multitudine sine consolatione, in apertißimo vitæ discrimine, atq; bonorum rapinis derelictâ; Hæc non solùm Finnonibus, verùm etiàm plurimis Suconum acciderunt, qui à Sigismundo Rege, & illius peruersis Consiliarijs persuasi sunt, vt iniquas Regis caußæ patrocinarentur, quibus etiàm eam gratitudinem vicißim exhibuit, vt sinè ullâ admonitione, multo minùs consolatione eos desereret in maximis periculis, si S. C. de illis promeritam sumere voluisset vindictam: Itanè legitimè cum subditis procesßit, dùm necessitas maximè postulauerat, qui spem in eo habuerant collocatam, sine auxilio deseruit? Sed redeamus ad ea, quæ post Transactionem Lincopensem acciderunt.

Hoc itaq; Diploma Rex Sigismundus ad Illustrißimum Ducem Carolum, de captiuis illis Consiliarijs, quod 30. Septembris, in regio prædio Konungzbro S. C oblatum, transmisit.

Nos Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, Illustrißimo Dno Carolo, Regni Sueciæ hæreditario Principi, Duci Sudermaniæ, De Consiliarijs ex captiuitate liberandis.

 niæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, chariſſimo Patruo noſtro fraternam ſalutem, & alia quæ noſtræ poteſtatis ſunt bona deferimus. Sereniſſime Princeps, Patrue dilecte, probè recordatur V. D. promiſſi, & pollicitationis, noſtris viris & Conſiliarijs, à V. D. captiuitate nunc detentis factæ, nullum videlicet illis vitæ, honoris, aut bonorum illatum iri diſpendium: Ideò cùm nos rogare curauerint præfati captiui, quò apud V. D. pro illis intercederemus, vt eorum conditio aliquantulùm liberior, atq; melior quàm hactenùs fuerat, efficiatur; Neq; vxores eorum à quopiam contumeliâ verborum afficiantur; Velut etiàm certo certius nobis perſuademus, ſi ità fieret, V. D. magnoperè diſpliciturum, potiſſimùm cùm illæ Matronæ, quà V. D. quà nobis ſanguinis propinquitate ſint coniunctæ. Quamobrem fraternè, & amicè poſtulamus, vt V. D. ſecundum ſuam promiſſionem, & ſermonem coràm inter nos habitum, ſuis velit prohibere ſeruitoribus, nè præfatos Senatores, aut illorum coniuges ſcommatibus, ac probris inceſſant; Atq; etiàm pro fraternâ hac noſtrâ interceſſione concedat, vt commemorati Conſiliarij meliorem nanciſcantur commoditatem, datiſq; vadibus, aut obligationibus litterarijs, in proprijs liceat illis commorari prædijs; Aut certè ad minimum ſimul, non ſeperatim, ſit illis integrum habitare; Neq; ad V. D. arces, & domos hinc indè miſſi diſtrahantur: Speramus omninò hanc noſtram interceſſionem, locum aliquem apud V. D. inuenturam, quod in ſimili negotio, alijſq; rebus fraterno amore, promptâ voluntate, omniq; bono compenſabimus, commendantes V. D. cum Coniuge chariſſimâ, liberiſq; diuinæ protectioni. Datum 30. Septembris, anno 1598.

Schedula. *Porrò dilecte Dne Patrue, memorem puto V. D. eorum victualium variorum, quæ V. D. ex ſuo Ducatu, Stegeburgum ſe transmiſſuram nobis promiſerat, vt eò citiùs peregrinum illum militem à nobis expedire poſſemus. Proindè fraternè, & amicè V. D. rogamus, quò diuulgatis mandatis illa huc curet deportari, nè diuturnior his victualibus ad nos tranſmittendis nectatur mora: Quæcunq; autem cibaria ex Ducatu V. D. aportata fuerint, paratâ mox pecuniâ perſoluemus. Datum vt in litteris.*

Reſpon-

Responsum verò Illustrißimi Ducis Caroli, ad litteras præfatas Regis Sigismundi, 30 Septemb. anno 1598. datum, eiusmodi fuerat.

Potentißime Rex V. M. fraternam salutem precando, cætera quæ in nostrâ potestate sunt bona deferimus. Amice Domine frater, fraternas M. V. litteras, fraternè, & amicè accepimus, in quibus M. V. postulat, vt illi qui in collegio Senatorum fuerunt, & nostris vinculis constricti tenentur, tolerabiliorem adipiscantur commoditatem, quàm hactenùs habuerunt, cum alijs pluribus quæ V. M. eorum, & Coniugum nomine à nobus fraternè postulat. Ad quæ V. M. fraternè, & amicè respondemus, nos M. V. fraternæ petitioni responsuros, & quantùm nobis factu poßibile illam exequuturos, ità vt præfati Magnates pro dignitate sustententur, neq; vllum vitæ, aut bonorum discrimen patiantur; Verùm in prædijs eos commorari proprijs, nullâ ratione concedere poßumus: Siquidem tàm militares copiæ, quàm promiscua populi multitudo, quæ apud nos fuerat constituta, vt idipsum non fieret postulauerit; Vt neq; Regni Ordines hac re contenti sint futuri: Imò etiamsi hoc permitteremus, persuadere tamen nobis non poßemus, quemquam eorum Consiliariorum cum Coniugibus, & liberis, in prædijs satis securum fore:

Dux captos Senatores vinculis soluere tutum non esse probat.

 Etenim

Etenim nisi paucis his diebus, postquàm in potestatem nostram peruenerunt, tàm seuerè prohibuissemus, nè quidquam illis discriminis inferretur, iam omninò irruptione in illos factâ, fuissent interempti. Quâ de caussâ fraternè confidimus, M. V. nos in hac re excusatos habituram, sicut etiàm amicè flagitamus, nè M. V. illos inposterùm pro suis fidelibus viris, & consiliarijs ducat, atq; compellet; Siquidem ipso opere longè secùs sese exhibuerunt; Quandoquidem M. V. non solùm ad tantas impensas adduxerunt, in peregrinum illum militem factas; Verùm etiàm huic sanguinis profusioni cruentissimè iam peracta, caussam præbuerunt maximam, præter alia huic Regno incommoda ab illis illata: Qui etiàm hesterno die expressè dixerunt, sese meliorem fuisse promeritos, & consequutos mercedem, si ità fideliter seruiuissent nobis, sicut M. V. (Deus tamen nos custodiat à talibus seruitoribus) quàm modò sunt adepti; Vndè non obscurè colligere licet, quàm syncero animo cum M. V. processerint. Quantùm verò attinet ad illa victualia, quæ M. V. ex nostro Ducatu promisimus, pro militis expeditione externi, binas iam litteras ad nostros officiales dedimus, mandantes vt seriò illa victualia curarent, ideoq; nostrum Camerarium Nycopiam destinaui-

stinauimus, vt illa Stegeburgum quantocius perducta, distrahat pro solutione, quam V. M. pro ijs obtulit: Hac ratione quamprimum victualia ad M. V. deferentur. Atq; hac M. V. fraternè, & amicè respondere decreuimus, parati semper fraterna obsequia M. V. præstare, nunc diuino M. V. patrocinio commendantes. Datum 30. Septembris, anno 1598.

HAs autem litteras Regis Sigismundi accepit Illustrißimus Dux Carolus Örebrogiæ 4 Octobris, Lincopiæ scriptas, atq; de rerum quarundam restitutione datas.

NOs Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, Illustrißimo Dno Carolo, Regni Sueciæ Principi hæreditario. Duci Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, charißimo Patruo nostro fraternam salutem, cæteraq; bona in nostrâ potestate collocata deferimus. Serenißime Princeps, dilecte Dne Patrue, cognouimus inter cætera ex nostro Cubiculario Caspare Tisenhusen, V. D. illam habere Obligationem, seu Aßecurationem apud se, quam Ordines Regni Poloniæ nobis dederunt; atq; cùm illa ad manus V. D. peruenerit, factum etiàm aliter eße non potest, quin ea etiàm, quæ vnâ custodiâ cum Obligatione illâ continebantur, à famulis V. D. sint mota, & fortaßis ablata, distractaq; Itaq; cùm illa Aßecuratio, cæteraq; illi adiuncta, nos solùm & alium neminem iure attingant; Ideò V. D. fraternè rogamus, quò commemoratam Obligationem Polonorum, nobis primò quoq; tempore curet restituendam; Velut etiàm vt V. D. seriò vrgeat suos famulos ad restitutionem reliquarum rerum, Aßecurationi illi adiunctarum, quarum nomina scire nequimus, priusquàm residuarum catalogus conscriptus, & lustratus fuerit. Commendamus hisce V. D. vnâ cum Coniuge dilectißimâ, Liberisq; diuinæ tutelæ. Datum ex Aulâ regiâ Lincopiæ, 1. Octobris, anno 1598.

Rex sibi res quasdam restitui poscit.

LIteræ deinceps Serenißimi Ducis Caroli, ad Regem Sigismundum per Ottonem Mörner, 4 Octobris, anno 1598. sequentes fuerant expeditæ.

 Poten-

Dux turbulentos officijs exui, & quos ad comitia Rex rogaturus cupit scire.



Otentißime Rex, V. M. fraternam salutem precamur, quæcunq; in nostrâ potestate sunt bona deferentes. Amice Dne frater V. M. fraternè, & amicè significamus, quòd cùm Claudius Bielke Stocholmensis Castellanus à M. V. constitutus, æquè caußam huic tumultui, qui, prô dolor, in hoc Regno viget præbuerit, ac reliqui illius complices, nunc captiuitate détenti, & proindè illo officio exuendus, donec ijs in judicio responderit, quæ illi legitimè poterunt obiectari: Quocircà M. V. fraternè rogamus, vt eum officio publico remoueat, altero M. V. & Regno vtiliori viro substituto; Sicut neq; patiatur V. M. quòd Samuel Laski, pro arbitrio Stocholmiæ imperium teneat, velut hactenùs factum est, cùm illud M. V. Iuramento, & Assecurationi repugnet, atq; aliâs vniuersô Regno probro vertatur, si diutiùs hac potestate fuerit vsus: Prætereà in eadem Ciuitate sunt nonnulli, qui verborum contumelijs nos affecerunt, velut Iohannes Bilefeldius, atq; quidam Consulum, alijq; plures quibus M. V. pristinis officijs fungi non permissuram speramus, quousq; illa prorsùs legitimè examinata fuerint, quæ ijs obijcere iure poterimus. Cæterùm quandoquidem dubio procul, nonnullos adhuc inuenire liceat, qui pro veteri consue-

consuetudine inter M. V. & nos mala quæq; disseminare non vereantur; Ideò fraternè obsecramus, nè M. V. subdolis, & peruersis illorum consilijs locum tribuat; Sed fraternè sibi de nobis persuadeat, quòd M. V. Liberosq; charissimos dignâ obedientiâ, & obsequio, fraterno amore, & bonis consilijs, omninò pro tenore juramenti nostri, M. V. facti, & sanguinis propinquo nexu, quibus M. V. sumus obligati, semper prosequemur, ità vt in M. V. honorem, beneplacitum, atq; emolumentum, cedat studium nostrum vniuersum.

Deindè cùm in eâ Assecuratione nobis à M. V. traditâ habeatur, quòd citra quadrimestre spacium sit Comitiorum celebratio instituenda, in quibus quicquid M. V. aut nos quibusdam legitimè obijcere poterimus, aut alij adinuicem, corã synceris arbitris, à Cæsarijs, Regijs, Electorialibus & Ducalibus Legatis, ad hoc vtrinq; rogatis, expediendum, atq; decidendum; Potissimùm tamen ea negotia, quæ inter viros Sueticæ nationis aliter expediri, et componi nequeant: Itaq; cùm libenter cognosceremus, quos, & quot M. V. huc in Regnum inuitare, & ex suâ parte constituere decreuerit, ideò fraternè, & amicè petimus, quò M. V. tempestiuè aliquid de hoc disponat, nobisq; si-

 gnificet,

gnificet, cùm iter longum, & temporis magnæ sint angustiæ; Nos vicißim M. V. protinùs significaturi sumus, quos ad hoc rogare decreuerimus, quamprimùm efficientes, vt ij, quibus ex nostrâ parte vti volumus, sine morâ, primo quoq; tempore inuitentur.

Deniq; quanquàm non dubitamus, quin M. V. pro Regiâ suâ pollicitatione, eum peregrinum militem, quem secùm in Regnum deduxit, sit expeditura; Tamen si necdùm factum est, M. V. fraternè, & amicè rogamus, vt præfatum militem, tàm Stocholmiæ, quàm apud M. V. commorantem, primâ occasione, & tempore, ex Regno dimittat; Quandoquidem si diutiùs in Regno detineatur, magna annonæ caritas indè consurrectura, quæ iàm paulatim emicat; Siquidem Regnum ex hoc tumultu militari, magnam traxerit perniciem, & præcipuè in Ostrogothiâ; In Vplandiâ verò ità Equites grassati sunt Vplandenses, vt Subditi nullas ipsis persoluant grates, & vix ab hoste deteriùs tractari potuerint: Nam quidquid miles absumere nequiuit, equorum pedibus substratum est, & conculcatum, ità vt Dei munera, quæ in agris constituta, à quibusdàm nebulonibus sint etiàm absumpta; Vndè maxima annonæ caritas, aliaq; mala deriuabuntur, quæ Deus clementer

menter

menter auertat. Hæc M.V. fraternè, et amicè insinuanda duximus, expectantes super his M. V. optatum responsum per latorem præsentium, M. V. diuino præsidio commendantes. Datum Orebrogiæ vt supra.

Porrò M.V. fraternè, & amicè significamus, quòd cùm Georgius Claudij, Olaus Hard, Iuarus Christierni, Andreas Suenonis, & Nicolaus Georgij, quibus in absentiâ M.V. & nomine M.V. officia quædam demandauimus, in vinculis V. M. detineantur, quæ illos promeruisse, minimè nobis persuadere possumus; Quandoquidem Munitiones Regni ad fideles M.V. manus conseruauerint, portasq; M V. aduentanti recluserint, prout illis à nobis fuerat demandatum; Insuper parati erunt reddere M.V. rationem minimi etiàm obuli, quem in potestate habuerant: Proindè confidimus, velut etiàm fraternè, & amicè postulamus, vt M. V. pristinæ libertati illos restituere dignetur: Deindè ex litteris M.V. cognouimus, quòd relatione sui Cubicularij Casparis Tisenhusen, qui paucis ante diebus, apud nos in prædio Konungsbro fuit, perceperit; nos eam Obligationem habere, quâ Regni Poloniæ Ordines M.V. se obligarunt, et præfatæ Obligationi quædam alia adiuncta putet, quæ M.V. veretur, nè à famulis nostris

sint

sint commota, & fortè auecta, & direpta: Proindè M.V. respondemus, quòd quicquid ad M.V. spectat, & in manus famulorum nostrorũ deuenerat, sub vita periculo adeundo, illis demandauimus, nè minimùm dißipetur, sed M.V. restituatur; Sed quantùm ad Obligationem spectat, quamprimùm Stocholmiam peruenerimus, illam M.V. offeremus.

Similiter promisit M.V. in eâ Transactione, inter M.V. et nos factâ, se in quibuslibet Regni Ditionibus, publicis Mandatis sparsis, innocentiam nostram, aduersus plurimas criminationes de nobis, nullo nostro merito diuulgatas, vniuersis Indigenis insinuaturam; Ideò fraternè, & amicè rogamus, vt si nec dùm id factum sit, quamprimùm M.V. ad effectum perducere dignetur.

L*itteræ autem Regis Sigismundi sequentes, Illustrißimo Duci Carolo per Nicolaum Rask 6 Octobris, anno 1598. porrectæ.*

Rex naues pro transportatione militis, à Duce poscit

N*Os Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, Illustrißimo Dno Carolo, Regni Sueciæ hereditario Principi, Sudermaniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ Duci, Patruo nostro charißimo fraternam salutem precamur, reliqua quæ in nostrâ potestate sunt bona promptè deferentes. Serenißime Princeps, dilecte Domine Patrue, postquàm Sudercopiam peruenimus, nostros certos Nuncios apud classem naualem habuimus, de peregrinis nauibus adhuc remanentibus inquirere curantes, quas tot non esse cognouimus, quot peregrini militis transportatio in exteras oras requirit: Itaq; vt præfatus miles tàm Eques, quàm Pedes, primo quoq; tempore, secundum tenorem Transactionis, ex Regno transmittatur, fraternè, & amicè V. D. rogamus, quò pro suâ pollicitatione, suis Architalaßis, & nauium Capitaneis mandet, vt*

det, vt tot de claſſe V. D. naues, ad reliquas externorum ſuppeditent, quot requiruntur ad transportandum militem externum vsq; Dantiſcum, aut quocunq; ventus ad Emporia maritima littoris Germanici appulerit, litteras V. D. ad nauium Capitaneos, hoc ſuper negotio, primo quoq; tempore expectantes.

Inſuper prout anteà V. D. per litteras ſignificauimus de Obligatione, & Aſſecuratione Ordinum Regni Poloniæ nobis traditâ, velut etiàm de alijs in eadem naui contentis, & ad nos pertinentibus, obnixe rogando, vt V. D. eam inſtituat ſeriò ordinationem, quâ eiuſmodi ad legitimi Domini manus rurſum omnia perueniant; Ità huic noſtro fideli viro, & Secretario Nicolao Rask, rerum direptarum Schedulam memorialem tradidimus; Sicut etiàm quorundam aliorum negotiorum catalogum, quæ V. C. ex illo patienter audire, & cognoſcere, nobisq; per eundem Secretarium noſtrum, fraternum & optatum reſponſum dare dignetur; In quo V. D, quod æquum eſt, & nobis beneplacitum factura. Hiſce V. D. diuinæ protectioni commendamus. Datum Sudercopiæ 4. Octobris, anno 1598.

ALteræ verò litteræ Regis Sigismundi, per eundem Nicolaum Rask, eodem tempore cum ſuperioribus, Illuſtriſſimo Duci Carolo oblatæ, hac formâ continentur.

NOs Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, Illuſtriſſimo Dno Carolo, Principi hereditario Regni Sueciæ, Duci Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, chariſſimo Patruo noſtro, fraternam ſalutem precamur, & quæcunq; prætereà noſtræ poteſtatis ſunt bona, promptè deferimus. Illuſtriſſime Dux, dilecte Dne Patrue. V. D. ſignificamus, quòd nobis dilectus, et Reuerendus Dnus Petrus Tiliski, Epiſcopus Culmenſis, noſter, & Regni Poloniæ Vicecancellarius, ſubmiſſè & queruloſè ſignificauerit, ſe paucis diebus antequàm Stegeburgo caſtra moueremus, quippiam de ſuâ ſupellectile, pecunias, argentum, & periſtromata, in quandam nauem Gedanenſem, nauclero Dauide Belao, imponere curaſſe, quæ in hac ſchedulâ ſunt annotata; Naui autem præfatâ poſtmodùm à V. D. ſeruitoribus interceptâ, quidquid in eâ fuerat, direptum, atq; inſuper inhumaniter prorſus cum ijs hominibus actum, qui præfatâ naui vehebantur, licet armis propulſare vim non Querela Regis in cauſâ Epiſcopi Vicecancellarij.

Z z *attenta-*

 attentauerint: Sed solummodò porrectis manibus, & geniculationibus vitam deprecati sunt, quam tamen minimè impetrarunt.

Itaq; cùm memoratus Episcopus, & Cancellarius, *à Regni* Poloniæ Ordinibus, *in honorem nostrum, & obsequium nobis adiunctus sit, sicut etiàm aliâs pro negotijs* Polonicis (*quæ interim nobis in Regno nostro hereditario* Sueciæ *commorantibus inciderent*) *expediendis, & non aliâ de caussâ nobiscum transmissus; Prout etiàm alij* Poloni, & Lithuani, *quòdq; magis est, proprijs eorum sumptibus, & impensis viuant; Ideò ægriori ferimus animo, eam violentiam, & inclementiam in hoc Regno illis contigisse, nobis certo certius persuadentes, quòd vt hoc à* V. D. *non est demandatum, ità* V. D. *omninò displiciturum. Quamobrem fraternè, & amicè petimus, vt* V. D. *tàm propter hanc nostram vrgentissimam intercessionem, quàm etiàm pro honore nominis sui, seriò iubeat, atq; mandet suis famulis, qui ex præfatâ naui prædas egerunt, vt primo quoq; tempore ablata restituant: Sicut neq; dubitamus, quin iustas luituri sint pœnas, vbi* V. D. *cognouerit, quàm inhumaniter cum nostris, & præfati* Cancellarij *seruitoribus processerint, probè considerans, quòd velut iusticiæ consentaneum est, & nobis in singulare, & fraternum beneplacitum, ità etiàm* V. D. *magnæ celebrationi sit futurum, quà apud nostros subditos* Polonos, & Lithuanos, *quà etiàm apud alios homines externos, qui de hoc certiores fient: Nos vicissim libenter ea præstituri sumus, quæ cognouerimus* V. D. *inprimis placere. Hisce diuinæ protectioni* V. D. *commendamus. Datum* Sudercopiæ 4 *Octobris, anno* 1598.

SEd *memorialis schedula eorum negotiorum, quæ* Rex Sigismundus Nicolao Rask *expedienda tradidit, apud* Illustrissimum Principem Carolum, *hoc pacto contexta fuerat.*

Instructio tradita Nicolao Rask ad S. C. abeunti.

IN *primis conuenienti, & officiosâ salute præmissâ, vrgebit præfatus* Nicolaus Rask, *quàm diligentissimè restitutionem litterariæ illius* Obligationis *Ordinum Regni* Poloniæ, *de quâ aliquoties iam vrsimus, tàm per* Casparem Tisenhusen, *quàm etiàm deinceps per proprias nostras litteras, existimantes quòd velut illa obligatio nos solummodò attingit, ità nulli aliquo pacto vsui sit futura. Similiter vt libri nostri Musicales, cæteriq; codices, cum alijs pluribus,* Aulæ nostræ Magistro *ablatis, atq; ereptis, nobis restituantur; Deindè plurima culinæ supel-*

lex

x, tàm ahena, quàm alia plura subducta reuocentur; Nauium quoq; Capitaneis, *earum rerum restitutio mandetur, quas in propriâ nostrâ naui, aquilâ albâ cognominatâ, diripuerunt, tàm ad nos, quàm ad nostros seruitores spectantes:* Insuper *dilectæ Sororis nostræ aulæa, quæ ex illo conclaui sunt erepta, in quo charissimus cognatus noster,* Illustrissimus Princeps Eduardus Fortunatus *erat, resignentur.*

Cæterùm quandoquidem Anglicanus Legatus, nauclerïs cunctis Anglicis *annunciauerit, quòd illis permissum sit ab* Illustrissimo Principe, *quocunq; voluerint discedere, ideò pertinaciter, & contumaciter sese gerant, certiq; rumores hac horâ ad nos fluxerint, quasdam de Anglicanis nauibus iam hinc soluisse, quo pacto, ignotum est:* Quocircà *præfatus noster* Secretarius, *super hac re cum* Illustrissimo Duce Carolo *acturus;* Nam si Anglis *hoc modo liberum fuerit hinc soluere, eò difficilior futura peregrini militis transportatio;* Imò *etiamsi Anglicanæ illæ naues, quæ numero quindecim sunt, milite onerarentur, tamen adhuc nonnullis nauibus indigebimus, si illos omnes qui ex Regno expediendi sunt, hinc ablegare commodè velimus;* Quâ *de caussâ* Nicolaus Rask *cum dilecto Patruo nostro tractabit, vt nonnullæ de classe* S. C. *naues, huic negotio quoq; deputentur.*

Prætereà cùm quotidie querelis propemodùm obruamur, partim de Veredarijs S. C. *partim etiàm de Equitibus Ostrogothicis commotis, qui necdùm rapinis, & direptionibus supersedere volunt;* Sed *pristino passu pergunt, qui non solùm tùm temporis, cùm* Transactio *inter nos, & charissimum patruum nostrum agitaretur, sed etiàm postmodùm quorundam* Nobilium, *Præfectorum,* Equitum, *et aliorum nostrorum seruitorum prædia diripuerunt, & expilarunt;* Potissimùm *verò* Dni Stenonis Baneri, & Dni Turonis Bielke, Nicolai Nicolai, Olai Erici, Iohannis Petri, Nicolai Gregorij, *& aliorum;* Item Dni Suenonis, *Pastoris* Lincopensis *bona surripuerunt, quæ omnia* Transactioni *sunt difformia:* Proindè *commemoratus* Nicolaus Rask, *de hisce certiorem faciet* Illustrissimum Ducem, *obsecrando* S. C. *quò litteris suis horum emendationem vbiq; locorum, & ablatorum hoc pacto restitutionem mandet, & procuret.*

Simili *modo quandoquidem sæpenumerò ab eorum* Coniugibus, & *consanguineis, qui* S. C. *vinculis tenentur constricti, sollicitemur de præ-*

 fatorum Consiliariorum ex captiuitate liberatione, ideò præfatus Nicolus Rask, ad hoc diligentißimè incumbet apud Illustrißimum Principem, quò illi captiui, qui necdùm manifesti criminis conuicti sunt, datis sponsoribus emittantur, quousq; caußa eorum à legitimis arbitris fuerit examinata, & diiudicata; Potißimùm verò cùm iusticiæ, & iuri Suetico sit hoc consentaneum. Neq; minùs idem noster Secretarius, sedulò cum S. C. aget de illis Consiliarijs, quos S. C. in vinculis quoq; detinet, vt nostræ intercessionis ergò, sponsoribus, aut obligationibus litterarijs datis, ad sua prædia dimittantur, respectu habito Coniugum, quarum nonnullæ prægnantes sunt, & aliàs valetudinariæ, in quibus Illustrißimus Princeps, quæ nobis maximè grata sunt, facturus est, & nos vicißim libenter S.C. in negotijs conuenientibus accommodabimus, atq; seruiemus. Datum vt supra.

NEc responsum Illustrißimus Dux Carolus, ad hanc Sigismundi Regis Schedulam memorialem, Nicolao Rask commißam, dare multùm moratus, Örebrogiâ 8 Octob. anno 1598. illud eiusmodi ad R.M. transmittens.

Ducis responsum ad Instructionem Nicolai Rask.

INprimis R. M. officiosæ salutationis ergò, S. C. gratulatur, rogans ut Nicolaus Rask nomine S. C. quàm amicißimam vicißim salutem R. M. renunciet, promptißima S. C. obsequia deferendo: Deindè ea Obligatio, quam R. M. postulat, ab Ordinibus Regni Poloniæ S. M. in digreßu datam, primo quoq; tempore R. M. designabitur; Imò iam pridem per Casparum Tisenhusen remißa fuisset, nisi in scrinio quodam seruata, Nycopiam fuisset transmißa, quò S. C. aliquem famulorum suorum propediem destinatura, qui eam indè eximat, & S. M. restituat.

SEcundò, de Musicalibus libris qui repetuntur, ignotum prorsùs S. C. quorsùm deuenerint, aut quisnam eos habeat; Si autem S. C. illos vspiàm locorum indagare poterit, libenter R. M. restituentur; Sicut etiàm supellex illa culinaria.

TErtiò, quantùm ad illud attinet, vt nauium præfecti ea restituant, quæ in naui, quâ R. M. vehebatur, Aquila alba dicta, continebantur, & direpta, expilataq; sunt, respondet S. C. vbi probè cognouerit quænam desiderentur, se libenter effecturam, vt quantùm poßibile est, resignentur vniuersa: Quanquàm S. C. sperat, nihil de regio peculio

eße

esse subductum, cùm S. C. protinùs mandauerit ea omnia in catalogum referri, quæ in præfatâ naui inueniebantur, cunctaq; scrinia, & cistas obsignari, ità vt certò sibi S. C. persuadeat, maiorem partem esse inuiolatam; Atq; si ex naui non profugissent illi, quibus fuerat demandata, minùs fuisset damni illatum, maioremq; directionem habuissemus, quænam propria R. M. bona fuissent.

QVartò, peristromata illa quæ perhibentur ablata ex conclaui Illustrissimi Marchionis Eduardi Fortunati, affirmat S. C. præfectus Michaël Petri, quem S. C. in arce Stegeburgensi constituit, & hac horâ ad S. C. aduenit, quòd Serenissimæ Annæ famulus vestiarius, Petrus nomine, ex præfato conclaui quinq; aulæa exemerit, sextum autem proprius Marchionis famulus acceperit, plura verò ibidem non fuisse.

QVintò, quantùm spectat ad naues illas Anglicanas, quæ soluisse dicuntur ex Succiâ, præter voluntatem S. C. id factum est, neq; Legato Anglicano, plures quàm vna nauis fuit permissa, quâ ipsemet vehendus; Alijs verò remanentibus miles externus in Germaniam transmittendus: Verùm quòd secùs factum, ægre fert S. C. Tot tamen assignatura, quot sufficient ad transportandas illas copias militares ad litora Germanica, prout Ioachimo Skeel super hoc perscripsit negotio.

SExtò, quòd S. M. de Veredarijs, & Equitibus Ostrogothicis conqueratur, qui nec dùm rapinis supersedent, nominenturq; nonnulli bonorum suorum iacturam passi, illud profectò S. C. ante, aut post Inducias accidisse ignotum; Atq; si quidpiam factum, id ante Transactionem Lincopensem inter R. M. & S. C. euenisse oportet: Nihilominùs tamen confidit S. C. nemini aliud quidpiam ablatum, quàm victualia, vitæ sustentandæ necessaria; Imò verò ex hac parte non minùs conqueruntur de bonorum suorum expilatione, quàm ex illâ: Verùm si imposterùm vsu venerit, & in illo crimine fuerit aliquis famulorum S. C. rationabiliter conuictus, sine vllâ commiseratione punietur; Ille autem Dnus Sueno Concionator Lincopensis, cui, vt fertur, plurima subrepta, falsissimè profectò ab illo relatum, & diuulgatum est, cùm constet illi solummodò bina plaustra fœni esse subducta.

SEptimò quoad illos Consiliarios, aliosq; in custodiâ S. C. detentos, obsecrat S. C. more solito, nè R. M. tantoperè illis patrocinetur;

Quandoquidem toti mundo liquidò constet, illos omnibus infortunijs, & detrimentis, quæ in Patriâ nostrâ emerserunt, caußam præbuiße; Neq; vno, aut duobus annis huius Regiæ familiæ ruinam, atq; perniciem machinatos, sed toto vitæ suæ decursu. Quamobrem postulat S. C. vt pro tenore Transactionis Lincopensis detineantur, atq; Imperiales, Regales, & Electoriales, Ducalesq; ad hoc inuitentur, & rogentur quamprimùm Legati, qui caußam examinent, & decidant,

Ad extremum orat S. C. quò R. M. fraterno, & regio amore patruum complectatur, non permittens se ab vllo ad indignationem aliquam erga, S. C. concipiendam inclinari, aut stimulari; Vicißim S. C promittit, quòd velit eße R. M. fidelißimus, addictißimusq; Patruus, & pro R. M. salute, vitæ, atq; sanguini minimè parcere. Datum vt suprà.

Schedula verò hæc memorialis, ab Illustrißimo Duce Carolo, ad Regem Sigismundum Nicolao Rask redeunti commendata.

Instructio tradita Nicolao Rask ad R. S. redeunti.

Principiò, Regiæ litteræ ad Finnones, & Equites Vplandiæ conscribentur, in quibus admonebuntur vt domum reuertantur, neq; inposterùm suscitent ampliùs tumultus.

Secundò, vt R. M in quauis Regni Ditione Diplomatibus sparsis, S. C. innocentem declaret ab illis accusationibus, & calumnijs de S. C. paßim diuulgatis; Deindè vt litteræ de Comitijs conuocandis dispergantur, illisq; citra quadrimestre spacium celebrandis, prout in Tractatione Lincopensi promittitur: Similiter vt Imperatorij, Regij, atq; Ducales Legati, quamprimùm compellentur, & in Sueciam inuitentur.

Tertiò, quòd illustrißimo Duci Carolo, propter anni tempus commodißimum videatur, vt R. M. per terram sese Stocholmiam conferat; Id si R. M. placuerit, eo amore S. C. exceptura R. M. quo per facultates, & commoditates S. C. licuerit, quæq; Deus omnipotens cellario, culinæq; destinauerit bona, libenter & alacriter R. M. & Comitatui vniuerso impertienda.

Quartò, de stationibus nocturnis hoc pacto ordinari poßet, vt prima pernoctatio in Schedinensi prædio, secunda Nycopiæ, tertia in parochiâ Vesterliungianâ, quarta in ciuitate Telgensi, vbi triremes, & Myoparones R. M. in lacu Melerino obuiare poßent, indè R. M. Stocholmiam vsq; deferentes.

Quin-

Quintò, vt bona feudalia, officia Iudicum terrestrium, & Territoriorum, eorundemq; prouentus, vsq; ad Comitia vniuersalia suspendantur, & vnusquisq; rationem reddiderit villicationis suæ. Datum Orebrogiæ, 8. die Octobris, anno 1598.

His omnibus vltrò citroq; expeditis, has S. C. Regi Sigismundo per Magnum Nicolai, Nycopiâ transmisit litteras.

Serenißime Rex, amice Domine frater, M. V. fraternam salutem, officiaq; nostra promptißima deferimus, fraternè insuper M. V. significantes, nos non sine magnâ admiratione cognouisse, quòd V. M. sese Calmariam contulerit, indè, ut fertur, ex Regno discesßura. Itaq; cùm M. V. probè constet de miserrimo huius Regni statu, & tumultu hactenùs, qui necdùm sedatus, ità vt vniuersum Regnum discordiâ ciuili commotum existat, quam sperauimus modò (sicut etiàm optimè fieri potuisset) præsentiâ M. V. et maturo, bonoq; consilio compositum iri, si M. V. præsentiâ nobis aliquandiu licuisset frui; Sed V. M. nunc vsq; eò insperatè, et sine omni rerum expeditione, & resolutione post se relictâ, à nobis discesßit, & iam Calmariam 17. die huius mensis appulit, contra Transactionem prorsùs inter nos factam: Quid autem M. V. ad tàm subitam profectionem permouerit, aut quâ porrò ratione inposterùm his negotijs manum admouere decreuerit, nobis prorsùs ignotum. Quanquàm sperauerimus si necesßitas ità exegisset M. V. re-

Querela Ducis de inconstantiâ R. S.

ditum

 ditum in Poloniam, prorsùs necessum esse, vt M. V. nos, & Regni ordines de illo, atq; de caussis quibus ad hanc profectionem permota, certiores redderet; Atq; insuper insinuaret, quomodò in absentiâ M. V. negotia forent omnia transigenda: Verùm quandoquidem hoc minimè factum, non sine Regni maximo detrimento, neq; constet quid de eiusmodi repentino M V. abitu cogitandum, aut iudicandum, idcircò fraternè rogamus, vt M. V. per præsentium Latorem nobis significet, quid nobis cum alijs Regni Ordinibus à M. V. sit expectandum. Hisce M. V. diuinæ protectioni commendamus. Datum Nycopiæ 24. octobris, anno 1598.

Biduo deindè post redditæ sunt S. C. sequentes R. M. litteræ, quæ per quendam militem Nycopiam perlatæ 26. Octob. anno 1598.

Rex suam excusat profectionem Calmariam

NOs Sigismundus Dei gratiâ Sueciæ, & Poloniæ Rex, Illustrißimo Principi Domino Carolo, fraternam, & amicam salutem precamur. Serenißime Princeps, Dilecte Domine Patrue, V. D. fraternè, & amicè intimamus, quòd licet secundum vltimam inter nos transactionem, per mare proram Stocholmiæ obuerterimus, aliquot milliaria ad orientem in altum prouecti, Herbambram versus, & Elsnabben; Tamen tempestas oberta tanta, ex plagâ inter orientem, & septentrionem sitâ, vt nobis impoßibile fuerit, fauces Stocholmenses attingere: Sed præter voluntatem coacti binis noctibus altum tenere, donec tandem multis molestijs, & discriminibus exantlatis, promontorium boreale attigerimus, heri vesperi huc ad arcem Calmariensem appellentes.

Præterea charißima soror nostra, Illustrißima princeps Anna, eadem tempestate, cum multis alijs nauibus ex claße nostrâ, quæ vnâ nobiscùm soluerat, depulsa nescimus quò, aut quâ ratione cum illâ actum.

Tamen

Tamen (Deo volente) decreuimus primâ occasione, terrestri itinere Stocbolmiam nos conferre. Quòd verò attinet ad ea negotia, de quibus V. D. in vltimis suis litteris ex nobis sciscitatur, quorum responsum cùm adhuc Stegeburgi commoraremur, V. D. nos Stocbolmiæ promisimus daturos, nimirùm quos Dominos, & Monarchas ex nostrâ parte, de suorum Legatis, ad futura Comitia in hoc Regnum ablegandis, sollicitare velimus: Itaq; vestram dilectionem scire cupimus, nos decreuisse infrascriptos hac super re inuisere, Imperatorem Romanum, Regem Daniæ, Regem Scotiæ, Electorem Brandeburgensem, Ducem Megapolitanum, & Marchionem Ansbacensem, fraternè rogantes, vt V. D. per hunc Internuncium nobis vicißim significet, quos ex suâ parte inuitare, & rogare decreuerit; Sicut etiàm nè intereà temporis quidquam illis Consiliarijs captiuatis, mali inferri patiatur, contra adstipulationem, & promißum; Sed contenta sit V. D. quòd sub regio nostro præsidio, & patrocinio sint in V. D. potestate, donec iuri, & iudicio sistantur: Nos vicißim libenter facturi, quæ V. D. grata, & fraternæ concordiæ, Patriæ nostræ tranquillitati, atq; prosperitati inprimis seruire cognouerimus, diuinæ tutelæ V. D. committentes. Datum Calmariæ 17 Octob. anno 1598.

VErumenimuerò vt alijs Rex Sigismundus litteris, atq; pactis non steterat, sic etiàm ea non seruauerat, quæ superioribus litteris promiserat, nimirùm quòd Calmariâ (quò tempestate fuerat pulsus) Stocbolmiam esset profecturus: Nam peregrino milite arce Calmariense munitâ, indè non Stocbolmensi portui proram obuertit, sed Dantiscano. Quamobrem nihil aliud consilij nobis restabat, quàm vt loco oportuno, laudabilem celebraremus Conuentum, in quo de Regni negotijs, & necessitatibus consultaremus: Ideò omnium consensu approbata fuerant, & à S. C. Dno nostro clementißimo Ienecopiæ Comitia indicta, mense Februario celebranda, anno 1599. In quibus Comitijs conspirauimus, atq; ità nos vniuimus, vt Patriæ nostræ emolumentum seriò circumspiceremus, tractaremusq; velut tenor Comitiorum sequens attestatur.



Os infrascripti Regni Sueciæ Senatores, Comites, Episcopi, Nobiles, & Clerici, qui Ienecopiam confluximus,

 hisce

hisce vniuersis & singulis notum facimus litteris, sicut omnibus cognitum & perspectum, quâ ratione Sigismundus Rex Sueciæ, & Poloniæ, omnium nostrûm clementissimus Dnus, superiori æstate, in Regnum, suam atq; Patriam nostram copioso stipatus milite peregrino aduenerit; Non autem velut mitis, securus, & fidelis Rex ad suos fidos Subditos accedere consueuit: Quod tamen de illo nobis persuasimus, & S. M. secundum suum regium Iuramentum, Iura Suetica tenebatur, sicut plurimis litteris patentibus sæpiùs aliâs promiserat; Potissimùm verò cùm nemo R. M. fidelium Subditorum in toto Regno Sueciæ, secùs erga R. M. se gessisset, aut decreuisset R. M. aliter excipere, quàm pro tenore nostri iuramenti, & obligationis fatemur nos omnes fuisse obligatos, & libenter, obedienter, ac humiliter facere parati fuimus.

Verùm vt in veritate cognouimus, R. M. per Pontificiorum occultas machinationes, atq; nonnullorum consilio Senatorũ ad hæc permota, et persuasa fuerat; Neq; mirùm, cùm plurimi nostrûm subdolis eorum machinationibus decepti, & seducti fuerimus, nunc tandem in veritate comperientes, eiusmodi perniciosas molitiones non alio fine præsertim institutas, quàm ad inuehendam

Reli-

Religionis matationem in hoc Regnum, nolisq; erroneam illam doctrinam obtrudendam: Sicut etiàm ad persequendum eos, qui regio Iuramento, & Assecurationi, alijsq; laudabilibus, honestis, & christianis Statutis, atq; Transactionibus mordicùs adhærere cuperent. Quanquàm (prô dolor) ob eiusmodi mala consilia, & machinationes, eousque progressum sit, vt res etiàm ad arma, tàm inter viros Sueticæ Nationis, quàm externos huc aduectos deuenerit: Nihilominùs tamen (æterno Deo laus) aliam, & meliorem Patriæ nostræ, illa Tragædia catastrophen conciliauit, quàm maligna occasio præseferebat, & ex parte Aduersariorum libenter vidissent, futuramq; sperassent; Cùius nomine nos secundùm Deum, Illustrissimo Dno Carolo, Regni Sueciæ hæreditario Principi, Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ Duci, Dno nostro clementissimo, impensè gratulamur, qui non solùm hoc, sed etiàm alijs multis pactis, de nostrâ omnium salute, fidelem atq; christianam habuit curam, vt etiàm de hoc quàm fidelissimè, & maximè fuit sollicitus: Proindè vt vnusquisq; nostrûm in sinu gestiebat, quod R. M. & Illustrissimum Principem Carolum inter, amica Transactio constituta fuerit, post illam cruentissimam sanguinis profusionem Lincopensem; Ità quoq;

 nihil

 nihil magis in votis nobis fuit, quàm vt rata, firmaq; eßet, quò R. M. in Sueciâ remanens, regiâ suâ præsentiâ quasuis turbas paßim emergentes sedaret, omnem inordinationem ad meliorem reducendo statum.

Veruntamen R. M. præter omnem expectationem nostrã, atq; spem, nullamq; ob caussam datam, ex charißimâ Patriâ suâ, in Regnũ Poloniæ discessit, nullâ informatione post se relictâ, quæ nobis consolationi, & auxilio esset, sed prorsùs nos sine consolatione reliquit: Neq; hoc solùm, sed etiàm Regnum hæreditarium grauißimis periculis, atq; turbis obiecit, dùm S. M. contra Iuramentum suum, & Aßecurationem, Iura municipalia, atq; Lincopensem Transactionem, Calmariensem arcem milite peregrino firmauerat, quem posteà plurimùm adauxit, tormentis, alijsq; munitionibus bellicis instruens. Similiter verißimum est, militi Finlandiæ armorum expeditionem denuò mandatam à R. M. qui partim litteris, partim alijs etiàm voculis non obscurè faßus, se Illustrissimum Ducem Carolum, eiusq; sectatores, non secùs ac hostes capitales persequuturum; Sicut etiàm aliàs in multis Regionibus, R. M. plurimos de auxilio sollicitauit, omni diligentiâ ea circumspiciens, quæ ad apertum nobis bellum inferendum necessa-

cessaria videntur; Imò vt pro certo cognouimus, quà in Daniâ, quà etiàm alibi, palàm Rex Sigismundus protestatus, se Lincopianæ Transactioni, in Regni totius emolumentum institutæ stare non esse obligatum, ità vt S. M. copiosissimo exercitu futurâ æstate, solum Patriæ decreuerit inuisere.

Quamobrem hunc Conuentum celebrare coacti sumus, ad deliberandum quid in hoc negotio necessarium, atq; vtile inprimis factu. Proindè quantùm ad primum attinet, consultum, atq; proficuum duximus, vt R. M. humilibus nostris litteris compellaremus, submissâ, atq; sedulâ petitione, admonitioneq; R. M. consulentes, quò Patriæ statui afflictissimo commiserata, miserrimo hactenùs Regimini emendationem conciliet, nisi velit vt ad extremam perniciem, & ruinã (prout in litterarum progressu innotescet) Regnum vniuersum prolabatur. Itaq; licet optimâ spe freti simus, R. M. eiusmodi consilia, & admonitiones nostras clementer interpretaturam, & huic negotio necessariam deliberationem assignaturam; Nihilominùs tamen metuendum est, nè Pontificiorum, & popularium quorundam nostrorum apostatarum ex suggestione, exiguum reportent fructum; Ideò si præter omnem expectationem

hæc adhortatio apud R. M. nihil effecerit (quod Deus auertat) coram Deo æterno profitemur, & apud omnes Monarchas, mundumq; vniuersum protestamur, nos culpæ non esse affines, coactosq;, & compulsos illam R. M. obedientiam renunciare, quam hactenùs R. M. præstare cogebamur: Quandoquidem si illud non faceremus, ad verbi diuini inficiationem, Incolarumq; huius Regni persequutionem extremam, ac Iuris, libertatisq; nostræ violationem propelleremur; Imò subijceremus nos iugo, & potestati extremæ dominationis, quam prorsùs repudiamus; Potissimùm verò cùm inposterùm dominationis Pontificiæ imperio, & seruituti parere, nullâ ratione decreuerimus, illi penitùs renunciantes, & nuncium remittentes, secundum eam admonitionem, quam serenissimus Rex Gustauus (inclytæ memoriæ) in vltimo suæ voluntatis testimonio, super hoc instituit, ad illius obseruationem omnes Regni Ordines his verbis grauiter adhortans. Itaq; nostros Subditos vniuersos, & singulos, pro salute animæ, & hæreditate illorum cælesti admonemus, & tàm certò sicut cupiunt preciosam, & innocentem sanguinis Christi profusionem, sibi in absolutionem, & remissionem peccatorum cedere, atq; diuinam maledictionem in se prouocare nolunt, vt extremam nostram voluntatem, omninò firmiter, & inuiolabiliter exequantur, & obseruent. *Quæ Testamenti verba, et admonitio, tàm ratione Religionis quàm aliarũ Vnionum præcipuè*

facta:

facta: Quâ de caussâ si nobis, et Regno (quod Deus prohibeat) arma, atque violentia aliqua inferrentur, itá conspirauimus, quòd velut decet honestos patriæ ciues, concordes esse velimus, alter alterum auxilio, & consilio non defraudando; Sed pro mutuâ salute, vitæ atque bonis minimè parcendo, vt violentiã, & iniusticiam à nostris foribus propulsemus, potiùsque viriliter, & honestè in acie occumbamus, quàm turpiter sub illegitimâ seruitute viuamus, postmodùm nobis secundum Pacta hæreditaria, & nutum diuinum, Regem circumspicientes, qui nos in puro Dei verbo, secundum Iura Suetica, christianam, & legitimam prærogatiuam gubernet, & defendat; Non autem sub errore Antichristi teterrimo, nos ex vno sanguinis profluuio, in aliud deducat, prout hactenùs factum, & inposterùm pertimiscendum.

Porrò etiàm conspirauimus, & nos vniuimus, quòd cùm R. M. (vt dictum est) contra regium suum Iuramentum, & Assecurationem, Lincopensemque Transactionem, externis copijs castrum Calmarianum commiserit custodiendum, quæ hostilem animum suum, erga Regnum vniuersum, cæde & incendio abundè indies ostendunt; Proindè nè hoc pacto Regnum pluribus exponatur periculis (sicut etiàm magno dedecori foret,

ret,

 ret, quòd Regni Iura, legitimam ordinationem, & prærogatiuam, quà hoc, quà altero pacto non defenderemus) vnanimi consensu statuimus, cum Illustrißimo Principe Carolo, illuc profectionem instituere, Præsidiarios arcis Calmariensis modernos inprimis admonentes, vt à præfatâ Munitione abscedant, illis insuper significando, quid omnium nostrûm nomine ad R. M. perscripserimus: Sin verò locum admonitioni nullum tribuerint, ità vt bonis verbis ad resignationem Munitionis sese perduci non patiantur, existimantes armis, atq; vi Coronæ, & Regno Sueciæ illam sese subducturos, tùm sanè nos S. C. consilio subnixi, & militis interni huc confluentis auxilio freti, ea media arrepturi sumus, quæ S. C. atq; nobis commodißima videbuntur; Deinceps vnanimiter quæcunq; hoc pacto attentata fuerint, & fortè fortunà euenerint, confeßuri ingenuè, & strenuè defensuri.

Prætereà de hoc deliberationem suscepimus, quòd licet exercitus Finlandiæ superioribus annis, partim per Serenißimum Ducem Carolum, Dominum nostrum clementißimum, partim etiàm à Regni Ordinibus, fideliter & diligenter sit aliquoties admonitus, nè à nobis, & Regni Ordinibus, ab hac parte constitutis, se pateretur separa-

parari; Verùm vt constat, Finnones sub Coronâ Regni Sueciæ incorporata esse membra, ità ab illâ discessionem non facerent, sed in omnibus pijs, & laudabilibus negotijs, totius Regni emolumentum promouentibus, concordes & auxiliantes, velut membra in corpore persisterent: Tamen neq; bono, neq; malo permoti sunt modo, desperatè, & contumaciter, toti Regno insultantes, & rebellionem inferentes, sicut superiori æstate binis vicibus factum, quo tempore vnà cum peregrino milite, in Regnum adducto, nos funditùs delere decreuerunt. Quocircà hoc tempore bonum iudicauimus, vt adhuc semel supererogationis ergò, Nuncijs, atq; litteris illos compellaremus, significantes quibus de caussis R. M. scripserimus eo tenore, & quâ intentione illud factum, cui adhærere, nostramq; sententiam nullo pacto immutare decreuerimus, commonendo ipsos seriò, vt vel semel in hac caussâ semet corrigant, neq; posthac peruersè consulentibus, & suadentibus auscultent, vt sese ab huius Regni ordinibus separent: Quod si autem tùm temporis, bono non corrigantur modo, vnanimiter feremus suppetias, vt eo pacto cum illis procedatur, quo Sudercopense, & Arbogense mandant Statuta, cum Regni tumultuosis, & infidelibus Ciuibus, patriæq; perditoribus proce-

 den

 dendum; Atq; eousq; illos pro Regni hostibus habendos, quousq; ad saniorem mentem redierint; quos etiàm velut manifestos, omni vi, & potestate persequemur hostes, vt tandem sub Regni obedientiam reuocentur.

Vltimò, siquidem in veritate deprahendimus, omnem inordinationem in Regno productam hactenùs, & quæ inposterùm producenda videtur, (nisi illam omnipotens Deus clementer auerterit) originem traxisse à peruersis, & turbulentis hominibus, velut commemoratum est; Ideò qui horum caussa extiterunt, in Regni perniciem extremam, atq; ruinam, necessum est vt promeritâ plectantur pænâ. Itaq; cùm in Transactione Lincopensi astruatur, & promittatur, quòd Imperiales, Regales, Electoriales, & Ducales Legati, vtrinq; sint rogandi, ad examinandam, & decidendam hanc discordiã, neq; adhuc citra tempus in Transactione perfixum, sit hoc factum; Idcircò nisi R. M. citra quadrimestre, adhuc suo satisfecerit promisso, consensimus, & decidimus, nos sequenti vere, circa 24. Maij imminentis, Stocholmiæ vnanimiter comparituros, atq; cum reliquis Regni Ordinibus illuc aduocatis, & comparentibus, secundum Regis Gustaui (laudatissimæ memoriæ) Testamentum, & scripta Regni Sueciæ Iura,

eius-

eiusmodi negotia examinaturos, deinceps adiuturos, vt qui huius tumultus authores fuerint deprahensi, digno mulctentur supplicio.

Atq; cùm Illustrißimus Princeps, Dnus noster clementißimus, Dux Carolus, hactenùs patriæ nostræ emolumentum quæsiuerit, & promouerit, fueritq; vnicus, secundum Deum, qui nobis in omnibus sit patrocinatus, cuius nomine nos cum omnibus Regni Ordinibus, iustißimam habemus caußam, sicut hisce Serenißimo Duci, & quidem quàm diligentißimè gratulamur, & pro tempore humiliter, ac submißè rogamus, postulamusq;, vt S. C. pristinâ beneuolentiâ nos complectatur, nulli molestiæ pro Patriâ inposterùm sese subducens; Præsertim donec perfectum obtinuerimus responsum à R. M. & aßecurationem, quòd R. M. pro tenore Iuramenti, & Aßecurationis suæ, ac secundum Iura Suetica, vniuersum Regnum suum hæreditarium sit gubernatura. Quandoquidem verò S. C. humili, atq; diligenti nostræ petitioni clementer præbuerit aßensum, quòd hæc acceptura, atq; continuatura, velut fidelem, & hæreditarium Principem decet, Ordines Regni communi vinculo constrictôs fouendo, & quemlibet, spiritualem, & sæcularem, summum ac infimum, pro cuiusq; conditione, in christianâ & Euangeli-

câ Religione, hoc Regno florentissimâ, conseruando; Velut etiàm se Iura Regni Sueciæ, & uniuscuiusq; legitimè obtenta Priuilegia, nullo pacto violaturam; Neq; vlli horum aut ex gratiâ, vel odio quidquam præter iura, iusticiamq; irrogaturam: Præterea promiserit, atq; spoponderit pro fide suâ Ducali, honore, atq; veritate, se nunquàm in vllâ necessitate, aut discrimine nos constitutos derelicturam; Sed potiùs vbi vnus nostrûm, aut plures, summus aut infimus, huius nomine, aut alterius ergò facinoris, persequutionem sustinuerit, quòd S. C. pro viribus, & rerum facultate, illam præuentura, atq; auersura, oppressoq; auxilium, tutelam, & protectionem præstitura.

Pari ratione clementer S. C. nobis addixerit, se indulturam quicquid aliqui nostrûm ex imprudentiâ quadam, & subdolo aliorum consilio, suggestioneq; contra celebrata Sudercopiæ, & Arbogiæ Comitia, & Statuta, atq; aduersus S. C. deliquerunt, delicti nunquàm posthac recordans, aut exprobrans, sed spontaneæ prorsùs obliuioni tradituram. Cuius proindè singularis beneuolentiæ nomine, S. C. quantas potest animus noster capere gratiarum actiones persoluimus, vicissim pro fide nostrâ christianâ, veritate, honore, atq; honestate promittentes, nos S. C. pro Regni hæreditario Gu-

rio Gubernatore adhibituros, & agnituros, ad hoc omnem legitimam subiectionem, obedientiam, & fidelitatem exhibentes, S. C. patriæq; emolumentum, & salutem vbiq; quærentes, damna, pericula, consilio & auxilio, verbis atq; factis, vitâ & sanguine, pro extremis nostris viribus auertendo, & præuertendo: Neq; minùs quicquid S. C. iure statuerit, fecerit, & mandauerit, id eâ constantiâ, alacritate, & diligentiâ sumus exequuturi, perindè ac R. M. imperaßet, præsensq; in Regno adeßet. Atq; nè S. C. pro eiusmodi de nobis paternâ curâ, & diligentiâ, sollicitudineq;, quæ S. C. amore patriæ, & omnium nostrûm sustinuit, & inposterùm sustentura, in discrimen aliquod, cum charißimâ Coniuge, & Liberis vocetur, aut horum nomine malè audiat, prout non obscurè cognouimus, quòd S. C. duntaxat, omnium laudabilium Transactionum incusetur: Ideò decreuimus, promisimus, et nos obligauimus, vt si aliqua violentia S. C. aut aliud inconueniens, bellicâ tumultuatione, aut aliâs obtrudatur palàm, aut clàm, nos in illud nunquàm consensuros, vel auxiliaturos, aut S. C. vnquàm, iustißimâ suâ caussâ fretum derelicturos; sed potiùs cum S. C. & pro S. C. vitæ, & facultatibus nunquàm parsituros: Quòd si verò (id Deus clementer auertat) S. C.

 aliquid

aliquid desubitò accideret humanitùs, nullâ ratione passuri sumus, vt aliquid detrimenti S. C. aut dilectissimæ Coniugi, vel Liberis, potissimùm autem S. C. charissimo filio, Illustrissimo Duci Gustauo Adolpho inferatur, aut ex parte Iuris hæreditarij, quod S. C. ad Coronam Regni Sueciæ, secundum Pacta hæreditaria habet; Aut etiàm ratione sustentationis Ducalis, quæ S. C. secundum Testamentum auitum, ex Regno Sueciæ concessa, & postmodùm à Rege Iohanne (diuæ memoriæ) aucta, atq; à Sigismundo Rege confirmata; Verùm fideliter, & diligenter ad id incubituri, vt minorennis Princeps, inprimis in timore Domini, & verâ Religione educetur, ac instituatur, atq; deinceps suo Ducatu, & Iurisdictione propriâ, sine vllâ tergiuersatione, & impedimento fruatur, in illoq; defendatur, sub Tutoribus S. C. ab Illustrissimo Parente ordinatis.

Hæc verò vt à nobis fideliter, securè, & honestè impleantur, ad Dei præpotentis honorem, diuini verbi conseruationem, & Regni totius prosperitatem, emolumentumq;, spontè consentimus, annuimus, & decidimus vt quicunq; popularium nostrorum, cuiuscunq; tandem conditionis, hæc præfata Statuta, verbis vel factis fideliter non seruauerit, & exequutus fuerit, siuè ab illis de-

lis defectionem fecerit, atq; in horum praeiudicium publicè, vel priuatim quidquam molitus fuerit, non solùm vigore huius vnionis, pro iure conuicto perduelle Regni huius habebitur; Sed amissionem vitæ, bonorumq; incurret. Itaq; cùm nihil aliud in hoc negotio tractatum, aut conclusum sit, quàm quod honestum, Christianum, & legitimum sit, ad Patriæ vtilitatem, Incolarumq; prosperitatem spectans, neq; quidquam in præiudicium ordinum Regni absentium fecerimus: Ideò confidimus illos sine vllâ deliberatione, in his nobiscum conspiraturos, vbi progressu temporis super hac re compellati fuerint: Qui sponte hoc ipsum fecerint, præfatæ concordiæ, & conditioni vnà nobiscum adnumerandi; Sicut econtrà, qui huic vnioni subscribere detrectauerint, prædicto loco apud nos habebuntur, non consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ ratione vllâ habitâ. Hæc promittimus, atq; spondemus per fidem nostram christianam, veritatem, atq; nobilitatis nostræ decus fideliter, & inuiolabiliter nos obseruaturos, ità nos Deus adiuuet, quoad animæ, corporisq; salutem. Ad maiorem verò certitudinem, nos omnes hic præsentes, proprijs manibus hisce subscripsimus, & propria sigilla suppressimus. Datum Ienecopiæ, 5. Februarij, anno 1599.

Quan-

 ret, quòd Regni Iura, legitimam ordinationem, & prærogatiuam, quà hoc, quà altero pacto non defenderemus) vnanimi consensu statuimus, cum Illustrissimo Principe Carolo, illuc profectionem instituere, Præsidiarios arcis Calmariensis modernos inprimis admonentes, vt à præfatâ Munitione abscedant, illis insuper significando, quid omnium nostrûm nomine ad R. M. perscripserimus: Sin verò locum admonitioni nullum tribuerint, ità vt bonis verbis ad resignationem Munitionis sese perduci non patiantur, existimantes armis, atq; vi Coronæ, & Regno Sueciæ illam sese subducturos, tùm sanè nos S. C. consilio subnixi, & militis interni huc confluentis auxilio freti, ea media arrepturi sumus, quæ S. C. atq; nobis commodissima videbuntur; Deinceps vnanimiter quæcunq; hoc pacto attentata fuerint, & fortè fortunâ euenerint, confessuri ingenuè, & strenuè defensuri.

Prætereà de hoc deliberationem suscepimus, quòd licet exercitus Finlandiæ superioribus annis, partim per Serenissimum Ducem Carolum, Dominum nostrum clementissimum, partim etiàm à Regni Ordinibus, fideliter & diligenter sit aliquoties admonitus, nè à nobis, & Regni Ordinibus, ab hac parte constitutis, se pateretur separa-

parari; Verùm vt constat, Finnones sub Coronâ Regni Sueciæ incorporata esse membra, ità ab illâ discessionem non facerent, sed in omnibus pijs, & laudabilibus negotijs, totius Regni emolumentum promouentibus, concordes & auxiliantes, velut membra in corpore persisterent: Tamen neq; bono, neq; malo permoti sunt modo, desperatè, & contumaciter, toti Regno insultantes, & rebellionem inferentes, sicut superiori æstate binis vicibus factum, quo tempore vnà cum peregrino milite, in Regnum adducto, nos funditùs delere decreuerunt. Quocircà hoc tempore bonum iudicauimus, vt adhuc semel supererogationis ergò, Nuncijs, atq; litteris illos compellaremus, significantes quibus de caussis R. M. scripserimus eo tenore, & quâ intentione illud factum, cui adhærere, nostramq; sententiam nullo pacto immutare decreuerimus, commonendo ipsos seriò, vt vel semel in hac caussâ semet corrigant, neq; posthac peruersè consulentibus, & suadentibus auscultent, vt sese ab huius Regni ordinibus separent: Quod si autem tùm temporis, bono non corrigantur modo, vnanimiter feremus suppetias, vt eo pacto cum illis procedatur, quo Sudercopense, & Arbogense mandant Statuta, cum Regni tumultuosis, & infidelibus Ciuibus, patriæq; perditoribus proceden

 dendum; Atq; eousq; illos pro Regni hostibus habendos, quousq; ad saniorem mentem redierint; quos etiàm velut manifestos, omni vi, & potestate persequemur hostes, vt tandem sub Regni obedientiam reuocentur.

Vltimò, siquidem in veritate deprahendimus, omnem inordinationem in Regno productam hactenùs, & quæ inposterùm producenda videtur, (nisi illam omnipotens Deus clementer auerterit) originem traxisse à peruersis, & turbulentis hominibus, velut commemoratum est; Ideò qui horum caussa extiterunt, in Regni perniciem extremam, atq; ruinam, necessum est vt promeritâ plectantur pænâ. Itaq; cùm in Transactione Lincopensi astruatur, & promittatur, quòd Imperiales, Regales, Electoriales, & Ducales Legati, vtrinq; sint rogandi, ad examinandam, & decidendam hanc discordiã, neq; adhuc citra tempus in Transactione perfixum, sit hoc factum; Idcircò nisi R. M. citra quadrimestre, adhuc suo satis fecerit promisso, consensimus, & decidimus, nos sequenti vere, circa 24. Maij imminentis, Stocholmiæ vnanimiter comparituros, atq; cum reliquis Regni Ordinibus illuc aduocatis, & comparentibus, secundum Regis Gustaui (laudatissimæ memoriæ) Testamentum, & scripta Regni Sueciæ Iura,

eius-

eiusmodi negotia examinaturos, deinceps adiuturos, vt qui huius tumultus authores fuerint deprehensi, digno mulctentur supplicio.

Atq; cùm Illustrißimus Princeps, Dnus noster clementißimus, Dux Carolus, hactenùs patriæ nostræ emolumentum quæsiuerit, & promouerit, fueritq; vnicus, secundum Deum, qui nobis in omnibus sit patrocinatus, cuius nomine nos cum omnibus Regni Ordinibus, iustißimam habemus caußam, sicut hisce Serenißimo Duci, & quidem quàm diligentißimè gratulamur, & pro tempore humiliter, ac submißè rogamus, postulamusq;, vt S. C. pristinâ beneuolentiâ nos complectatur, nulli molestiæ pro Patriâ inposterùm sese subducens; Præsertim donec perfectum obtinuerimus responsum à R. M. & aßecurationem, quòd R. M. pro tenore Iuramenti, & Aßecurationis suæ, ac secundum Iura Suetica, vniuersum Regnum suum hæreditarium sit gubernatura. Quandoquidem verò S. C. humili, atq; diligenti nostræ petitioni clementer præbuerit aßensum, quòd hæc acceptura, atq; continuatura, velut fidelem, & hæreditarium Principem decet, Ordines Regni communi vinculo constrictôs fouendo, & quemlibet, spiritualem, & sæcularem, summum ac infimum, pro cuiusq; conditione, in christianâ & Euangeli-

câ Religione, hoc Regno florentissimâ, conseruando; Velut etiàm se Iura Regni Sueciæ, & uniuscuiusq; legitimè obtenta Priuilegia, nullo pacto violaturam; Neq; ulli horum aut ex gratiâ, vel odio quidquam præter iura, iusticiamq; irrogaturam: Præterea promiserit, atq; spoponderit pro fide suâ Ducali, honore, atq; veritate, se nunquàm in ullâ necessitate, aut discrimine nos constitutos derelicturam; Sed potiùs vbi vnus nostrûm, aut plures, summus aut infimus, huius nomine, aut alterius ergò facinoris, persequutionem sustinuerit, quòd S. C. pro viribus, & rerum facultate, illam præuentura, atq; auersura, oppressoq; auxilium, tutelam, & protectionem præstitura.

Pari ratione clementer S. C. nobis addixerit, se indulturam quicquid aliqui nostrûm ex imprudentiâ quadam, & subdolo aliorum consilio, suggestioneq; contra celebrata Sudercopiæ, & Arbogiæ Comitia, & Statuta, atq; aduersus S. C. deliquerunt, delicti nunquàm posthac recordans, aut exprobrans, sed spontaneæ prorsùs obliuioni tradituram. Cuius proindè singularis beneuolentiæ nomine, S. C. quantas potest animus noster capere gratiarum actiones persoluimus, vicissim pro fide nostrâ christianâ, veritate, honore, atq; honestate promittentes, nos S. C. pro Regni hæreditario Gu-

rio Gubernatore adhibituros, & agnituros, ad hoc omnem legitimam subiectionem, obedientiam, & fidelitatem exhibentes, S. C. patriæq; emolumentum, & salutem vbiq; quærentes, damna, pericula, consilio & auxilio, verbis atq; factis, vitâ & sanguine, pro extremis nostris viribus auertendo, & præuertendo: Neq; minùs quicquid S. C. iure statuerit, fecerit, & mandauerit, id eâ constantiâ, alacritate, & diligentiâ sumus exequuturi, perindè ac R. M. imperaßet, præsensq; in Regno adeßet. Atq; nè S. C. pro eiusmodi de nobis paternâ curâ, & diligentiâ, sollicitudineq;, quæ S. C. amore patriæ, & omnium nostrûm sustinuit, & inposterùm sustentura, in discrimen aliquod, cum charißimâ Coniuge, & Liberis vocetur, aut horum nomine malè audiat, prout non obscurè cognouimus, quòd S. C. duntaxat, omnium laudabilium Transactionum incusetur: Ideò decreuimus, promisimus, et nos obligauimus, vt si aliqua violentia S. C. aut aliud inconueniens, bellicâ tumultuatione, aut aliâs obtrudatur palàm, aut clàm, nos in illud nunquàm consensuros, vel auxiliaturos, aut S. C. vnquàm, iustißimâ suâ caussâ fretum derelicturos; sed potiùs cum S. C. & pro S. C. vita, & facultatibus nunquàm parsituros: Quòd si verò (id Deus clementer auertat) S. C.

 aliquid

lis defectionem fecerit, atq; in horum praeiudicium publicè, vel priuatim quidquam molitus fuerit, non solùm vigore huius vnionis, pro iure conuicto perduelle Regni huius habebitur; Sed amissionem vitae, bonorumq; incurret. Itaq; cùm nihil aliud in hoc negotio tractatum, aut conclusum sit, quàm quod honestum, Christianum, & legitimum sit, ad Patriae vtilitatem, Incolarumq; prosperitatem spectans, neq; quidquam in praeiudicium ordinum Regni absentium fecerimus: Ideò confidimus illos sine vllâ deliberatione, in his nobiscum conspiraturos, vbi progressu temporis super hac re compellati fuerint: Qui sponte hoc ipsum fecerint, praefatae concordiae, & conditioni vnà nobiscum adnumerandi; Sicut econtrà, qui huic vnioni subscribere detrectauerint, praedicto loco apud nos habebuntur, non consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiae ratione vllâ habitâ. Haec promittimus, atq; spondemus per fidem nostram christianam, veritatem, atq; nobilitatis nostrae decus fideliter, & inuiolabiliter nos obseruaturos, ità nos Deus adiuuet, quoad animae, corporisq; salutem. Ad maiorem verò certitudinem, nos omnes hic praesentes, proprijs manibus hisce subscripsimus, & propria sigilla suppressimus. Datum Ienecopiae, 5. Februarij, anno 1599.

Quan-

to certius sibi persuadens, neminem veritatis, & justiciæ amantem, & earum rerum probè conscium, quæ V. M. varijs modis, & locis in Regno suo hæreditario acciderunt (quas nemo melius, quàm V. M. & nos nouimus) jure admiraturum, quòd V. M. ex Regno discesserit, pluresq́, & maioris quidem momenti caussas huius profectionis eum deprehensurum, qui vtriusq́ Regni, Sueciæ scilicet, & Poloniæ prosperitatem rectè perpenderit, quæ V. M. velut legitimo eorum Domino, maximè est curæ, & cordi; Has tamen rationes, superuacaneum putat M. V. recensere: Licet inter cæteras, illam non fuisse minimam caussam huius abitus dicat, quòd V. M. illic in Poloniâ multò propior esset, vt eò facilius apud eos Dominos, & Monarchas Imperij, atq́ alibi agere posset, qui fuerant inuitandi, vt per suos plenipotentes Legatos, futura Comitia in Regno Sueciæ, quibus V. M. consensum præbuit, visitarent.

Quapropter eò majori diligentiâ, & celeri te ea media circumspicienda, quæ huic foro sanè necessaria, & vtilia, atq́ à M. V. iam exequutioni mandata; Neq́ inposterùm se supersessuram promittit, apud summos Monarchas, atq́ Principes eadem Nuncijs, litterisq́ impetrare.

Insuper postquàm V. M. in suâ profectione

 Stege-

Stegeburgo Stocholmiam versus, tempestate adeò graui pulsa fuisset, nobisq́; scripsisset, se primâ occasione Stocholmiam properaturam, litteras Dantisco, & ex Poloniâ M. V. esse oblatas, ex quibus turbulentissimum Poloniæ statum, ob M. V. absentiam cognouit, eiusmodi turbas inquietis quibusdam hominibus excitantibus, ità vt periculosissima in Regno fuerit metuenda seditio, si M. V. ex Regno Poloniæ diutiùs se absentasset, prout ipsa veritas testaretur, & litteris, testibusq́; probari posset, si necessum foret, ejusmodi in Poloniâ turbarum scintillas emicuisse: Sicut etiàm nobis probè cognoscendum, quòd illa Comitia, quibus M. V. consensum præbuit in hoc Regno celebrandis, eo solummodò fine fuerint instituenda, & nullâ aliâ de caussâ, à M. V. decreta, quàm vt juridicus quidam processus inter M. V. subditos, & seruitores, Nobiles & ignobles, quibus litem iure intendere possemus, siuè illi nobis, in præsentiâ jmperialium, Regalium, & Ducalium Legatorũ legitimè institueretur, de nullâ prorsùs re in Regni negotijs quæstione motâ, aut decisâ, nisi cum consensu M. V. per Legatos, aut litteras declarato; Cætera existimat M. V. illegitima, violenta, atq́; irrita censenda, quòdq́; præfatus iudicij processus, à sinceris arbitris rationabiliter in-

stituen-

ſtituendus inprimis, & terminandus, deinceps muneris eſſe M.V. ſecundum Iura, omnẽ veritatem indagare, & ſupremam in Regno Sueciæ ſententiam de hac re ferre; Quod etiam per præſentiã M. V. fieri poßet, vbi, Deo volente, in Regnum ſuum hæreditarium redierit; Et quòd deniq; M. V. perſpicere non poßit, quâ de cauſsâ in præfatis Comitijs, ità neceßariò M.V. Regia perſona deſideretur, vt idcircò M. V. Regnum ſuum eclogicum, totq; viri honeſti, nobiles & plebeij, eccleſiaſtici & politici, qui illic adhuc M. V. ſunt fideles, iuramentumq; quo M.V. ſunt obſtricti ſeriò perpendunt, ad extrema deducendi pericula, prorsùsq; derelinquendi:

Similiter quòd M. V. iuſticiæ ergò (quam in Regno Sueciæ luce meridianâ clariorem lubenter adhuc videret) nihil magis optet, quàm vt omnes cauſſæ in præmemoratis Comitijs inchoëntur, & decidantur ſecundum tenorem Iuris, Regali prærogatiuâ illæſâ: Potißimùm autem vt in-fidis Conſiliarijs nihil præter Iura, & Iuſticiam inferatur; Sed eâ ſecuritate, & conditione in Iudicio fruantur, quæ in gratiam M. V. multis promißis, & juramentis ſpopondimus, antequàm in noſtram poteſtatem deuenerunt: Ideò M. V. ſibi de nobis perſuadet, quòd illa fideliter ſeruaturi,

turi, cùm M. V. non solùm, sed multis honestis Sueciæ Ciuibus, nobilibus, & plebeis auscultantibus, iuramento illa sanctè promiserimus; Deindè M. V. nos rogatos, & admonitos cupit, nè in absentiâ M. V. arma, aut vim aliquam M. V. castellis inferamus, præsertim Stocholmensi, Calmarnensi, & Elsburgensi; Sicut neq; M. V. Subditis, & Seruitoribus in arcibus constitutis, aut alibi in Regno, securè & legitimè sub M. V. protectione, & defensione viuere cupientibus: Neq; minùs vt inprimis tranquillitati, & concordiæ inter Regni subditos constituendæ studeamus, ad quam Patria nostra charissima tot annis anhelauerat, Regnoq; tàm vtilis, & necessaria, vt sine illâ diu subsistere nequeat.

Similiter M. V. nos admonet, nè M. V. nomen Regium, atq; famam inclytam secùs apud subditos M. V. traduci patiamur, quàm iusticia, veritasq; postulant; Sicut etiàm nè prohibeamus M. V. Diplomata per Regnum diuulgari, quæ huc fuerint destinata, siuè ad M. V. Castellanos, siuè ad alios; Quod si secùs factum fuerit, & aliquid contra Regiam M. V. admonitionem, & fraternam petitionem attentauerimus (quod tamen M. V. sibi persuadere non posse affirmat) tùm sanè impossibile esse, vt vllus fucus, etiàm firmissimè illitus,

litus, diutiùs clàm persistat, sed multò magis quàm vnquã aliâs fraus illius detegetur in omnibus, quæ inter M. V. & nos hactenùs intercesserunt: Promittit autem, spondetq́; M. V. se nulla alia litteris suis mandata commissuram, quàm tranquillitati, & paci in Regno stabiliendis, iusticiæq́; accommodata, ità vt nostræ (si rem omnem prout par est, vndequaq́; considerauerimus, & intellexerimus) voluntati nihil accidat contrarium, certò certiùs M. V. sibi vicissim persuadens, quòd consanguinitatis, atq; eminentiæ Regalis nomine, ad quam Deus præpotens M. V. sublimauit; Velut etiàm propter inclytum nostrum nomen, atq; famam, nos idipsum M. V. exhibituri simus, vt hac ratione Patria nostra dilectissima, mutuâ nostrâ concordiâ reflorescat, neq́; propter quorundam hominum iudicia peruersa, & obstinationẽ, funditùs destruatur, ac desoletur; Quod Deus optimus, maximus prohibeat, nè vnquàm de Regiâ hac familiâ inaudiatur. In alteris autem V. M. litteris significatur, M. V. relatum esse, (licet M. V. exiguam fidem eiusmodi relationi tribuat) quòd M. V. seruitores indigenas, & alienigenas captiuauerimus, atq; eas naues retineamus, quibus M. V. miles, pro desiderio, & petitione nostrâ, ex Regno fuerat transmittendus, præter alia multa, quæ vul-

 gari sermone iactantur, nobisq; imputantur, postquàm à M. V. discessimus, illaq; prorsùs esse inhumana, atq; impia facinora, quæ proindè V. M. vt dictum est, sibi persuadere non potest, esse veritati consentanea.

Quamobrem postulat V. M. quò harum rerũ veritatem M. V. manifestemus, ac si quid eiusmodi factum esset, vt V. M. seruitores, & quidquid ad M. V. spectat, sine morâ pristinæ libertati, & dominio restituamus, omni pacto ea declinantes, & subterfugientes, quæ discordiæ inter M. V. & nos, ansam præbere poterint, idq; propter nostram, & Successorum nostrorum, atq; potissimùm patriæ nostræ charissimæ fælicitatem, quæ in concordiâ M. V. & nos inter, ac libertate Subditorum legitimâ, eorumq; protectione sub jure, & judicio, tranquillitate, & incremento præcipuè est collocata; De quibus M. V. nullum fouet dubium, quin ad ea propensi simus futuri, nosq; erga M. V. ità resoluturi, vt M. V. illud opere experiatur, quod sæpenumerò juramentis, & promissionibus M. V. addiximus, velut vtriusq; Diplomata attestantur.

Adhæc verò vniuersa, fraternè & amicè M. V. respondemus, & inprimis quidem ad primas litteras M. V. quòd subita illa ex hoc Regno M. profe-

profectio, non minùs nòbis, & Regni Sueciæ Ordinibus, quàm illa præmemorata, admodùm mira, sollicitudineq; plena videatur; Prout etiàm M. V. in hoc Regnum insitatus, & admirabilis fuit antea reditus, quòd M. V. armatâ manu, ad suos fideles Subditos accesserit, qui eiusmodi armorum tumultui, caussam nunquàm præbuerunt; Sed quantùm Iura paterentur, & coram Deo, hominibusq; respondere possent, M. V. excipere decreuerant: Quòd autem secùs acciderit, contra nostram, et plurimorum honestorem virorum voluntatem, id factum, vt ad arma, apertamq; stragem, nos et externos inter res deuenerit, quæ tamen sine profusione sanguinis decidi potuisset, si non Marte, sed Iure negotium aggressa fuisset M. V. velut ex actis luculenter demonstratur, quòd à M. V. nihil aliud sit postulatum, quàm quòd M. V. Iuramento, & Assecurationi, Iuriq; Suetico erat conforme. Itaq; vt periculosus, & terribilis M. V. in Sueciam fuit reditus, ità mirus, & discrimine plenus iste M. V. abitus, contra promissa factus, videtur; Quandoquidē eam spem conceperimus, vt etiamsi M. V. caussam aliquam legitimam, aut illas rationes, in M. V. litteris commemoratas, aut etiàm alias in illis non expressas habuisset; Tamen opus minimè fuisse, eo pacto suos deserere

Subdi-

 Subditos. Enimuerò si culpa in nobis, aut alio quopiam deprahensa fuißet, illam M. V. secundum Iura, & auiti Testamenti ordinationem, atq; vtriusq; nostrûm consensum, Tractationemq; Lincopensem examinare, & decidere potuißet.

Præterea si M. V. hoc pacto vtriusq; Regni fælicitatem, & emolumentum quæsiuerit, ex hoc Regno profectionem instituendo, neq; tot viros honestos, nobiles, plebeios, Ecclesiasticos, & Politicos in Regno suo eclogico deserere voluerit, qui (vt litteræ M. V. loquuntur) adhuc M. V. sunt fideles, perpenduntq; seriò illud Iusiurandum, quo M. V. sunt obstricti, nè absente M. V. ad extremum deducerentur periculum, prorsusq; destituerentur, consequens profectò est, quosdam in hoc Regno eße, quibus M. V. iuramenti obliuionem exprobrat: Quocircà efflagitamus, quò M. V. eos nominet, qui eiusmodi attribuunt alijs, cuiusmodi nemini forent imputanda, nisi legitimè possent probari; Quod cùm minimè factum sit, hac vice eorum responsioni supersedemus. Illam verò sollicitudinem, quam M. V. de Regno Poloniæ fouet, suo loco, & æstimationi relinquimus; Verùm M. V. reditũ in Patriam, atq; abitum Suecones minimè celebrare, aut prædicare poßunt. Siquidem M. V. adeò insperatè, contra litteras, & promis-

promißa, & absq; vllâ resolutione, & Reipublicæ ordinatione, iàm tertiâ vice à suis discesserit Subditis; Neq; postquàm in Poloniam peruenit, verbo quidem minimo in suis litteris mentionem faciat, quâ ratione Regni Sueciæ commoda sint quærenda, & illius negotia tractanda; Sed de infidis illis Senatoribus solummodò M. V. angitur, qui M. V. ad has tricas, & varias, magnasq; impensas perduxerunt.

Licet etiàm M. V. in suis litteris Calmariâ ad nos perlatis significet, tempestate Calmariam sese pulsam, profectionemq; primo quoq; tempore per terram cogitare Stocholmiam, quod etiàm futurum certo certius sperabamus; Tamen cuiq; cognitum & exploratum, M. V. tempestate pulsam non fuiße Calmariam: Etenim in portu Baresundensi, priusquàm M. V. indè solueret, palàm est omnibus factum, quòd qui in comitatu M. V. fuerant, Calmariam non Stocholmiam essent comitaturi; Neq; minùs perspicuum est, eum qui illo anni tempore, intra fauces marinas velificare potest, difficulter, & non nisi coactè per apertum pelagus nauigationem instituere, quod M. V. etiam facere potuißet, si Stocholmiam versus proram deflectere voluißet: Verùm qui nimiùm non fuerit simplex, & fatuus, probè in-

telligere, et cogitare poteſt, quo prætextu hæc fabula narretur; Atq; ſi quicquam periculi in Poloniâ emicuiſſet, prout M. V. ſignificat, neceſſarium fuiſſet, vt M. V. illud fidelibus ſuis ſubditis reuelaſſet, illorum fida conſilia, & auxilia in hoc negotio, ſi neceſſarium fuiſſet poſtulando, eamq; rerum in Sueciâ ordinationem relinquendo, quæ nobis conſolationi, & informationi eſſe potuiſſet: Sed illa minimè facta ſunt, cùm M. V. nobis omnibus inſcijs hinc diſceſſerit, in maximâ inordinatione, tumultu, & diſcordiâ relinquens vniuerſa, captiuis hinc exportatis, quá M. V. proprijs, quà noſtris Seruitoribus, in nullo crimine iure conuictis; Inſuper contra Leges Sueticas, Iuramentum, & promiſſa, arcem ac ciuitatem Calmarienſem, peregrino militi commiſit protegenda; Neq; hoc duntaxat, ſed deinceps adulto iam autumno, Becchum pluribus externis militibus ſtipatum M. V. huc transmiſit, cum tormentario puluere, alijsq; bellorum neceſſitati ſeruientibus, quod nequaquàm opus fuiſſet, niſi M. V. ea adhuc moliretur, quæ non minùs pernicioſa exiſtere poſſunt, quàm illa quæ ſuperiori æſtate ſunt infæliciter actitata.

Quippè vt in veritate cognouimus, Finnones ad arma, & bellum ſeſe accingunt, non obſcurè fatentes,

tentes, quòd à M. V. habeant in commissis, vt nos, & nostros Seruitores, velut manifestos inimicos persequantur: Pari ratione V. M. per suos Legatos, partim in Daniâ, partim etiàm alibi palàm protestata est, nequaquàm se obligatam esse, illam inter M. V. & nos Transactionem institutam seruare: Eodem modo ex illis litteris etiàm, interceptis & ad nos perlatis, quas Iohannes Sparre, & Becchus nuper Calmariâ ad M. V. destinarunt, colligere licet, quid M. V. contra nos, & Regnum Sueciæ machinetur; Velut etiàm ex illis machinationibus, quas Illustrissima Princeps Anna, per suum seruitorem Ericum Georgij, apud Comitem Axelium occultè actitauit, nempè quòd M V. minimè decreuerit, infidos illos Senatores iudicio sistere, sed alio adminiculo nostris manibus eripere, quod sanè nunquàm de M. V. nobis persuadere, aut credere potuissemus.

Quapropter satis admirari non possumus, quòd eo colore, vel potiùs fuco M. V. loqui, & scribere possit, ad obtegendam peruersam, & iniquam suam caussam, aliud interim mente occultum fouens: Vtrùm verò illud consentaneum sit Transactioni inter M. V. & nos Lincopiæ factæ, relinquimus M. V. perpendendum, atq; diiudicandum; Ideoq; pro more pristino fraternè, & a-

 micè M. V. consulimus, & admonemus, quò M. V. meliùs, atq; seciùs hoc negotium perpendat: Nam si V. M. sibi iniuriam aliquam illatam aut à nobis, aut ab altero quopiā opinatur, tùm nostram Cæsarijs, Regijs, & Electorijs Legatis examinandam, atq; diiudicandam committi desideramus caussā: Quamuis Transactio Lincopiana manifestè astruat, quòd quæcunq; tandē dissensio inter M. V. & nos fuerat oborta, penitùs sepelienda, atq; obliuioni à M. V. & nobis perpetuæ tradenda; Attamen nihil libentiùs videmus, quàm vt veritas ipsa in lucem publicam perducatur, velut etiàm absq; illo adminiculo (æterno Deo sit laus, atq; honor) iam factum est, quò vniuersò mundo iustissima nostra caussa innotescat.

Prætereà cùm M. V. promittat sese omnem diligentiam adhibituram, vt Cæsarij, Regij, atq; Electorij inuitentur, & rogentur Legati, ad examinandam, & diiudicandam illam controuersiam inter nos, & M. V. infidos Consiliarios, veritatis huius inquisitione, & supremā in Regno Sueciæ sententiā V. M. reseruatā, prout M. V. litteræ confirmant; Ideò si eā ratione illis negotijs manus admouendæ, quam optaremus, & libenter videremus, ille iuris multifarius processus minimè foret necessarius. Etenim si M. V. contenta

fuerit,

fuerit, vt controuersia secundum Iura Suetica discutiatur, ex Legibus Sueticis non difficulter colligere licebit, quo loco præfati Senatores, & nonnulli alij ex seruitoribus M. V. sint habendi, ità vt tantâ intercessione vti, atq; sollicitudinem pro eiusmodi personis suscipere superuacaneum sit; Sicut neq; tot Monarchas super his negotijs molestare necessarium, quandò M. V. legitimâ inquisitione, & judicio nolit esse contenta, sed vltimam sententiam sibi reseruare decreuerit, vt dictum est. Similiter incertum est etiàm quandò M. V. hac veritatis indagationem instituere velit; Siquidem M. V. existimet suam præsentiam non magnoperè in Comitijs requiri, quæ ad hoc vsq; tempus denunciata non sunt, & aliâs incertum quandò M. V. ad Regnum suum hæreditarium fuerit integrum proficisci; Nihilominùs tamen gratum nobis est, velut quoq; M. V. humiliter rogamus, vt illa controuersia per externos, & internos Arbitros primo quoq; tempore examinetur, atq; diiudicetur: Deindè quandoquidem M. V. in præfatis litteris Calmariæ scriptis significet, se decreuisse Imperatoris Romani, Regis Daniæ, Regis Scotiæ, Electoris Brandeburgensis, Ducis Megapolitani, & Marchionis Ansbacensis Legatos, ad illud controuersiæ examen inuitare,

 tare, ac rogare, ideò ſcire cupimus, vtrùm eadem ſit adhuc M. V. voluntas, cùm nulla excogitare potuerimus media ex noſtrâ parte, poſtquàm M. V. adeò inſperatè ex hoc Regno diſceſſerat, & Transactio aſſerat, quòd M. V. citra quadrimeſtre ſpacium Comitia ſit indictura, & celebratura, quod necdùm factum eſt, & quatuor illi menſes iam fermè elapſi ſint.

Verùm ſi huic ſententiæ V. M. adhuc inhæſerit, volueritq́; præfatorum Magnatum, pro ſuâ parte Legatos inuitare, id tempeſtiuè cognoſcere cupimus, ſicut etiàm vt Comitia indicantur, & tempus, locusq́; deſignetur, quandò, & vbi celebranda, tanto tempore præſcripto, vt nobis etiàm per temporis ſpacium, & commoditatem eos inuitare liceat, quos ex noſtrâ parte eligere decreuerimus: Atq́; cùm V. M. præcipuos ex chriſtianitate, ad ſuas partes vocauerit Dnos, nos Deum præpotentem rogabimus, vt noſtræ juſtiſſimæ cauſſæ, atq́; partibus ſuo fauore clementer adſit; Nec minùs etiàm, omnem diligentiam adhibebimus, vt aliquos ex noſtrâ parte Summates Chriſtianitatis obtineamus: Intereà temporis illos infidos Conſiliarios, cum alijs eorum aſſeclis conuenienti mandabimus cuſtodiæ, & ſi M. V. diuturniorem horū traxerit moram, cum illis ſecundum jura Suetiæ

proce-

procedere cogemur: Nisi etiàm M. V. aliquam huius miserrimi Regiminis emendationem aliam constituerit, quod in Patriâ nostrâ, prô dolor, viget, quàm vt M. V. iuramentum, & Iura Suetica transgreßionem sustineant, prout variè factum est, & indies fit, ac inposterùm fortè euenturū, alia nobis huius mali remedia circumspicienda, quibus potiùs supersederemus. Quod cùm ità sit, humiliter & fraternè postulamus, quò M. V. illa negotia ad optatum, & perfectum finem deducere non grauetur, emendationemq; præsentium turbarum quantociùs procurare dignetur.

Quantùm verò ad illud attinet, nè M. V. munitionibus velut Stocholmensi, Calmarensi, & Elsburgensi, atq; earum Castellanis vim aliquam inferamus, quoniam si illam attentaremus, nullus prætextus, aut fucus valeret, sed fraus sole meridiano clarior omnibus euaderet: Respondemus nos sanè pro pictore nunquàm vendicaße, verùm potiùs honestè (diuino freti auxilio) nos speramus egiße, neq; aliter ratione legitimâ conuincemur actitaße, aut agere velle contra M. V. aut ullum virum honestum; Ideoq; non confidimus eiusmodi nobis crimina, nullo nostro merito imputanda. Verùm quandò M. V. vigore sui Iuramenti, et promißionis, peregrinum militem arci

Calma-

Calmarienſi impoſitū dimittere voluerit, atq́ eam ordinationem inſtituerit, vt illi armorum tumultus, qui pro tempore in Finlandiá, ac alibi paßim gliſcunt tollantur, eiusq́ loco juſticiā, & tranquillitatem reſtituerit, Regna vniuerit, quæ M. V. diuerſis machinationibus diuaricata; Pari ratione maiorem geßerit curam jurisdictionis Suecanæ, neq́ paßim illius prouincias dono alienauerit, quod hactenùs factum non difficulter demonſtrari poteſt; Sed Regnum ſuum noſtro, et conſilio fidelium Senatorum gubernauerit, tùm ſinè illa admonitio ad nos inſtituta ſuperuacanea futura, Regni Indigenis mutuā quærentibus auxilia, perindè ac manus manum lauat, quâ ratione caſtella, & Caſtellani à nobis, & ab alijs minùs moleſtarentur. Verùm quòd V. M. permittat, vt viri peregrini in nos dominentur, Regnumq́, & illius Indigenas, in proprijs domibus cæde, et incendio deleant, à M. V. Iuramento, atq́ promiſſo prorsùs eſt alienum; Quæ proindè neq́ permittere poßumus, neq́ vllus honeſtus patriota noſter in hoc conſenſurus, ſed potiùs elaboraturus, vt ea prohibeantur, quamdiu feruet circum præcordia ſanguis.

Rogamus nihilominùs more ſolito fraternè, & amicè, quò M. V. emendationem procuret, eaq́

eaq; præmaturo consilio præueniat, quæ commemorauimus. Secundæ autem litteræ M. V. quæ faciunt mentionem quorundam M. V. seruitorum, quos detinuisse perhibemur; Itaq; non inficiamur ità factum esse, neq; secùs nobis persuadere possumus, quàm idipsum innotuisse M. V. dudùm; Quandoquidem quinq;, aut sex de M. V. seruitoribus, unà cum satellitum germanorum centurione emiserimus: Proindè obsecramus vt M. V. seruitores, atq; nostri, quos ex Regno captiuos M. V. ablegauit, dimittantur, rationemq; operum suorum reddant, vbi illa perpetrarunt, pœnam luendo vbi habitant, secundum Iura: Etsi tantùm abest vt sciamus eos promeruisse carceres, vt nè indignatione aliquâ sentiamus eos dignos, cùm mandato nostro paruerint, portas atq; ianuas M. V. velut legitimo Regi pandentes: His exequutioni mandatis, reliqui nostris vinculis detenti, protinùs dimittentur. Quòd deindè nobis exprobretur nos impiè, & inhumanè egisse, ad illud ità sanè respondemus, ei nimirùm probationem incumbere, qui ista M. V. retulit, interim excusationem aliam facinori non obtendimus, quoniam trita est parœmia, pro facinore infecto, ingenitum mactari vitulum. Demùq;, cùm M. V. nos etiàm atq; etiàm admoneat, quò Regiæ nostræ familiæ ha-

 beamus

 beamus respectum, atque Successorum nostrorum, ideò M. V. fraternè, & amicè gratulamur, certò confidentes nos ità in hoc mundo vixisse, & inposterùm (diuino adiuti auxilio) victuros, vt M. V. nostræque prosapiæ vita nostra nullum dedecus sit importatura; Et quemadmodùm M. V. huius rei nos admonet, & in memoriam reuocat, ità nos fraternè rogamus, vt M. V. illius quoque sit memor, & ex suâ parte hoc ipsum factitet, non præbens vllam ausam inposterùm dissensionibus, in perniciem huius inclytæ familiæ spectantibus; Sed potiùs legitima, laudabilia, et honesta cogitet facinora, vndè concordia deinceps tàm inter Liberos, atque Posteros, quàm etiàm totius Regni emolumenta, diuino auxilio promanent, ad quod V. M. sæpenumerò instigauimus, & adhuc consulimus, rogamus & admonemus; Nos sanè pro nostrâ personâ id libenter facturi sumus, quod fidelem & honestum Regni Sueciæ Principem facere decet, & V. M. ratione sanguinis, iuramenti, atque obligationis obstricti sumus.

Idcircò litteræ, & mandata M. V. legitima sine omni inhibitione publicabuntur, prælegentur, in honore habebuntur, cùm pro tenore, & vigore Iuramenti Regij, atque in emolumentum patriæ fuerint confecta; Verùm vt consensum præbeamus,

quò

quò eiusmodi absurdæ, & non promeritæ criminationes, in quibus nunquàm iure conuicti sumus, neq; posthac, Dei auxilio, conuincemur, per Regnum diuulgentur, & prælegantur in nostram ruinam, & discordiæ maximum augmentum, exiguo M. V. commodo coniunctum est, nullamq; interserit concordiæ sementem. Quarè si nihil aliud promeruimus, quòd M. V. atq; Regni vniuersi, quàm diligentißimè inuigilauerimus hactenùs fœlicitati, & cùm huic culpæ, alijsq; criminationibus minimè affines simus, caußam nobis præbuit æquißimam, vt eiusmodi litteras studiosè interciperemus, vt etiàm iustâ responsione illis occurrere potuißemus, nisi M. V. pepercißemus personæ, probeq; vidißemus nihil indè boni vllâ ratione profluxurum. Proindè ad extremum fraternè, & amicè rogamus, vt M. V. categoricè, & expreßè significet; ac manifestet animi sui desiderium, quid videlicet M. V. caußam præbuerit illius odij, & inimicitiæ, quæ M. V. aduersum nos concepit: Nos vicißim omni pacto libenter M. V. accommodabimus voluntati in omnibus, quæ honestati, & amicitiæ, præceptoq; diuino consonant, cùm M. V. negotia postulauerint, ità vt ex nostrâ parte nihil prorsùs desideretur, & quicquid concordiæ, & V. M. bonori, obsequio, & patriæ nostræ tranquil-

 lita-

 litati, commodoq; seruire poterit, strenuè facturi sumus. Commendamus M. V. vnà cum dilectissimâ Coniuge, & Illustrißimis Liberis diuinæ protectioni, in multos, eosq; fælicißimos annos. Datum Ienecopiæ 1. Februarij, anno 1599.

Litteræ Ordinum Regni ad R. S.

POtentißime Rex, clementißime Domine, V. M. pro facultate quoad vixerimus, prompta fidaq; deferimus obsequia, hisce M. V. significantes, quòd licet minùs necessarium esset, M. V. in memoriam reuocare ea negotia, quæ in hoc Regno acciderunt ab eo tempore, quo M. V. secundum Coronationis suæ festiuitatem, ex hoc Regno discesserat, vsq; in hodiernum diem, cùm illa M. V. minimè lateant: Nihilominùs tamen cùm patria nostra, velut etiàm communis illud postulet necessitas, atq; conditio, nosq; non fugiat, aliàs raram huius mentionem fieri; Ideò iustam sàtis huius rei caussam habemus, eâ tamen humili, & submißâ petitione præmißâ, vt M. V. hanc fidelem, & amicam scriptionem, in optimam partem interpretetur. Siquidem verò vt M. V. probè recordatur, exiguo tempore post Coronationis solennitatem elapso, M. V. ex patriâ suâ charißimâ, & Regno hæreditario sese contulerit in Poloniam, propter subitam profectionem, nobis omnibus fermè tùm ignotam, nullam gubernationis Formam Sueonibus relinquens, secundum quam in absentiâ M. V. Reipub. Clauus fuerat moderandus; Quæ iure tamen necessaria fuisset, vtpotè quâ nos, Regniq; Ordines vniuersi, pro tenore Iuramenti, & Assecurationis Regiæ, Iurisq; Suetici vti potuissemus: Proindè nè Regnum Sueciæ gubernationis, & regiminis Formâ, in absentiâ M. V. destitueretur, & Regni negotia interim infecta seponerentur, qui tùm temporis ex collegio erant Senatorio, primò per suas litteras Illustrißimum Principem Dnum Carolum, Stocholmiam vocarunt, protinùs post M. V. exindè discessum, obnixè illo tempore rogantes, cum reliquis Regni Ordinibus, quò S. C. onus gubernationis humeris suis aptare non grauaretur; Deindè præfati Senatores cum reliquis Ordinibus Regni, Sudercopiæ congregatis, denuò instanter postularunt, vt S. C. in absentiâ V. M. Regni gubernaculo manum admoueret, ad quod secundum Vnionem hæreditariam ca-

pessen-

peßendum, fuerat S. C. proximus hæres, cui per ætatem & annos, Regiminis munus sustinere licuerat, illi proinde patriæ prosperitati, & emolumento prospicere incumbebat: Licet autem S. C. inprimis varias in contrarium rationes obtenderit, quòd eo tempore Regiminis pondus sustinere non poßet, Regni negotijs malo cardine constitutis; Siquidem bello Moschouitico Regnum Sueciæ fuerat tùm temporis implicatum; Imò & ciuilium dißensionum gliscebant paßim grauißimæ scintillæ, vt susq; deq; vniuersa ferrentur: Quandoquidem V. M. ob repentinam ex Regno profectionem, nullius negotij fermè ordinationem absolutiorem constituißet; Nihilominùs tamen S. C. omnium Ordinum humili, & diligenti petitione compulsa, sicut etiàm spontaneo amoris ductu ergà patriam prouocata, Regiminis moli humeros submisit patientes.

Quam molestißimam gubernationis sarcinam, licet S. C. eâ diligentiâ, atq; sollicitudine, quâ vnquàm S. C. fuerat poßibile, sustinuerit; Tamen V. M. mox in initio, præter omnem spem, eiusmodi S. C. gubernationem sibi plurimùm displicere non obscurè ostendit, diuersis temporibus per litteras, Legationes, Mandataq; impreßa, contrà protestans; Atq; S. C. sicut etiàm nobis, & vniuersis Regni ordinibus plurimas criminationes, & exprobrationes (licet Deo laus immerentibus) appingens. Quæ M. V. omnia probè sunt explorata, & tàm à S. C. quàm etiàm illis Consiliarijs, qui à nobis poſtmodùm desciuerant, ac vniuersis Regni Ordinibus, M. V. Aßecurationi, alijsq; præteritis Regni Transactionibus mordicùs adhærentibus, apud M. V. excusata, neq; occultata sunt, velut illo syngrammate, super hac re diuersis idiomatibus excuso, euidenter probare licet, hac ratione sese negotium habere in veritate, quòdq; nos non secùs, ac honestos, fidos, & rectè consulentes subditos decet, & oportet, erga V. M. geßerimus, & prout securè coram toto mundo rationem reddere parati sumus.

Proindè omni dubitatione remotâ confidimus, hæc M. V. peculiariter placitura, atq; indè luculenter cognituram nihil à S. C. aut nobis, & alijs Regni ordinibus attentatum, vel aliud contra M. V. animo nostro conceptum, quàm quod M. V. Iuramento, & promißo erga nos, nostroq; vicißim iuriiurando erga M. V. conforme eßet: Attamen licet eiusmodi vnanimis, & æquißima nostra excusatio, sicut etiàm fidelißima nostra admonitio, & humillima petitio ad M. V. directa eßet, quò

M. V. omnibus suspicionibus, offensionibus, & indignationibus superse-dere dignaretur, & velut immerentibus prorsus nobis mitis, fidus & mansuetus Rex *existeret, ac permaneret, nihil præter iura, & iura-mentum suum in Regno machinando: Tamen nullum fructum, & effectum omninò hæc apud M. V. reportarunt, ità vt M. V. publica arma, præter Iura, & iusticiam omnem, Patriæ nostræ tandem intule-rit; Quamuis V. M. superiori æstate in hoc Regnum aduentans, nul-lam rebellionem, multò minùs infidelitatem ab vllo sustinuerit, prout liquidò constat, S. C. extemplò, & sine morâ, litteris, Internuncijsq; M. V. visitasse, in quibus tàm suo, quàm omnium Regni ordinum nomine id omne vltrò obtulit, quod fido patruo, & non hosti vnquàm conue-niebat. Atq; ad mandatum S. C. proprium, V. M. munitio Calmarten-sis protinùs patefacta, & ab illis quibus arcis custodia incumbebat, cum omni reuerentiâ, & humilitate quidquid sub illorum potestate fuerat, V. M. restitutum.*

Deinde nos qui S. C. sectabamur partes, omnem reuerentiam, & fidelitatis promptitudinem, quam calamo exprimere fuerat vnquàm possibile, V. M. nostris litteris detulimus; Quæ tamen obsequia non solùm apud M. V. nullum pondus habuerunt; Sed dùm M. V. diuulga-tis ex prælo Mandatis promisit, sese nullam vim summis, aut infimis il-laturam; Verùm vniuersa negotia legitimè, mansuetè, & iustè aggres-suram, inspecturam, atq; decisuram; Tùm sanè diuersæ, illæq; amicissi-mæ S. C. litteræ, ac delata obsequia nè semel quidem acceptata, aut S. C. digna est responsione aliquâ indicata, Internuncijs detentis, atq; ar-restatis: Honesti etiàm illi viri, quibus arcis Calmariensis fuerat cu-stodia commissa, captiui abducti, nonnulli alij, & præcipuè Comes Axe-lius proscriptus, Georgio Posse in mandatis habente, viuum aut mortu-um capere Comitem præfatum, aliaq; multa à M. V. commissa, quæ si nos omnes qui ad M. V. partes confugimus, unquàm sperauissemus, & ità huic negotio manus admouendas, M. V. nullâ ratione adhæsissemus. Quid verò postmodùm Stegeburgi acciderit, M. V. non est ignotum, sed toti mundo manifestum, quòd S. C. nosq; castrorum ducalium Secta-tores, enumeratas ob caussas coacti fuerimus, ad arma conuolare, S. C. nihil aliud nobiscùm postulante, quàm vt cuiq; domicilij tutissimo præ-sidio, Iure, & Iusticiâ frui liceret, atq; vt peregrinus ille miles à M.

V. is

V. in Regnum deductus dimitteretur: Nihilominus tamen (pro dolor) nulla pacis obtinendæ spes apud M. V. effulsit, nisi miserabili sanguinis effusione præuiâ, quæ postulata pax, atq; concordia si inter M. V. & S. C. amicè instituta fuisset priùs, in emolumentum M. V. & Regni totius cessisset maximum.

Idcircò certo certius confidimus, & sperauimus, sicut etiàm nihil priùs nobis fuerat, quàm vt M. V. quæ ore, atq; manu, litterisq; ac sigillis spopondit, seruasset fidelissimè: Quòd tamen M. V. non solùm non fecit, sed etiàm præter omnem spem, & expectationem ex Regno sese denuò contulit, nullâ prorsùs super Regno, & Regiminis negotijs informatione relictâ, secundum quam nos fideles M. V. subditi dirigere, & indè consolationem haurire potuissemus. Enimuerò in præiudicium Transactionis Lincopensis, Iuramenti proprij, & Legum Sueticarum, peregrino milite arcem Calmariensem, protinùs in suâ ex Regno profectione abfirmare curauit, & deinceps maioribus Copijs, munitioneq; auxit, ac confirmauit: Qui sanè miles peregrinus, post M. V. abitum, more infensissimi hostis sese Regni Indigenis exhibuit, ità vt manifestum sit, hanc M. V. ex patriâ profectionem, non pacem, & tranquillitatem natali solo, sed potiùs perniciem extremam importasse: Proindè omnium Regni ordinum summa postulat necessitas, vt M. V. nostris litteris inuisamus, inprimis vigore iuramenti nostri, humile atq; fidele omni pacto obsequium M. V. exhibentes, in quantùm nos obligatos, & obstrictos cognoscimus, ac coram Deo, & hominibus respondere possumus, hac spe subnixi certissimâ, V. M. vicissim decreuisse ea omnia seruare, quæ nobis, & omnibus Regni Ordinibus Iureiurando, & Cautione suâ sanctè promisit, eâ etiàm humillimâ, & subiectissimâ petitione, atq; admonitione adiunctâ, quò V. M. propter amarissimam Christi passionem, & mortem, ad Dei honorem, & M. V. proprium commodum, eiusmodi perniciosis consilijs, ac propositis supersedere dignetur, peruersis Consiliarijs, qui M. V. ad hæc abominanda hactenùs impulerunt, non diutiùs locum assignans, auremuè præbens.

Deindè vt M. V. omninò eorum, quæ hactenùs facta sunt, emendationem prouideat, in primis quidem eam discordiam, tumultum, & armorum expeditionem, quæ in Finlandiâ, & Liuoniâ vrgentur, inhibeat, atq; supprimat, pro suâ regiâ authoritate; Regni quoq; officia Sueonibus, &

bus, & non Polonis, aut alijs peregrinis demandans; Sicut etiàm Authores horum tumultuum, atq; etiàm detrimenti, quod M. V. Regnumq; incurrit, iuri & iusticiæ submittat plectendos; Deniq; Regnum Sueciæ secundum regium suum Iuramentum, Iura Suetica, & Decretum Sudercopense, aliasq; laudabiles Transactiones, perinde ac Leges ipsas obseruandas, in omnibus negotijs V. M. gubernet; Præcipuè autem nè Religioni nostræ christianæ, modò & progreßu temporis mutationem aliquam inuehere attentet, nos super hac re eo pacto aßecurans, vt nullus dubitandi locus nobis relinquatur, quòd aliquid, temporis progreßu contra fidem nostram M. V. sit molitura, idq; M. V. indubitatè facturam, argumento nobis erit certißimo, aduentus M. V. pacificus, nullâ militari expeditione stipatus, & mansio deinceps apud nos continua, quod vt quantociùs M. V. ad opus perducat, humiliter & submißè rogamus: Verùm si conditio fortaßis M. V. non permittit, in hoc Regno continuò M. V. præsentem adeße, & aliàs molestum fuerit M. V. toties inter hæc Regna commeare, vt neq; huius Regni status patitur, V. M. sæpiùs vltrò citroq; proficisci, rogamus, & postulamus humiliter, vt cùm M. V. filius charißimus, secundum Vnionem hæreditariam sit proximus Regni Sueciæ hæres, à quâ Vnione nè in minimo quidem exorbitare decreuimus, vt M. V. præfatum suum filium in hoc Regnum expediat, in verâ, & christianâ Euangelij Religione, sicut etiàm alijs Principe dignis virtutibus, sub curâ proximorum consanguineorum, aliorumq; fidelium virorum educandum, ac erudiendum, quò huius Regni gubernaculo idoneus euadat, illud progreßu temporis ità moderans, vt inprimis ad Dei gloriam & honorem, nostram & patriæ charißimæ salutem, atq; subsidium vergat: Quòd si fecerit, promittimus nos vicißim M. V. vsq; ad ipsum mortis agonem fideles, subiectos, & obedientes subditos, atq; similiter Illustrißimo Domino minorenni futuros, velut Regi nostro hæreditario, iure obligati sumus: Quod proindè certißimò speramus, sicut etiàm humiliter postulamus, vt M. V. huic nostræ iustißimæ, & sinceræ petitioni consensum præbeat. Similiter pari humilitate, & subiectione rogamus, quò M. V. illos nobiles, & honestos viros, Georgium Claudij, Olaum Hard, Andream Suenonis, & alios nonnullos, contra M. V. Iusiurandum, iura, & iusticiam absq; omni delicto, & culpâ captiuatos, & ex Regno deductos, sine vllo corpo-

corporis, aut vitæ detrimento in Regnum *remittat, in iudicio responsuros.*

Verùm si M. V. *præter omnem expectationem, petitioni nostræ satisfacere detrectauerit, quâ nihil nisi christianum, & Legibus, Pactis, Iuramentoq́; M. V. consentaneum desiderauimus, sanè vnà cum omnibus* Regni Ordinibus, *coram* Deo *protestabimur, ac deinceps apud omnes Christianitatis Monarchas, totumq́; mundum nostram innocentiam patefaciemus, nos coactos præter omnem culpam,* M. V. *pristinam obedientiam renunciare; Siquidem probè animaduertamus, diuturniorem sub* M. V. *imperio moram, ad diuini verbi abnegationem,* Subditorum *persequutionem, atq́;* Priuilegiorum, *ac* Prærogatiuarum *legitimè acquisitarum destructionem; Sicut etiàm ad subijciendum nos iugo, & seruituti peregrini dominij spectare. Sed hac ratione iuramentum nostrum* V. M. *factum, & omne* Pontificij *dominij imperium inposterùm resoluere, ac prorsùs de ceruicibus nostris excutere, nosq́; penitùs liberos ab illis pronunciare decreuimus, non immemores fidæ illius admonitionis, quam* Rex Gustauus *(gloriosæ memoiræ) ad vniuersos* Regni Ordines *instituit, tàm nomine* Religionis, *quàm etiàm rerum aliarum, in vltimo suo* Testamento *comprehensarum his verbis: Attamen nostros subditos vniuersos & singulos, pro hæreditate, & animæ illorum salute, quam in cœlis nancisci desiderant adhortamur, quò tàm certò atq́; cupiunt vt preciosi &, innocentis Christi sanguinis profusio, sit peccatorum suorum ablutio, atq́; remißio, neq́; Dei maledictionem super se, tàm animæ, quàm corporis prouocare velint, extremum voluntatis nostræ testimonium, omninò firmiter ac inuiolabiliter exequantur, atq́; seruent.* Quâ de caußâ si nobis, & Regni Sueciæ Ordinibus, *in hac* Patriâ *nostrâ charißimâ huius nomine arma, aut vis quæpiam alia inposterùm intentata fuerint, vnanimiter velut honestos & fideles nationis* Sueticæ *viros decet, iniuriam propulsabimus, po-*

 timq́;

tiusq; viriliter, & honestè in acie succumbere, quàm turpiter illegitimæ seruituti colla submittere statuemus, circumspicientes deinde, vbi diuina bonitas, nobis secundum Vnionem hæreditariam, Regem ac Dominum indigitare dignata fuerit, qui nos secundum Dei verbi incorruptam doctrinam, Iura Suetica, & libertatem christianam gubernet; Neq; erroribus Antichristi, sanguinisq; profusionibus, vni post alteram (velut factum est, & adhuc fertur non obscurè futurum) immergat: Nihilominùs tamen humiliter, & submissè confidimus, velut etiàm obnixè rogamus, consulimus & admonemus, vt M. V. rem meliori examine trutinet, nobis primo quoq; tempore clemens, optatumq; responsum remittens: Interim nos pro nostris personis cum omnibus honestis Sueticæ nationis viris, parati atq; prompti futuri sumus, fidelitatem, & obedientiam M. V. secundum iuramenti nostri vigorem præstandi, ità nos, & tàm certò Deus adiuuet, cuius protectioni M. V. humiliter & subiectè commendamus. Datum Ienecopiæ 1. Februarij, anno 1599.

VErùm Rex Sigismundus non tanti S. C. atq; nos fecerat, vt litteris nostris per nuncios, aut epistolas respondere dignatus sit, super petitione nostrâ, erga S. C. & nos semet resoluens: Sed maioribus quàm vnquàm anteà Regnum hoc aggressus viribus, & occultis machinationibus per internuncios varios, decreuerat denuò in patriâ nostrâ discordiæ, & tumultus sementem fæcundam spargere, per quam deindè plurimi honoris, bonorum, atq; vitæ dispendia adiuerunt. Hoccine legitimè factum? Illudnè facinus laudabile, tàm potentis Regni populo, ad tàm humilem, atq; amicam petitionem nè verbo quidem respondere? Atq; eo loco, quo Regem Sigismundum oportuit S. C. atq; nobis responsum dare, animi sui voluntatem aperiendo, in hoc perniciosis machinationibus vsus, ad extremam cupiens ruinam, & incommodum S. C. nobiscum adducere: Nunquid ergò S. C. & nos illi Regi, & Dno ampliùs iuramento obstricti tenemur, qui S. C. & nos nè dignos quidem duxit, vt nostræ petitioni tàm laudabili, atq; christianæ responderet; Sed omnes laudabiles actiones prætergressus, S. C. atq; nos ex vno infortunio in aliud pedetentim protraxit, atq; etiàm hodiè armis persequitur? Id sanè omnibus sinceris arbitris iudicandum relinquimus: Attamen tantâ iniuriâ affecti, animum nostrum à Rege Sigismundo non declinauimus, sed ijs medijs christianis planè vsi sumus, quibus Sigismundus

mundus Rex, *& filius illius adiuuarentur, vt patria nostra ad pacem, & tranquillitatem tandem deueniret*: Atqui *eiusmodi beneuolentiâ apud* Regem Sigismundum *spretâ, vnanimi consensu nostro*, Stocholmiæ Comitia *eodem anno, mense* Iulio *sunt indicta, ad consultandum de hoc negotio, alijsq; Regni* Sueciæ *commoditatibus*: Quandoquidem *manifestißimum nobis fuerat, quòd licet ex nostrâ parte, fidelem animum erga* Sigismundum, *eiusq; filium multis modis prodiderimus*;Tamen *nullam securitatem, aut fidelitatem, consolationem, aut subsidium apud illum expectandum*: Ideò *vnanimiter, & concorditer in præfatis* Comitijs *conclusimus, nos postmodùm eundem* Regem Sigismundum *pro nostro* Domino, *& gubernatore minimè obseruaturos, omni iuramento, fidelitate, & obedientiâ quibus secundum* Iura Regni, *&* Vnionem *hæreditariam illi tenebamur obstricti, repudiatis & resolutis, velut* Decretum *ipsum eo tempore statutum* Holmiæ, *tenore commonstrat subsequenti.*

Nos infrascripti Regni Sueciæ Senatores, & Ordines, Comites, Barones, Episcopi, Nobiles, Ecclesiastici, Ciues, & Communitas, qui ab Illustrißimo Dno Carolo, Regni Sueciæ Principe hæreditario, Duce Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ, huc Stocholmiã fuimus vocati, atq; congregati, patriæ negotia consideraturi, & conclusuri, hisce omnibus notum facimus litteris, ac palàm profitemur, quòd licet Maiores, & Parentes nostri Regni Sueciæ Ordines, annis ab hinc aliquot, nimirùm anno Redemptionis nostræ 1544. vnanimiter Constitutiones quasdam Arosiæ condiderint, secundum quas Reipub. gubernaculum fuerat moderandum sequentibus temporibus, illasq; vnanimiter appro- Comitia Stocholmensia.

 bauerint; Sicut etiàm postmodùm quiuis Indigenarum status sigillatim confirmauerit, vt cùm superiori ætate multa discordia, incommoda, & pernicies in patriâ nostrâ pullulauerint, partim eâ de caussâ, quòd peregrini Reges ad Regni Sueciæ solium eueherentur, qui magnam vim, & tyrannidem in Sueones exercuerant; Partim etiàm quòd in hoc Regno, rara vigere potuerit concordia inter Regni colonos, dùm Regum quidem electio, & functio apud Suecanas, & internas familias, secundum Iura patriæ frequentata perseueraret, sed nulli certæ prosapiæ Regium Diadema adhæreret, vt idcircò necessum fuerit, certam alicuius familiæ propaginem eligere, apud quam Regia dignitas perpetuo tenore, quamdiu placeret Deo, aliquem illius prosapiæ masculum hæredem superesse, permaneret, quò eiusmodi discordiæ, in Rempub. Suecanam aditus omnis occluderetur: Atq; cùm prudentissimi Maiores nostri, eo tempore probè cognouerint, neminem in toto Sueciæ Regno, eiusmodi Regiâ eminentiâ potiùs dignum, aut Diadema Regni promeritũ pro se, & suis Successoribus perpetuum, quàm potentissimum Principem Dnum Gustauum, pro eo tempore apud Sueones rerum potiuntem, vtpotè qui secundum Dei auxilium, summâ diligentiâ, molestiâ, & curâ,

vitæq;

vitaq́ maximis discriminibus, patriam nostram ex illâ seruitute clementer liberauerat, cui à Regibus peregrinis fuerat subiecta, omnibus Regni Ordinibus, summis & infimis pristinæ libertati, atq́ conditioni restitutis; Neq hoc solùm, verùm etiàm, diuinâ subnixus ope, Regnum Sueciæ illi iugo intolerabili sudduxit, quo antea sub erroneâ Pontificiorum Religione dudùm premebatur, inq́ huius pseudolatriæ locum, veram Euangelij doctrinam, diuino verbo conformem restituit, cui etiàm S. R. M. seriò suis Successoribus mandauerat adhærere, ni animæ suæ dispendium cuperent adire.

Huiusmodi autem Maiorum nostrorum prudentissimas Constitutiones, fatemur nos obligatos seruare, sicut etiàm ipso declarauimus opere, & inposterùm huic piæ, atq prudenti Regis Gustaui constituimus adhære re admonitioni. Quamobrem superiori ætate, secundum fata extrema eiusdem Regis Gustaui, primò S. M. primogenitus filius Rex Ericus, ad regalem Sueonum Thronum fuerat sublimatus; Verùm quandoquidem hac regiâ dignitate, propter immanem tyrannidem, illegitimumq́ regimen, iure fuerit exutus, vt neq́ ille, aut eius Successores regali in Sueciâ authoritate ampliùs essent potituri; Ideò ratione Vnionis

 hære-

hæreditariæ, secundus Regis Gustaui filius Dux Iohannes, ad regalem Sueciæ apicem prouectus, hoc ipso jure cum suis liberis masculis in Regni solio consequutus successionem. Quamuis verò difficultatem obtendere potuissemus, in eligendo & coronando primogenito illius filio, potentissimo Principe Dno Sigismundo, Poloniæ Rege moderno, cùm S. M. contra fidele Aui sui consilium, & admonitionem, peruersam Pontificiorum Religionem acceptasset, eoq; pacto jurisdictione ad Diadema Regni Sueciæ semet spoliasset; Sicut etiàm quòd S. M. sine nostro, & generelium Regni Sueciæ Ordinum cognitione, ac voluntate, peregrinū Diadema acceptasset, cum intolerabilibus patriæ conditionibus, quas Regnum Sueciæ nunquàm admittere potuisset, & sub illis protinùs, nobis inscijs ex hoc Regno discessisset: Nihilominùs tamen cùm omnes in eâ opinione, & fiduciâ indubitatâ fuerimus, quòd S. M. firmiter, & irreuocabiliter illis promissis foret adhæsura, quæ patentibus suis litteris, & Mandatis, in quauis huius Regni ditione publicauerat, priusquàm S. M. in hoc Regnum, coronam acceptura sese contulerat, promittens nemini Religionis nomine quicquàm pertimescendum; Licet hoc promissum fraudem, atq; aliā longè opinionem sub illis verbis occultauerit;

nem-

nempè quòd S. M. nullum Religionis ergò, odio aut amore vellet prosequi; Quæ fraus indè patet, quòd S. M. neminem Pontificiæ Religionis oderit, & nullum Euangelicæ doctrinæ dilexerit, quam in hoc Regno nos omnes profitemur, quemadmodùm deinceps ipsò opere manifestum euasit.

Attamen has atq; alias rationes, quas contra S. M. habuimus acerrimas, non tantoperè respiciendas, atq; etiàm ob eam ambiguitatem vsq; eò rigidè procedendum duximus, quam ex litteris à S. M. in hoc Regnum certatim expeditis, priusquàm ipsa R. M. huc aduentaret, abundè collegimus; Verùm post diuturnam transactionem Coronationis tempore, Diadema Regni, & Reipub. Clauum S. M. commisimus; Quandoquidem nobis vniuersis, R. M. in suâ Coronatione eiusmodi securitatem, & fidelitatem proprio Iuramento, & litterariâ Aßecuratione spoponderit, & iurauerit, cuiusmodi Reges alij Sueonum, secundũ Iura Suetica, & vetustas Regni prærogatiuas, ex obligatione deponere consueuerunt, & seruauerunt. Verùm cùm S. M. postmodùm non solùm regium suum Iusiurandum, & Assecurationem transgressa sit, prout euidenter demonstrabile in omnibus Iuramenti sui articulis esse factum; Sed

etiàm

etiàm contra omnem in patriam amorem, peregrinum exercitum in natale ſolum deduxerit, ad perdendos, & delendos nos vniuerſos ſubditos ſuos, regio Iuramento, & Aßecurationi firmiter, & conſtanter adhærentes, velut nemini incognitum præterito anno (prô dolor) eſſe factum: Quanquàm R. M. non multò antè per publica Mandata, in Regnum hoc deſtinata, & quauis Regni Ditione publicata promiſerit, ſe in patriam ſuam velut mitem, & manſuetum Regem ad ſuos ſubditos acceſſuram; Cui tamen minimè ſtetit promiſſo, magis violentiâ, & verbere poſtmodùm, quàm manſuetudine, & jure vſus: Atq; licet his de cauſſis, & propter Finlandiæ turbas aliquot annis crudeliſſimè commotas, Rege Sigismundo ſuis litteris, & Mandatis fomentem itidem ſubminiſtrante, tùm temporis juſtiſſimas habuiſſemus rationes, eiusmodi violento renunciandi imperio; Tamen cùm S. M. amicam transactionem cum Illuſtriſſimo Principe Dno Carolo, ſuperiori autumno ſub Lincopiâ inierit, poſt illud ſanguinis balneum, illo tempore, prô dolor, apparatum (quod S. M. optimè potuiſſet effugere, ſi honeſtæ, legitimæ, & laudabili voluiſſet adſtipulari transactioni, quæ vt plurimis exploratum, S. M. ante ſtragem oblata ſæpiùs, illam acceptare nolenti)

nolenti) ſpe emendationis conceptâ, illud facere noluimus.

Itaq; cùm Lincopiæ omnia fuerint conſepulta, & omninò tradita obliuioni, ideoq; amica, vt dictum eſt, transactio inſtituta, in quâ R. M. ſanctè promiſit, ſe neq; tunc, aut futuris temporibus in malam partem interpretaturam, aut recordaturā quæ per ciuilem illum tumultum accidiſſent, cauſſamq; S. M. non exiguam præbuiſſet; Sicut neq; huius diſſenſionis nomine, alienam ab vllo, ſiuè S. C. ſiuè altero quocunq; Illuſtriſſimo Principi adhærente fouere animum velle; Sed potiùs S. C. fraterno amore, & beneuolentiâ, reliquosq; Regni ordines gratiâ, & clementiâ proſequuturam, ac nunquàm ampliùs in æternum vlli præfatū exprobraturam tumultum, aut vitio, pænæq; verſuram; Vt neq; vllam violentiam attentaturam clàm, aut palàm, intra aut extra Regnum, aduerſus Eccleſiaſticos aut Politicos, nobiles aut plebeios, ſummos aut infimos, pauperes aut diuites, quæ honoris, vitæ, aut bonorum diſpendium concerneret: Verùm potiùs S. M. Regnum hæreditarium, vigore ſui Regij Iuramenti, & litterariæ obligationis gubernaturam: Similiter quæ grauamina captiuatis obtenderentur Conſiliarijs, ea vellet S. M. præſentibus Cæſarijs, Regijs, & Electorijs

Legatis Stocholmiæ examinare, & diiudicare; Insuper eodem tempore S. M. promisit, se peregrinum militem in Regnum introductum, dimissuram, quocunq; tandem Regni loco foret, siuè in Munitionibus, siuè etiàm alibi, cum multis alijs quæ S. M. confirmauit, & roborauit, velut ipsa Transactio typis excusa euidens fert secùm testimonium.

Eiusmodi itaq; promissa, & iuramenta, firmamq; assecurationem sperauimus R. M inuiolabiliter seruaturam, & consummaturam, prout conueniens fuisset, neq; nos tantis implicaturam tumultibus; Sed tantùm abest vt R. M. illa decreuerit exequutioni mandare, vt etiàm euestigiò, nullâ datâ caussâ, ex Regno profugerit, peregrinum ex Regno non dimittens militem, sed arcem Calmariensem illo obfirmans, quæ præcipua est inter Regni munitiones; Cùmq; S. M. Dantiscum appulisset, indè Calmariã plures expediuit copias militares, arcem victualibus, globis, puluere, & alijs militaribus præsidijs obmuniens, mandato præsidiarijs dato, nè Sueonibus arcem denuò resignarent: Illud quoq; de Cæsarijs, Regijs, & Electorijs Legatis promissum, qui præfatos Consiliarios, & eorum caussam essent examinaturi, seriò nunquàm à R. M. pertractatum; Velut etiàm licet

cet

cet S. M. promiserit S. C. innocentem ab illis criminationibus declaraturam, quæ S. C. immeritò affingebantur, à peruersis & iniquis quibusdam hominibus, in quauis Regni ditione propalatæ: Tamen R. M. tantùm abest vt illud præstiterit, vt apud Imperatorem, Reges, Electores, atq; Principes famã S. C. iniquißimè traduxerit; Sicut neq; illi stetit promißo Rex Sigismundus, quo sanctè spopondit nullam vim, clàm aut palàm aduersus vllum in hoc Regno, prout dictum est, se molituram; Quandoquidem omni conatu S. M. reditum denuò cum exercitu in patriam machinetur, præfatos Regni Senatores armis liberatura, & nos alios quàm vehementißimè persequutura.

Prætereà vt R. M. ad saniorem rediret mentem, eiusmodi supersedens tumultibus, superiori hyeme ex Ienecopensibus Comitijs S. M. scripsimus, obnixè postulando, quò R. M. citra spacium semestre indè euoluto, sese resolueret, quid nobis à S. M. foret expectandum; Cui petitioni nè verbo quidem à Rege Sigismundo responsum est: Ideò operæprecium duximus hoc tempore Stocholmiam confluere, eiusmodi negotia, mente sedulâ consideraturi, & decisuri. Quandoquidem autem liquidò nobis constet, quòd licet ex nostrâ parte erga R. M. singulari fidelitate feramur, omnemq;

amorem S. M. declaremus; Attamen à S. M. nullã inposterùm securitatem, aut fidelitatem nobis exspectandã; Sicut etiàm non sine dolore animaduertamus, quòd nisi peruerso huic, & iniquo regimini, tàm in hoc Regno, quàm in Finlandiâ, & Esthoniâ aliquanto tempore continuato, tempestiuè prouisum fuerit, ad extremam perniciem Suecanam Rempub. prolapsuram.

Quamobrem hoc tempore vnanimiter, & concorditer decidimus, nos R. M. inposterùm pro Domino, & Rege nostro minimè cognituros, vel obseruaturos, aut illius imperio nos subiecturos; Verùm iuramentum nostrum, fidelitatem, & obedientiam, quibus S. M. hactenùs secundum Iura, & Vnionem hæreditariam obstricti tenebamur, repetimus ac resoluimus, S. M. prorsùs renunciando: Deum autem iustißimum testamur, nos satis superq; ad hanc iuramenti nostri reuocationem permotos eße, atq; compulsos, velut quoq; nostras rationes, quibus adacti illud fecerimus, toti mundo propediem prodemus, & manifestabimus. Quanquàm verò legitimam haberemus caußam S. M. hæredes masculos, ab huius Regni gubernaculo etiàm remouendi, ità vt nunquàm vigore Vnionis hæreditariæ illud gubernaturi forent; Nihilominùs tamen filio, Parentis delicta imputare nolu-

noluimus; Verùm ut R. M. eam animi propensionem, quâ S. M. & illam Regiam prosapiam complectimur, abundè cognoscat, filium S. M. pro Domino nostro, & Rege acceptare, & obseruare decreuimus; Tamen eâ ratione, ut R. M. citra spacium semestre, hac super re se declaret, an filium suum in hoc Regnum velit transmittere, eumq; Illustrissimo Duci Carolo, velut proximo & propinquiori committere tutori, alijsq; probis, et fidelibus viris, ut in syncerâ Euangelij religione (cui nos in hoc Regno obstrinximus, et adstrinximus) educetur, idioma Sueticum, & mores addiscat, in hunc finem intra sex menses post hoc semestre, in Regnũ Sueciæ destinatus: Quod si factum fuerit, Illustrissimum Vladislaum Principem, præ alijs omnibus pro legitimo nostro Domino, & Rege confitebimur, & acceptabimus, ubi ad eam peruenerit ætatem, ut nobis, & Regno uniuerso prospicere, et eâ ratione aßecurare poterit, prout secundum Iura, & Regni antiquam Iurisdictionem, consuetudinemq; laudabilem par est: Interim Serenissimum Principem Dominum Carolum, pro Regni hæreditarij gubernatore agnoscemus, ut gubernacula Suetica tractet, quousq; Princeps minorennis ad legitimam ætatem peruenerit.

Verùm nisi R. M. circa sex menses post hac

 com-

computandos, hac super re sese resoluerit, filio suo intra sequens temporis semestre in Sueciam destinato, in religione Euangelicâ, nostroq́; idiomate, & moribus educandum, illum quoq́; regimine, & Diademate, iuris dictioneq́; omni priuatum volumus, ità vt ille, & eius hæredes, nullo vnquàm tempore Regni Sueciæ sceptra consequuturi, sed quà pater, quà filius illis spoliandi: Quâ ratione seipsos Regiâ apud Sueones authoritate, & dignitate exuerunt, caussamq́; præbuerunt suæ ex regio Throno proscriptioni; Nos sanè coram Deo, & toto mundo excusati esse volumus, quòd huic exorbitationi ansam non præbuerimus: Deinceps nobis de Rege, atq́; Domino illic circumspiciemus, vbi Deus omnipotens secundum Vnionem hæreditariam, aliquem nobis ostendere fuerit dignatus, qui nos secundum purum Dei verbum, & Iura Sueticca recturus, & defensurus: Quandoquidem inposterùm sub imperio Pontificio, & seruitute, nullâ ratione viuere decreuerimus; Verùm modò sicut anteà ab illis liberi, & immunes prorsùs esse velimus.

Quantùm verò ad alia negotia spectat, de quibus hoc tempore consultatum, velut inprimis de indignâ illâ tumultuatione, aliquot annis proximè euolutis, & adhuc in Finlandiâ vigente, quâ ratione

tione commodiùs finem consequeretur, illâ Prouinciâ denuò sub Regni Sueciæ obedientiam reuocatâ, hoc pacto vnanimiter nos Regni Ordines conclusimus, vt licet Finlandiæ Indigenas diuersis temporibus minacijs, atq; bonis verbis admonuerimus, quò ad meliorem redirent mentem, seq; nobis, & vniuersis Regni Ordinibus ex hac parte constitutis, in illis quæ Regno, ac Patriæ nostræ charissimæ prosperitatem, & emolumentum attingunt, adiungerent, atq; adunarent, conspirarentq;: Tamen nullâ ratione ad hoc sese permoueri sustinuerunt, vt idcircò iure caussam habeamus ijs modis illos visitare, quos hoc negotium postulat. Nihilominùs cùm non æqualem culpam huius tumultus in omnibus residere Finlandis probè sciamus, sed ità eorum nonnullos, velut plurimos nostrûm ex hac parte, in eas tricas deceptos & seductos deuenisse; Proindè hoc modo rem decidimus, vt si bonis medijs adhuc aliquid apud eos efficere potuerimus, arma illis inferendo impensas non faciendas. Quocircà ex his Comitijs protinùs nonnulli de quibusuis Regni Statibus illuc expedientur, præfatos admonitum Finnones diligentissimè, vt sese emendent, & adiungant nobis, reliquisq; Regni Ordinibus hac ex parte constitutis; Quiq; à S. C. ad hanc Prouin-

Prouinciam deputati fuerint, sinè legitimâ excusatione hanc profectionem non detrectabunt; Sed promptos sese offerent: Atq; vt controuersia inter nos, & Finlandiæ inhabitatores eò melius expediatur, ideò præfati Internuncij, quosdam secum ex Finnonibus huc postulaturi sunt, qui cæterorum nomine habeant facultatem vniuersa decidendi, qui tàm à S.C, quàm etiàm à nobis, eiusmodi saluo conductu aßecurabuntur, vt vim aut iniustiam nullo pacto formident. Proindè si Finnones pro petitione, & desiderio nostro, citra quatuordecim dierum spacium, ab illo tempore, quo præfati Internuncij in Finlandiã appulerint, computatum, hic comparuerint, & sese nobiscùm vniuerint, ac denuò in gratiam redierint, omni armorum expeditioni, contra eos aliàs instituendæ supersedebimus: Verùm si non comparere, & nobiscùm conspirare voluerint, eam inposterùm quam hactenùs rebellionem continuantes, illos pro manifestis nostris hostibus ducemus, quos vnanimi auxilio persequemur, quàm maximè vnquàm nobis per vires, & facultates poßibile, ad quod præstandum nostrûm vnusquisq;, vitæ & poßeßionibus, alijsq; facultatibus minimè parsurus.

Quanquàm verò nos Regni Ordines ægrè permittamus, vt Illustrißimus Princeps Dux Carolus,

rolus in propriâ personâ illuc vnà proficiscatur, potissimùm cùm S. C. præsentiâ, hoc tempore, Regnum Sueciæ carere nequeat; Sicut etiàm quòd non libenter videamus, vt S. C. in quâ vniuersa Regni spes duntaxat collocata, manifestissimis illis discriminibus, quæ illic fortè vigent, sese obijciat: Nihilominùs tamen cùm Regni extrema necessitas postulet, vt tandem aliquandò præfatis Finlandiæ tumultibus terminus imponatur, nihilq́ fermè in hac expeditione vtile, nisi S. C. militares copias illuc proficiscentes fuerit comitata, expediatur; Neq́ alium habeamas, qui loco S. C. illud munus possit pro dignitate obire; Atq́ S. C. clementer huic expeditioni suam operam deferat, cuius nomine humillimas S. C. gratias agimus, quæ non solùm hac ex parte, sed etiàm in multis alijs rebus, suum erga nos, & patriam nostram amorem singularem, non obscuris argumentis frequenter manifestauit. Quamobrem ex re, atq; vtilitate totius Regni esse putauimus, vt voluntati S. C. morem gereremus, ideoq́ huic expeditioni nos fatemur obligatos vnà accingere, quotquot S. C. ad eam censuerit aptos, & idoneos: Attamen Regni Ordines humiliter postulant, quò S. C. peculiarem suæ personæ habeat respectũ, in discrimen sese non conijciens, nisi vrgente extremâ necessitate; Sicut neq́

diu sese ex Regno absentet, verùm quamprimùm per occasionem licuerit, reuertatur, idq; in Regni consolationem, & defensionem. Atq; vt eiusmodi expeditio seriò vrgeatur, & continuetur, vnanimiter promisimus, nos suppetias illi laturos pro facultate nostrâ extremâ, quocunq; tandem modo, consilio & auxilio præstare potuerimus, in absentiâ S. C. pro nostro emolumento institutâ, illis obedientiam, & morem gerentes promptissimè, quos S. C. suo loco, in omnibus ditionibus, arcibus, & munitionibus, exercituiq; remanenti præfecerit, illis auxilia, & subsidia exhibendo, quantùm per fortunas, & vires nostras licuerit, neq; S. C. aut S. C. dilectissimam Coniugem, & Liberos absentes aut præsentes vllo pacto deserendo, ità nos Deus adiuuet: Ideò si aliqui depræhensi fuerint, qui internuncijs aut litteris, clàm vel palàm mali quidpiam machinentur in Regni ditionibus, aut turbas, & discordias commoueant, eos non occultaturi, aut defensuri, verùm cum ijs quibus ditionum gubernatio demandata effecturi, vt pro meritis vnusquisq; plectatur turbulentus.

Prætereà de captiuatis Senatoribus, alijsq; ità vnanimiter, & concorditer conclusimus, quòd siquidem superiori hyeme Ienecopiæ statuerimus, atq; deciderimus, vt cùm Stocholmiam postmodùm

dùm conueniremus, eorum criminibus probè examinatis, nocentes meritâ plecterentur pœnâ nos adituros, ideò proposito nostro sine vlteriori deliberatione nunc essemus parati satisfacere, si Illustrißimus Dux Carolus ità postularet, & hac vice finem imponere vellet illi controuersiæ, tempusq; modernum permitteret: Verùm vt S. C. nobiscùm coram omnibus christianitatis Monarchis, totoq; mundo sit excusata, nos nihil præter Iura, & iustitiam in hoc negotio factitaße, proindè S. C. & nos Regni Sueciæ Ordines decreuimus, quosdam Electores, & Principes Germaniæ rogandos, quò nonnullos viros bonos huc in Regnum expedire dignarentur, non velut controuersiæ huius iudices, sed accusationum nostrarum legitimarum auditores; Deinceps ità negotio examinato secundũ Iura Suetica, pro delictorum grauitate, cuiq; nocenti pœnam irrogandam. Quod si autem præfati Legati, tardiùs aliquantulùm huc aduolauerint, vbi S. C. Deo auxiliante, ex Finlandiâ redierit, denuò conueniemus, quo loco S. C. & nobis commodiùs visum fuerit, effecturi vt huic tandem aliquandò Tragædiæ, legitima imponatur catastrophe; Ad quod nos vnanimiter, secundum Iura, & iustitiam obligatos eße, auxilium & consilium ferre, fatemur.

Similiter à nobis concordibus animis, & suffragijs spontaneis hic conclusum est, quòd cùm Lubecenses ab amicâ illâ Transactione, Stetini quondam institutâ discesserint, omnes proximè euolutis annis merces, illuc à nostratibus transmissas arrestantes, nonnullas quoq; eripere, et diripere, nostris Sueonibus hoc pacto grandē persequutionē inferendo, permittentes; Ideò omnes Lubecensiū merces, vbicunq; tandem deprahensæ arresto detinebuntur, ipsiq; Lubecenses pro Regni hostibus habebuntur, eos omnibus viribus persequendo, & cunctis in hoc Regno priuilegijs anteà concessis spoliando, donec cum S. C. & nobiscùm in gratiam redierint, contumelijsq;, & detrimentis quæ S. C. & Regni Inhabitatores hoc pacto sustinuerunt, satisfecerint; Attamen nè iniuriam sibi illatam hac ratione, & rigore conquerantur, ità vnanimiter conclusum est, vt siquidem Lubecenses nuper S. C. litteris suis inuiserint, obnixè postulantes, quò hac controuersia per Commissarios quosdam, aut alios legitimos iudices examinaretur, & S. C. ijs responderit, sese ab inquisitione eiusmodi huius dissensionis non esse alienā; Quarè à nobis nonnulli Magnates transmarini, sicut etiàm à Lubecensibus sollicitandi, qui negotium hoc apud nos examinent, & diiudicent, vtraq; parte,

parte, legitimæ dominorum arbitrorum sententiæ firmiter acquiescente.

De quibusdam verò Reipub. nostræ seruitoribus, atq; subditis, extra & intra Senatum constitutis, qui ex Regno profecti, perniciosas quasq; patriæ suæ intentant machinationes, cum nonnullis eiusdem factionis in patriâ remanentibus, illudq; ipsum factitantibus; Sicut etiàm de eorum vxoribus, & possessionibus quas adhuc in Regno possident, itá consensimus & conclusimus, vt quotquot hinc discesserint, aut in Regno remanent, eorum caussa progressu temporis coram Regni Ordinibus, diligenti examinatione discutiatur, & quicunq; litteris, aut alijs molitionibus deprahensi fuerint, consilia aut auxilia illis contulisse, qui contra patriam sese hostiliter, et malignè opposuerunt, cum ijs, & eorum bonis secundum Iura Suetica procedatur: Interim autem donec caussa legitimè examinata, & diiudicata fuerit, bona eorum mobilia, & immobilia (vxorum, & liberorum bonis iure exceptis) sub arresto Coronæ detinebuntur; Illæ tamen fœminæ, quæ in hoc negotio viris suis consilium & auxilium communicasse depræhenduntur, similiter relegandæ, eaq; pœnâ quam Iura Suetica præscribunt mulctandæ; Verùm eæ coniuges quæ cum viris nullas conspirationes, hac

 ex parte habuiße fuerint legitimè inuentæ, eâ bonorum parte, quã Iura illis attribuunt, sunt fruituræ, atq; in hoc Regno quamdiu sese quietè, & tranquillè geßerint, remansuræ.

Ad extremum concordibus suffragijs à nobis statutum est, quòd licet in priuilegijs Nobiliũ permißũ sit, vt quibus territorialis iudicij authoritas, reditusq; feudo ceßerunt, eam partem mulctæ pecuniariæ retineant, quæ territorio adiudicata est; Tamen cùm illud repugnet è diametro Iuri Suetico, iustumq; sit vt quilibet sine impedimento suâ prærogatiuâ fruatur, ideò quodlibet territorium dimidium illius trientis, quem Iura territorio adscribunt, & iudices territoriales hactenùs obtinuerunt, consequetur, vt in qualibet ditione necessitate exigente, sit in promptu aliquid, quò opus non sit toties Regnum contributionibus, & nouis exactionibus onerare; Vndè etiàm Indigenæ territoriorũ ijs prouidere poterint de viatico, quos ad Comitia, aut alia negotia publica expedienda subindè ablegant: Quamobrem eiusmodi prouentus in scrinio territoriorũ, sub quorundam fidelium virorum, sigilloq; territorij adseruabuntur; Altera autem pars trientis, iudici territoriali cedet, velut anteà. Verùm in criminalibus ad Regem spectantibus, apud iudicum proprios subditos deprahensis,

hensis, prout in priuilegijs à Rege Iohànnè datis (inclytæ recordationis) expreßum & permissum, est procedendum.

Epilogi igitur loco, quemadmodùm anteà humiliter postulauimus, vt Illustrißimus Dux Carolus, qui semper in hodiernum vsq; diem, patriæ nostræ commodo inuigilauit, nulliq; diligentiæ huius nomine pepercit, fuitq; secundum Deum vnicus, à quo auxilium & defensionem obtinuimus, ob quæ beneficia S. C. quàm humillimas agimus gratias: Ità adhuc obnixè flagitamus, vt S. C. eorundem inposterùm gerere velit curam negotiorum, nihil addubitantes quin S. C. suo promißo, & pollicitationi satisfactura sit.

Nos vicißim promittimus, & spondemus, quòd S. C. omnem obedientiam exhibituri simus, fideliter ea omnia exequendo, quæ S. C. pro communi patriæ nostræ commodo, nobis commendatura; Atq; quousq; certus aliquis Rex, secundum Vnionem hæreditariam Diadema Regni acceptauerit, & Illustrißimus Dux Carolus christianè, legitimè, & iustè nos gubernauerit (prout nobis certo certius de S. C. persuademus) nullum alium gubernatorem acceptaturi, neq; ab vllo alio gubernandi, quàm à S. C. duntaxat: Ideò si aliquis deprahenderetur, qui palàm, aut clàm, consilio vel

auxi-

 auxilio S. C. strueret insidias vitæ, aut S. C. Posteris, & nostrûm aliquis eiusmodi subodoraret, minimè occultaturus, sed propalaturus, auxiliando vt pro meritis plectatur.

Insuper cùm omnes homines mortis imperio sint subiecti, proindè vbi Illustrißimo Principi Domino Carolo, viam vniuersæ carnis ingredi contigerit (quod inclemens fatum clementißimus Deus ad multos annos prolonget) quandò S. C. Regni gubernaculo aßidet, interim dùm aliquis eorum ad legitimam ætatem peruenerit, qui secundum Vnionem hæreditariam Diadematis Suecani sunt hæredes, illum pro Regni gubernatore, quem S. C. in vltimo suæ voluntatis testimonio nobis commendauerit, & clauum Reipub. commiserit, agnoscemus, et obseruabimus, siuè vnus ille fuerit, siuè plures, qui nobis vtiles esse poterunt. Sin autem fortè contingeret ob repentinam S. C. ex hac vitâ migrationem, vt neminem S. C. in suum locum substitueret, promittimus honestos, discretos, & probos viros nos designaturos, qui nobis in regimine præsint, quiq; teneantur minorennes Dominos, ex familiâ Regis Gustaui adhuc in Regno superstites, velut Serenißimum Ducem Iohannem, & Ducem Gustauum Adolphum, ex consilio S. C. Illustrißimæ derelictæ Coniugis, in christianis,

ſtianis, & ducalibus virtutibus educandos curare, vt cùm ad legitimos annos peruenerint, Regno Sueciæ in regimine ſint vtiles, ad quod diuina Maieſtas ſuam benedictionem, & gratiam largiri dignetur.

Deindè velut ſuperiori hyeme nos S. C. reſöluimus, promittentes feriò, & aſſecurantes, vt ſi S. C. aut Sereniſſimæ Coniugi, vel Liberis violentia aliqua, aut iniuſticia per armorũ tumultus, aliaue infortunia, clàm aut palàm irrogarentur, eò quòd S. C. Regni, & Poſteritatis noſtræ gratia, ſeſe hoſtibus noſtris obiecerit, neq; nos, aut noſtros ſucceſſores in id conſenſum vnquàm præbituros, aut S. C. in iuſtiſſimâ ſuâ cauſſâ deſerturos: Pari ratione nunc per honeſtatem noſtram, fidem chriſtianam, & veritatem ſpondemus, vt ſi Rex Sigismundus, aut propreſſu temporis S. M. filius, ad quem regimen ſecundum pacta hæreditaria deuolui poterit, aut alius quicunq; tandem in regium Thronum aſcendens, quidpiam contra S. C. aut illius chariſſimam Coniugem attentare vellet, quod Iuri, & rationi foret diſſentaneum, illi, & omnibus ijs qui eiusmodi moliuntur, pro viribus, & facultatibus noſtris reſiſtemus, et pro S. C. Coniugis q; dilectiſſimæ, & Liberorum protectione, neq; vitæ, aut facultatibus vllis parſuri ſumus, haudquaquàm

permittendo vt aliquâ iniuriâ afficiantur. Hæc omnia tàm pro nobis hic præsentibus, quàm absentibus, & omnibus nostris successoribus, spontè, vnaniminter, firmiter, & inuiolabiliter nos seruaturos, & facturos promittimus, vt nunquàm violaturi, modernis aut futuris temporibus, ità nos Deus quoad animæ, & corporis salutem adiuuet: Pro maiori autem confirmatione, & certitudine humiliter, & submissè Serenissimum Dnum Carolum, Regni Sueciæ hæreditarium Principem, Ducem Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ rogauimus, quò S. C. hanc nostram Vnionem, & Constitutionem manu suâ, & sigillo ducali penes nostra appositis confirmare, & roborare dignaretur. Datum & exaratum Stocholmiæ 24 Iulij, anno incarnationis filij Dei 1599.

QVicquid verò in hisce Comitijs à nobis Regni Ordinibus conclusum fuit, idipsum protinùs litteris compræhensum, ad Regem Sigismundum transmisimus, humiliter obsecrantes, quò S. M. citra spacium semestre, super petitione nostrâ sese resolueret, velut proximus litterarum contextus demonstrat.

Obsecrant Regni Ordines vt R. M. in Sueciam mittat filium suum.

POtentissime, & Serenissime Rex, V. M. nostra humillima, & promptissima deferimus obsequia, insuper hisce non sine grauissimâ causâ M. V. significantes, nobis nullum dubium esse, quin humillimæ nostræ litteræ, quas superiori hyeme, nos Regni Sueciæ ordines Enecopiæ constituti, ad M. V. submissè destinauimus, dudùm sint M. V. oblatæ, in quibus vnanimiter, & expressè nostram M. V. sententiam patefecimus; Quòd siquidem M. V. ipsamet, proprio discursu assequi non difficulter poterit, in hoc commissum esse delictum insigne, quod M. V. nobis

Regni Sueciæ Ordinibus, suo Iuramento, & litterariâ Aßecuratione, coronationis tempore secundũ Iura Suetica promisit, & spopondit; Sicut etiàm deinceps multò deterius actum esse, contra eam Transactionem amicam, quam M. V. cum Illustrißimo Principe Dno Carolo, proximo autumno sub Lincopiâ iniuit, ideò horum emendationem dignaretur V. M. quantocius prouidere, super his erga S. C. atq; nos sese hoc pacto resoluens, vt ea de M. V. nobis persuadere possemus, quæ fidis, & obedientibus subditis à mansueto, & benigno Rege sunt expectanda, suamq; mentem citra quadrimestre spacium deinceps reuelaret.

Verùm tantùm abest, vt M. V. responderit hactenùs nostris litteris, & petitioni, vt etiàm in veritate cognoscamus, quòd porrò machinationes agitentur, quâ ratione V. M. denuò huius controuersiæ negotium aduersum nos redintegret, in patriæ suæ perniciem, atq; desolationem, sicut ex ijs Mandatis, quæ Stationarij illi Finlandiæ, Liuoniæ, & alij consequuti sunt, atq; etiàm ex eâ nauium bellicarum expeditione, quam Dantisci, & in alijs molitur V. M. vrbibus, liquidò colligere licet. Itaq; cùm probè intelligamus, quòd licet optimè nos erga M. V. exhibeamus, M. V. ad patriæ nostræ vtilitatem instigantes, & admonentes, tamen nullam subsequi emendationem, & in veritate deprehendamus, quòd inposterùm nulla securitas, & fidelitas nobis à M. V. sit expectanda, & speranda; Sed velut hactenùs subdolis Pontificiorum machinationibus, aliorumq; hominum inquietorum suasu V. M. seducta ad id, quod superioribus annis molita est, Ità quoq; adhuc M. V. in cunctis procedit, omnibus in eum scopum machinationibus directis, quò nos, & patriam nostram charißimam, pontificiæ Religioni, atq; iugo subijciat: Quocircà horum, atq; aliorum nomine negotiorum, hoc tempore conuenire sumus coacti, ac post sedulam rerum omnium discußionem, hac ratione conclusimus, & nos vnanimiter coniunximus, conspirauimusq;, Vt quandoquidem benè animaduertamus, quòd nisi eiusmodi illegitimo regimini, tàm in hoc Regno, quàm in Finlandiâ, & Esthoniâ aliquandiu vigenti, tempestiua sanè adhibita fuerit emendatio, in Regni Sueciæ, & nostram omnium perniciem, atq; ruinam illud ceßurum, proindè M. V. post hodiernum diem, pro nostro Domino, & Rege agnoscere non posse, aut velle, nec M. V. imposterùm subeße imperio; Sed fidelitatis iu-

 ramento, quo hactenùs M. V. secundum Iura, & Pacta hæreditaria obstricti fuimus, omninò absoluti M. V. prorsùs renunciamus: Enimverò coram Deo altißimo protestamur, atq; confitemur, nos ad hoc multis rationibus compulsos esse, quas propediem toti mundo manifestas reddemus.

Atq; licet etiàm iustißimam haberemus caussam, V. M. hæredes masculos huius Regni quoq; Diademate spoliandi, vt illo nunquàm potirentur; Attamen vt M. V. eam adhuc benignitatem liquidò perspiciat, quam erga regiam illam propaginem habemus, nos offerimus, & M. V. deferimus, quòd filium M. V. pro Domino, & Rege nostro acceptare, & venerari simus parati; Eâ tamen conditione, si V. M. intra sex menses posthac computandos, sese resoluerit, quòd filium suum in hoc Regnum sit missura, illum Serenißimo Duci Carolo, velut proximo, & propinquiori tutori, alijsq; probis, & fidelibus viris in hoc Regno commendando, in verâ Euangelij doctrinâ (cui nos in hoc Regno adstrinximus) atq; in nostro idiomate, moribusq; educandum, memorato Principe M. V. filio, citra spacium semestre, post illud tempus in hoc Regnum expedito; Tùm sanè præ reliquis omnibus, cum pro legitimo nostro Domino, ac Rege cognituri, & accepturi sumus, vbi ad eam ætatem peruenerit, in quâ nobis, & Regno vniuerso præsidere, eoq; pacto assecurare, quo secundum Iura, et Regni huius antiquam Iurisdictionem, consuetudinemq; oportet. Verùm si M. V. intra præfatos menses super hoc sese non resoluerit negotio, atq; filium suum intra subsequens in hoc Regnum non expediuerit semestre, commemorato pacto educandum, illi prorsùs ità renunciatum cupimus, vt neq; ille, aut eius progenies, vel vllus de M. V. Succeßoribus ad huius Regni thronum habiturus sit vnquàm acceßum, aut potestatem, vel spem nostro regemine potiundi: Quâ ratione V. M. ipsamet se, & suum filium regali apud Sueones dignitate orbauit, nosq; coram Deo, & vniuerso orbe christiano excusati cupimus esse, huius exorbitationis à nobis caußam nullam porrectam; Deinceps, diuino freti auxilio, nobis Dominum, atq; Regem illic circùmspecturi, quò nos Vnio hæreditaria dedùcit, & illum demonstrat, qui nos in vero Dei cultu, & secundum iura Suetica regat, & defendat: Quandoquidem sub pontificio imperio, & seruitute post hunc diem viuere, nullâ ratione decreuerimus; Sed ab illis, velut dictum est, expediri, atq; liberati esse cupiamus. Deniq;

Deniq; si hac de causâ V. M. *nobis, & patriæ nostræ clàm, aut palàm hostile aliquid machinata fuerit, de suppetijs amicos, & amicorum amicos sollicitabimus, sicut etiàm nos ipsimet vnanimiter conspirabimus, in propulsandâ à capitibus nostris iniuriâ, violentiâq; neq; bonis, aut vitæ ipsi parcendo,* Deo *nobis gratiam, & constantiam largiente.* Hæc M. V. *celare noluimus, hisce diuinæ protectioni commendantes.* Datum *Stocholmiæ* 3. *Iulij, anno* 1599.

QVòd verò *hac ratione* Regi *Sigismundo renunciauerimus, ab illo, & eius peruersis molitionibus luculenter permoti sumus, velut præfatis rationibus abundè demonstratum est, & posthac fusiùs declarabitur:* Atq; *licet secundum iura, iustitiam, & rationem, caußam habuißemus, illi, & eius hæredibus masculis ità renunciandi, vt secundum* Vnionem *hæreditariam, ad sceptra* Regni Succiæ *nullam essent habituri* Iurisdictionem; Noluimus *tamen filio delicta parentis imputare,* Verùm *vt* Rex Sigismundus *nostram porrò erga se, & suam progeniem, propensam cognosceret affectionem, postulauit vnà nobiscùm* S. C. *vt suum filium in hoc* Regnum *expediret, in verâ* Euangelij *doctrinâ (cui nos adstrictos fatemur) educandum, quem postmodùm pro legitimo nostro* Domino, & Rege *cognituri, & obseruaturi;* Tenebatur *autem* Rex Sigismundus *citra spacium semestre super desiderio* S. C. & Regni *ordinum petitione sese resoluere, velut ipsæ litteræ attestantur:* Sed Rex Sigismundus *hoc contempsit, velut alia quæ* S. M. *anteà obtulimus; dignos nos minimè iudicans, vt vel vnico verbo in hodiernum* Vsq; *diem, super his animi sui desiderium nobis manifestaret:* Proindè *horum, atq; aliorum* Regni *gratiâ negotiorum, denuò commoti, & compulsi sumus, vt* Lincopiæ *mense* Martio, *anno* 1600, *conueniremus, in quibus* Comitijs *ordines* Regni Succiæ, *vnanimiter* Regi Sigismundo, & *illius gubernationi prorsùs renunciarunt, expreßè, atq; absolutè ab illo, & eius hæredibus, suum iuramentum, omnem fidelitatem, securitatem, & virilem aßistentiam, quibus* S. M. *fuerant anteà obligati, repetentes, atq; reuocantes, ità vt neq; ille, aut eius progenies vnquàm* Regni Succiæ *solio eßet potitura, sed prorsùs indè exturbata, penitùsq; exclusa, vnà cum* Parente; Quandoquidem *adeò indignè erga nos sese geßerit, sicut etiàm nostris litteris, & internuncijs nihil prorsùs responderit, ac clanculùm, nullo admonito, à nobis disceßerit, quæuis detrimenta deinceps*

 infligens: In præfatis ideò ferijs Comitiorum ità transactum est, vt vniuersi ordines Regni, de certo conspirauerint regimine, in Sueciâ, atq; Gothiâ postmodùm constituendo, velut ipsa Transactio Lincopensis, & Decretum sequenti patefacit contextu.

Comitia Lincopensia.



Os infrascripti Regni Sueciæ ordines, atq; Senatores, Comites, Barones, Episcopi, Nobiles, Ecclesiastici, copiarum militarium Duces, Ciues, & plebecula, in his Lincopensibus Comitijs congregati, omnibus quorum interest notum facimus, quòd siquidem superiori æstate, mense Iulio, in Comitijs à nobis Regni Ordinibus Stocholmiæ celebratis, inter cætera vnanimiter fuerit conclusum, vt cùm Rex Sigismundus in præiudicium auiti Testamenti, et admonitionis à verâ Euangelij doctrinâ exorbitauerit, peruersæ Pontificis religioni adhærens, & deinceps contra omnem naturalem affectum, per Pontificis subdolas machinationes, aliorumq; hominum inquietorum consilia, eousq; se deduci passus, vt S. M. peregrino exercitu stipata, in natale solum sese contulerit, quà Patruum suum Serenissimum D. Carolum, quà etiàm nos omnes, & vniuersam patriam vehementissimè persequutura, & quibusuis cladibus affectura; Vndè plurimi quoq; Sueonum, atq; peregrinorum ad extrema vitæ discrimina sunt protracti: Quo tempore sanè, si illa machinatio pro votis S. M. cecidisset, dubio procul, id

cul, id accidißet, vt non solùm erronea Pontificis doctrina, vniuerso huic Regno obtrusa, contra R. M. Iuramentum, & Aßecurationem (velut cuiq; exploratum, id propositi regio animo viguisse) verùm etiàm vitæ, & bonorum iacturam illi omnes sustinuißent, qui hac ex parte sese pro domo Dei opposuißent, firmiter regio Iuramento, & Aßecurationi, ac ijs laudabilibus Statutis, Transactionibusq;, quæ ab vniuersis Regni Ordinibus, diuerso tempore laudabiliter fuerant celebrata, adhærere cupientes.

Quamobrem, sicut etiàm propter alias plurimas, easq; maximas rationes, quæ ex typo propediem diuulgabuntur, summoperè coacti sumus, huiusmodi S. M. regimini prorsùs renunciare, omnem fidelitatem, & obedientiam, quibus omnes secundum Vnionem hæreditariam, & Iura Suetica obstricti R. M. fuimus, abdicando, prout præfatis Stocholmiæ Comitijs celebratis, vnanimiter conclusum, & pronunciatum.

Attamen insuper approbatum, potiùs ob eam animi propensionem, quâ in R. M. ferebamur, & adhuc erga illam progeniem regalem ferimur, quàm iure aliquo, ad R. M. filium spectante, vt si R. M. citra spacium semestre, post commemorata supputandum Comitia, sese vellet resol-

uere,

 uere, vtrùm filium suum in hoc Regnum expedire cuperet, Serenissimo Duci Carolo velut proximo, & propinquiori tutori, alijsq; probis, & fidelibus Regni Sueciæ viris commendandum, atq; in syncerâ Euangelij doctrinâ instituendum; Hac conditione præfatum Principem R. M. filium, intra sex menses illud semestre comitantes, in Sueciam destinatum, præ omnibus alijs pro legitimo nostro Dno, & Rege, illum cognosceremus, & acceptaremus vbi ad eam perueniret ætatem, in quâ nobis, & vniuerso Regno præsidere, ac eo pacto assecurare posset, quo secundum Iura, & Regni huius veteres prærogatiuas, consuetudinesq; assecurare par est. Verùm si R. M. intra præfixum temporis spacium, super his conditionibus sese non resolueret, neq; filium suum citra spacium, illud semestre immediatè subsequens, prædicto modo in hoc Regno educandum transmitteret, omninò Diademate, & regimine Suetico etiam filius exutus foret, ità vt neq; ille, aut eius posteritas vnquàm ad Regale Sueciæ soliũ habitura foret accessum; Sed & pater, & filius ex illo deturbarentur, sicut ipsum Decretum Stocholmense porrò attestatur; Proindè R. M. protinùs perscriptum, quâ ratione super hoc negotio esset statutum, humili adiunctâ petitione, vt R. M. super desiderio Ordinum Regni Sueciæ sese quamprimùm resolueret. Iniq;

Itaq; cùm Rex Poloniæ necdùm quicquam hoc super negotio responderit, non solùm sex mensibus interim euolutis, quibus R. M. animum suum declaratura: Sed etiàm illud tempus nunc labatur, citra quod R. M. filius in Regnum fuerat transmittendus, vt quinq; duntaxat ex præscripto tempore restent menses, nullo prorsùs de illius aduentu increbescente rumore; Ea præter etiàm alia negotia interim inciderint, quæ pro emolumento Regni perpendenda, atq; decidenda; Ideò nos Regni Sueciæ ordines, Illustrißimi Principis litteris conuocati, & hac neceßitate stimulati huc confluximus, eiusmodi negotia pro neceßitate, & dignitate æstimaturi, & conclusuri, atq; jam de omnibus articulis ità conuenimus, & statuimus quemadmodùm sequitur.

Inprimis, etiamsi S. C. quantùm ad illum de Regni gubernatione articulum, id consilij communicauerit, multisq; ostenderit rationibus, se regiam dignitatem, nomen, vel titulum minimè affectare, aut desiderare, in quo tamen vt consentiret, S. C. obnixè postulauimus; Tamen quandoquidem vt præmemoratum est, quinq; adhuc menses residui sint, citra quos postulauimus vt R. M. Poloniæ suum expediret ad nos filium, ideò etiàm præfato temporis spacio S. C. censuit nobis præstolan-

 dum;

 dum; Atq; si tùm temporis ità vsu veniret, vt R. M. suum filium citra præfatum temporis spacium in hoc Regnum transmitteret, ijs conditionibus, quibus eum postulauimus, pro nostro, & Regni totius Rege illum acceptaremus, & retineremus, nec vllum alium vbi ad annos regimini idoneos perueniret; Absoluto tamen Regni non admittendus regimini, priusquàm in legitimis annis foret constitutus, nimirùm vigesimo quarto ætatis anno: Intereà temporis siuè R. M. filius in Regnum adueniret, siuè non, Illustrißimus Dux Carolus sub ætate minorenni hoc principe constituto, gubernaculo Regni aßideret. Verùm si fortè fortunâ accideret, vt S. C. vitæ vsurâ priuaretur, priusquàm memoratus Dnus minorennis, alijq; de eadem familiâ Principes, ad legitimam peruenirent ætatem, vnanimis, atq; concors nobis ineunda conspiratio super vno, aut duobus, vel ad summum tribus, quos gubernationi in patriæ emolumentum fideliter præfuturos cognosceremus, designandis, quibus fidelem omnem obedientiam exhibituri eßemus, illisq; qui hac ratione Reipub. gubernatores, & minorennium Principum tutores constituti fuerint, obligati eßent vt quàm diligentißimè curarent, præfatos Dominos in verâ Euangelij Religione, & omnibus christianis, atq; regijs

regijs virtutibus, moribusq; educari, Regno Sueciæ, & illius emolumentis ità in omnibus rebus inuigilantes, prout coram Deo, & progreßu temporis apud Illustrißimos Principes, Regniq; Ordines, sicut etiàm Christianitatem securè vellent, poßentq; respondere.

Cùm verò Regis Sigismundi filius, regio Sueciæ Throno potiretur, Regni Ordinibus, prout par eßet, omnimodè aßecuratis, suo Patruo Illustrissimo Duci Iohanni, de honestâ, atq; ducali sustentatione prouisurus eßet, præcipuè illo Ducatu, quem (inclytæ memoriæ) Dux Magnus, in Ostrogothiâ quondam poßedit, eũ contentando; Illis tamen bonis exceptis, quæ Serenißimi Ducis Caroli Ducatui in Ostrogothiá adiecta, & litteris confirmata sunt, quorum loco Serenißimo Duci Iohanni, alia bona aßignanda forent, reditibus non inferiora illis, quæ Dux Carolus obtinet, eumq; Ducatum cum eiusmodi priuilegijs Dux Iohannes poßideret, sicut Regis Gustaui (celeberrimæ recordationis) Testamentum, & litteræ donationis Duci Magno, super hoc datæ testantur, & exigunt: Deinceps Dux Iohannes pro suâ parte nihil ampliùs ex Regno expetendum haberet, ijs bonis hæreditarijs duntaxat exceptis, quæ ad S.C. paternæ, & maternæ hæreditatis nomine iure deuolui po-

terunt. Alter autem minorennis Dnus, Illustrissimus Princeps Dux Gustauus Adolphus, Parentis sui Serenissimi Ducis Caroli, sine impedimento integrum aditurus, & occupaturus esset Ducatum, ijs quidem ducalibus priuilegijs, sub quibus illum Dnus Parens possedisset.

Atq; si Rex Sigismundus citra tempus præscriptum, filium suum in Sueciam non expediret, pari secum ratione, Diademate Regni Sueciæ, & Iurisdictione illum spolians, nemo præter Illustrissimum Ducem Carolum, quoad lucis huius vsurâ frueretur, Regni gubernaculum moderandum susciperet; Sin verò contingeret S. C. è viuis discedere, priusquàm aliquis nostrorum minorennium Dominorum, ad legitimam ætatem transcenderet, eum pro Regni gubernatore accepturi essemus, quem S. C. in vltimo suæ voluntatis testimonio, ad hoc munus promoueret, velut vno ab hinc anno, Ienecopiæ vnanimiter consensum, & approbatum est. Aut etiàm si eiusmodi successoris substitutio, ob repentinam S. C. ex hac vitâ migrationẽ, vel etiàm pro singulari suâ prudentiâ, Sereniss. Dux Carolus superstes, de hoc nihil constitueret, denuò de duobus fidelibus Reipub. viris vnanimiter, & concorditer eligendis conspiraremus, qui fideli clauum Regni moderarent dexterâ. Cùm

verò

verò Illustrissimi Domini minorennes, legitimam attingerent ætatem; vt ipsimet manum Regni clauo admouere possent, cum vnanimi consilio, et consensu ex præfatis Dominis in Regem Sueciæ eam designaremus, quem Regni vtilissimum gubernationi deprahenderemus, siuè contingeret secundū lineam hæreditariam Regis Iohannis filio, Illustriss. Duci Iohanni hæc regalis dignitas, siuè etiàm ex ducali familiâ, Sereniss. Principi Duci Gustauo Adolpho, aut alijs pro tempore superstitibus, cum pluribus conditionibus requisitis, quas S. C. partim de regimine, partim etiàm de assecuratione ab ijs deponendâ, qui ad gubernationis munus promouendi, condidisset, & præfixisset.

Veruntamen S. C. multâ persuasione, humili petitione, & admonitione ad aliam deduximus opinionem, de quâ, sicut etiàm de alijs subsequentibus articulis hac ratione conspirauimus. Inprimis cùm Rex Sigismundus, velut anteà inculcatum est, partim hac de caussâ eam iurisdictionem amiserit, quam S. M. ad Regni Sueciæ habuit Coronam, quòd ab auito exorbitauerit Testamento, & verâ Euangelij religione contemptâ, Pontificiæ religionis acerrimum sese præbuerit sectatorem, quam omnibus in hoc Regno etiàm obtrudere meditata; Partim etiàm quòd binis

 vici-

 vicibus ex hoc Regno, nobis inscijs, discesserit, postmodùm contra omnem naturalem, & christianum affectum, Iuraq; Suetica, peregrino in natale solum milite, copiosissimè, iuxtà ac infensissimè aduecto, & aliâs multis modis in praeiudicium sui Iuris iurandi, litterariaeq; Assecurationis, quae nobis omnibus praestitit, actitauerit; Atq; nunc ad extremum, non tanti nos fecerit, vt vel hactenùs vnicâ syllabâ humillimae nostrae petitioni, atq; litteris ad S. M. expeditis respondere dignaretur, in quibus significauimus, nos S. M. filio Regni Sueciae Axioma deferre, si intra praescriptum tempus in Regnū expediretur, modoq; & ratione praedictis educaretur. Quocircà eidem S. M. filio, alijsq; eius haeredibus, & successoribus prorsùs renunciamus, omni iurisdictione, quae aliâs secundum Vnionem haereditariam ad eos iure spectaret, illos exuendo, ità vt neq; R. M. aut vllus de eâ progenie, posthac quicquam iuris ad Diadema Regni Sueciae sit habiturus, prorsùs omni obligatione, quâ S. M. & eius haeredibus tenebamur obstricti, nos subducendo; Sicut etiàm omni fidelitati, securitati, et virili assistentiae R. M. anteà praestandis renunciando.

Quanquàm verò Illustrissimo Duci Iohanni, secundum Vnionem haereditariam, iam regia foret dignitas committenda; Sed quandoquidem, perpen-

perpendamus, atq; metuamus nè S.C. Regio Sueonũ culmine constitutâ, & amore permotâ naturali, cum fratre suo, aut eius hæredibus ea pacta ineat, et consentiat; quæ in nostram, & patriæ totius vergent perniciem extremam, in hoc vnanimiter conspirantes, vt vindictam de Illustrißimo Duce Carolo, aut illius successoribus earum rerum poscant, quæ hoc turbulento tempore, iustißimis quamuis de caußis, aduersus Regem Sigismundum, & eius familiam, consanguineosq; actitatæ in hoc Regno, fiatq; hoc pacto malum posterius, priore peius, vt vix vnquàm pacem huic Regno restituendam, spes aliqua sit emicatura; Prætereà Regni, & huius temporis moderna conditio, iure suo postulat, vt certum prospiciamus hac tempestate Regni gubernatorem, nisi plurima magni momenti negotia neglectum iri velimus, non absq; incomparabili totius Regni detrimento, ex quibus nostra salus dependet, neq; proindè à puero expediri queunt. Itaq; vnanimi consilio, & consensu statuimus, vt Illustrißimo Principi Iohanni, de honestâ, & ducali ex Regni prouincijs sustentatione prouideatur, vnanimiter illum deferendo, & aßignando S. C. Ducatũ, quem S. C. Patruus (christianæ recordationis) Dux Magnus in Ostrogothiâ poßedit; Illis tamen bonis exceptis, quæ Serenißimo Duci

Carolo,

Carolo, ex præfato Ducatu perpetuò sunt, vigore litterarum super hac re datarum concessa, quorum loco Illustrißimus Dux Iohannes, alia eiusdem valoris reportabit prædia, velut Braborg, et Leckö, cũ horum bonis feudalibus, alijsq́; quæ præfatos reditus adæquare poterunt. Hunc autem Ducatũ Dux Iohannes ijs poßeßurus conditionibus, quas Regis Gustaui Testamentum, & litteræ donationis, Duci Magno super hoc traditæ, commemorant, atq́; ità præfatus Princeps his contentus, nihil ampliùs pro suâ parte, ex Regno petiturus, ijs bonis hæreditarijs exceptis, quæ ad illum ratione hæreditatis paternæ, & maternæ spectare poterunt. Neq́; integrum S. C. futurum, quicquam de suo Ducatu, vel bonis hæreditarijs, ad poßeßionem perpetuam alicui donare, nisi id fiat tali conditione, vt Regnum aliquam iuris dictionem circa illud progreßu temporis exspectet. Atq́; etiàm idem Dux Illustrißimus obligatus erit, nemine in suis seruitijs vti, qui discordiam inter Regalẽm, & Ducalem familiam seminare intendit; Sed semper quàm diligentißimè, & fidelißimè ad ea incumbet, quæ concordiæ, & optimæ fiduciæ inter consanguineos conciliandis, & stabiliendis quàm maximè seruiunt, ac in commune patriæ emolumentum, & subsidium suo pondere vergunt.

Quan-

Quandoquidem etiàm Sereniſſimus Dux Carolus, vnicus ſecundum Deum fuerit, qui diuino auxilio fretus, præſentiſſimo vitæ diſcrimine, moleſtijs, atq; ſumptibus nos, & patriam noſtram, ex tenebris Pontificijs, & ſeruitute peregrinâ, vindicare pro virili elaborauerit, quæ ceruicibus noſtris iniectare noſtri voluerunt aduerſarij; Et aliâs pro nobis, & noſtrâ ſalute, commodoq; tàm in ſpiritualibus quàm corporalibus negotijs ſanguinem, & vitam ſuam, omnemq; poſſeſſionem in diſcrimen adducere non dubitauerit, non ſolùm hoc tempore, ſed aliquot vicibus anteà, clementer promittens inſuper, atq; ſpondens, quòd S C. inprimis, et ante omnia nobis omnibus et ſingulis, Eccleſiaſticis & Politicis, ſummis & infimis, cuiq; pro ſuo ſtatu, & conditione in chriſtianâ, & ſyncerâ Euangelij religione (cui nos omnes in hoc Regno firmiter alligauimus) viuere ſit permiſſura, nullâ re prorsùs in eâ fide variatâ, ſed velut in Concilio Vbſaliæ celebrato, anno 1593. vnanimiter approbata fuit ſemper perſiſteret: Sicut etiàm Iura Suetica, & vniuscuiusq; à Maioribus acquiſita priuilegia, atq; libertates nullo pacto transgreſſura, vt S. C. horum nomine Regni huius gubernationem, præ reliquis promeruiſſe, & iure acquiſiuiſſe videatur. Proindè his, atq; alijs

 maxi-

 maximis de caussis commoti fuimus, vt modò velut etiàm aliquot vicibus anteà, vnanimiter & concorditer postularemus, quò S. C. dexteram regimini admouere, & verticem Diademati submittere dignaretur.

Quod tamen S. C. etiàm atq; etiàm renuit, & detrectauit, varijs rationibus à S. C in contrarium allatis, etiamsi diligenter, & assiduò S. C. super hoc sollicitauerimus, atq; rogauerimus: Nihilominùs tamen S. C. ad extremũ tandem se clementer, secusq; permoueri passa, nempè quòd proximum quinq; mensium spaciũ, inuitationi Principis Wladislai assignato expectare vellet, promittens se postmodùm nostræ humili petitioni locum clementer assignaturam; Interim tamen S. C. cum suis affinibus, atq; amicis in exteris constitutis, super hoc consultatura, & cognitura, quid nimirùm S. C. super hoc negotio suadeant, atq; consulant quàm vtilissimum esse. Nos vicissim vt S. C. toti mundo excusata reddatur, quòd neq; minis, aut pollicitationibus ad gubernaculum sese intruserit, sed à nobis vnanimiter ad regimen capessendum frequenter molestata (quandoquidem nostra, & totius Regni fælicitas, eiusmodi gubernatorem magnoperè postulauerit) Ideò apud omnes christianitatis Monarchas, S. C. ab eiusmodi suspi-

ſuſpicione, atq; ambitione, omninò liberatam cupimus, & rogamus, ſicut etiàm coram Deo, & quouis honeſto viro proteſtamur, S. C. in his ſatis eſſe excuſatam.

Quamobrem hiſce in nomine, atque inuocatione ſanctiſsimæ, & indiuiduæ Trinitatis, vnanimiter & concorditer, ac ex voluntate ſpontaneâ approbamus, & confirmamus, neminem ſcilicet alium, quàm Illuſtriſsimũ Principem Ducem Carolum, Regem noſtrum futurum, cui etiàm hiſce litteris vnanimiter & concorditer omnem obedientiam, fidelia obſequia, ſecuritatem, & virilem aſsiſtentiam, velut naturali, & dilecto Regi noſtro promittimus nos exhibituros; Vt etiàm fideliter ea omnia exequuturos, quæ S. C. in ſuum, atq; totius patriæ commodum iniunxerit, ac mandauerit: Nec minùs pro S. C. & illius incolumitate, vitæ & ſanguini, poſſeſsionibusq; noſtris minimè parſuros. Quanquàm verò S. C. Regni Diadema renuat acceptare; Tamen ſiuè fuerint adhibiti Coronationis ritus, & ceremoniæ, ſiuè non, nihilominùs agnoſcemus, & obſeruabimus S. C. pro legitimo noſtro Dno, & Rege, illi omnem regiam iuriſdictionem, & nulli alteri exhibentes, atque præſtantes.

Præterea conſenſimus, & confirmauimus vt

 ſecundum S. C. ex hac vitâ migrationem (quam Deus omnipotens ad multos annos procraſtinare dignetur) filius S. C. Illuſtriß. Princeps Guſtauus Adolphus, ad Coronam Regni Sueciæ acceptandam proximus ſit, & poſt eum legitimi illius hæredes maſculi, ab hærede ad hæredem, quousq; vel vnicus ſuperſtes fuerit: Verùm ſi S. C. quod Deus auertat, ſine hæredibus maſculis ex hac vitá migraret, aut etiàm eius ſucceßores, vt nemo ex eâ lineâ ampliùs legitimus hæres maſculus ſupereßet, tùm promittimus, atq; ſpondemus pro nobis, & noſtris ſucceßoribus, nos neminem deinceps ad Regni Sueciæ ſolium ſublimaturos, præter Illuſtriß. Ducem Iohannem, ſi in viuis fuerit, aut etiàm eius legitimos hæredes maſculos, ſi aliqui ſuperfuerint, & quamdiu illa linea perſtiterit, gubernaculo Regni Sueciæ, præter eius hæredes nemo aßidebit. Proindè ſi Illuſtrißimus Princeps Iohannes, aut illius ſucceſſores, ad regium promouerentur faſtigium, vnà cum illo promittere, & ſpondere tenebuntur, ſe, & ſuos ſucceſſores cum Rege Sigismundo, vel eius hæredibus nullum vnquàm pactum, aut vnionem inituros; Præſertim hoc modo vt ad aliquam partem, aut gubernationem in hoc Regno tranſcendant; Sicut neq; eos pro ſuis Conſiliarijs, & ſeruitoribus electuros, qui aliud ſuaſuri vi-

rivi-

ri videntur, quàm quod ad internam concordiam spectet, et pacē Regni augeat, confirmetq; Atq; ante omnia cauebit Illustrissimus Dux Iohannes, cum suis successoribus, nè ullâ ratione sese ad erroneam Pontificis doctrinam permoueri patiatur; Nisi ille cum uniuersâ suâ progenie, huius nomine eam iurisdictionem amittere velit, quam ad Regnū Sueciæ habet, prout S. C. accidit fratri: Quandoquidem hisce pronunciatum, & conclusum velimus, quòd nemini inposterùm ad Regni thronum aditus concedetur, qui nobiscùm in verâ Euangelij religione (cui nos omnes adstrinximus) non fuerit consentiens.

Quòd si verò noster Serenissimus Princeps, & Rex electus Dux Carolus, priùs vitam cum morte commutaret, quàm S. C. filius Dux Gustauus Adolphus ad eam ætatem, quâ Regimini manus ipsemet admouere possit, deuenerit, (gubernatione autem absolutâ non est potiturus, priusquàm annum vigesimum quartum attigerit) tùm temporis ità conclusum, & consensum volumus, vt eum pro Regni, & minorennis Domini moderatore, tutoreq; agnoscamus, quem S. C. in vltimo suæ voluntatis testimonio, ad hoc designauerit ex fidelibus Regni Sueciæ, & non peregrinis viris, cui omnem obedientiam, in emolumentum

minorennis Domini, & totius Regni fælicitatem, exhibituri sumus. Hæc omnia promittimus, & spondemus per honestatem nostram, fidem christianam, veritatem, et perpetuã animæ nostræ salutem, nos sine malo dolo fideliter, & inculpabiliter seruaturos, et absq; bonis aut malis medijs, aut quacunq; fraude ab hominibus excogitatâ, ità nos DEVS quoad animæ, & corporis salutem adiuuet.

Quòd attinet ad alia Regni negotia, in his generalibus Comitijs tractata, & decisa, de illis hoc pacto statuimus, nimirùm quòd adhuc de eo Missali, seu Manuali nouo à Clero nuper remisso, & quo inposterùm in Suecanâ Ecclesiâ Sacerdotes vtentur, deliberare velimus; Vt quandoquidem in illo adhuc nonnulla diligenti examine ponderanda, & illud per huius temporis angustias facere non licuerit; Ideò ad Clerum hoc negotium deuoluetur, vt super eo suam sententiam, responsum, & resolutionem proximè futuro Ordinum Conuentu deponat: Interim, et quousq; hoc fieri poterit, cum ceremonijs Ecclesiasticis in templis, prout Vbsaliæ anno 1593. conclusum est, procedetur.

Tertiò in his Comitijs nobis indicatum est, quid magni Ducis Moschouiæ Legatus, qui nuper Stocholmiæ apud S. C. fuerat, in mandatis habuerit, apud S. C. expediendum, & quale obtinuerit respon-

responsum; Atq; cùm Dux Moschouiæ in magni momenti negotijs, S. C. operam suam detulerit, consultum nobis videtur, vt porrò cum præfato Duce tractetur, ideoq; necessarium duximus, vt quamprimùm honorifica ad eum expediatur legatio, exactiùs magni Ducis sententiam, & opinionem cognitura: Verùm quænam huic negotio personæ vtiles sint, & quousq; Regni huius nomine, in confæderatione procedendum, prudentissimæ S. C. deliberationi humiliter perpendendum, & statuendum relinquimus; Siquidem nihil addubitemus, quin S. C. quà hoc, quà alijs modis, Regni, & nostram omnium fælicitatem, commodumq; consideratura, ac procuratura: Proindè quibus S. C. hanc expeditionem, & profectionem iniunxerit, obligati erunt spontè suam operam, ad eam prouinciam deferre, nemine sine legitimâ excusatione tergiuersante, aut renuente.

Quartò nobis ad deliberandum propositum est, quâ ratione cùm Lubecensibus sit procedendum, qui contra Stetinensem Transactionem, hostiliter S. C. & Regno Sueciæ sese opposuerunt: Itaq; licet S. C. & sua, & Regni nomine sufficientem caussam haberet, illas contumelias pleno modio remetiendi, quas S. C. & vniuerso Regno affatim exhibuerunt: Attamen modò, velut etiàm

 tiàm superiori æstate S. C. visum, quò viri boni vtrinq; rogentur, qui hanc controuersiam examinent, & S. C. ijs prorsùs contenta futura, quæ synceri arbitri, in hac re legitimè statuerint: Cùm verò eiusmodi consilium christianum, atq; justum sit, ac Transactioni Stetinensi inprimis conforme, ideò nobis consultum videtur, vt eâ ratione hoc negotium continuetur, & expediatur: Verùm si memorati Lubecenses ijs acquiescere nolint, quæ in hac controuersiá statuta, & diiudicata fuerint, in ijs seipsos non corrigendo, verùm illegitimas conditiones, & effugia circumspiciendo, tùm S. C. consilio, & auxilio freti, eâ speramus alacritate, & animositate negotium hoc contra eos promotum iri, quibus par est, et prout illi ansam prælargam porrexerunt. Intereà temporis dùm hæc dißensio à synceris arbitris examinatur, & deciditur, omni armorum contra Lubecenses expeditioni supersedendum, inhibitione solummodò illis factâ, nè vllam in hoc Regno negotiationem excerceant, priusquàm hæc litigatio ad prosperum finem fuerit deducta.

Quintò, de captiuis Senatoribus, & eorum caussâ qui ex Finlandiâ vocati, & nunc captiuati tenentur, ità vnanimiter conclusum est, vt quandoquidem præfati Consiliarij, qui in his Comitijs

mitijs judicio sistebantur, & ab Illusstrissimo Duce Carolo personaliter, in præsentiâ Serenissimi Principis Domini Iohannis Adolphi Ducis Holsatiæ, Legatorum, Nobilium, & generosorum virorum Clementis Gaderdorfij, & Gerhardi Stedings accusati, ac conuicti fuerint, quòd illi inprimis extiterint, qui à Decreto Sudercopēsi, quod ipsimet cum reliquis ordinibus Regni vnanimiter, & sponte approbarunt, ac confirmarunt, desciuerint; Illud non solùm sine vllá caussâ facientes, & velut malefici ex Regno profugientes, hac ratione eam promerendo pænam, quam præfata Sudercopensis Constitutio, aliaq; Regni huius laudabiles Transactiones exprimunt, & iniungunt periuris, ac litterarum (quales hi fuerunt) transgressoribus, atq; violatoribus: Sed etiàm contra proprium iusiurandum, & omnem naturalem amoris affectum, Regi Sigismundo suaserint, ipsimet sese comites præbentes, vt contra Iura Suetica in natale solum peregrinum exercitum, in patriæ deuastationem, & desolationem deduceret; Neq; velut legitimum Regem decuit, suos subditos secundum iura, & iustitiam visitaret, ac defenderet: In his omnibus conuicti sunt, & redarguti proprijs litteris, absq; alijs multis peruersis conspirationibus, quibus anteà

perindè ac modò aduersus S.C. patriamq; malignè inuigilarunt. Quocircà diligenti, atq; syncero examine, ab illis bonis viris, ac Dominis qui iudicum subsellia, & potestatem tenuerunt, in pœnam vitæ, & bonorum condemnati sunt, velut ipsa Sententia lata, et scriptis comprahensa, atq; primo quoq; tempore ex typis publicanda testatur.

Quod proindè nos vnanimiter iudicium, legitimè pronunciatum cognouimus, illudq; concorditer cum ijs bonis viris, & Dominis qui præfatam Sententiam tulerunt, confeßuri & defensuri sumus, modò & progreßu temporis coram omnibus ijs, qui aliquid in contrarium sese iure obtendere poße existimauerint, imò etiàm coram omnibus christianitatis Magnatibus, alijsq; in toto orbe: Ideò iusticiæ ergò eos impunè dimittendos non arbitramur, sed postulamus vt in illos secundum iudicium latum, promerita statuatur pœna. Veruntamen cùm nonnulli etiàm alij ex ordine Senatorio, velut Claudius Bielke, Christiernus Claudij, Ericus Abrahami, & Georgius Canuti Poße filius, supplices facti palàm culpam suam confeßi sint, veniamq; rogauerint eorum facinorũ, quibus partim contra nos, partim patriam deliquerunt; Proindè S. C. propter magnificorum Legatorum, nostramq; humillimam petitionem, vitâ illos cle-

los clementißimè donauit: Nihilominùs tamẽ captiui detinebuntur, vsq; ad vlteriorem S. C. deliberationem, & in potestate S. C. erit, quos eorum melioribus conditionibus donare voluerit: De Hogenschildo Bielke autem, qui etiàm huic iudicio præsentatus fuit, & illi imputatum quòd consilio, & auxilio alijs infidelibus Consiliarijs astiterit, ad persuadendum Regi Sigismundo, vt peregrinum in natale solum deduceret exercitum, cum rationabiliter hanc culpam se effugere posse existimet, proximè futuro Conuentu iuramentum deponet, si poterit, aut crimini obiecto prorsùs alligandus. De Carolo Gustaui quoq; decisum est, vt quandoquidem homicidium est, quod illi imputatur, de quo hoc tempore non potuit absolutè quidquam concludi, ideò ille etiàm hoc crimen, secundum Iura in eodem proximo Conuentu à sese deriuabit, in quo etiàm illa negotia, quæ S. C. priuato nomine contra memoratas personas habet, examinabuntur.

Quantùm verò ad Finnones spectat, velut Arnidum Erici, & Axelium Kurk, qui ad illam sanguinis profusionem, aliaq; abominanda, & impia facinora, in Finlandiâ aliquot annis perpetrata fuerant antesignani, ità statuimus vt promeritas luant pœnas, secundum sententiam in Finlan-

 diâ legitimè pronunciatam, & à nobis approbatam: Sed alij ex nobilitate, & copiarum militarium ductoribus in eadem Prouinciâ, qui nobis, et vniuerso Regno sese etiàm opposuerunt; Tamen ex consilio, & suasu infidelium Senatorum, ac suorum præsidum ad id seducti fuerunt, ità vt cum alijs pari non sint crimine obstricti, neq; ideò æquali cum illis pænâ mulctandi, in illos eiusmodi sententia lata est, quòd vitâ donabuntur; Sed loco mulctæ, tertia pars suorum immobilium bonorum, iure hæreditario ad eos spectantium, aut aliás à Regibus Sueciæ obtentorum, ad perpetuam possessionem Coronæ subijcietur, vnà cum omnibus bonis feudalibus, quæ illi ad vitam, aut tempus arbitrarium hactenùs possederunt: Similiter pronunciatum, & statutum est vt omnes Sacerdotes in eadē Ditione, velut etiàm Ciues, Præfecti, Scribæ, Vasalli, alijq; qui equos per suos filios, aut generos, aliosuè inter illas equestres copias habuerunt, & sustentarunt, quiq; litteris, & machinationibus contra S. C. & nos, Regnumq; vniuersum operam suam detulerunt: Præcipuè autem quòd non solùm à Constitutionibus Sudercopensibus, quas anteà approbarunt, desciuerint, verùm etiàm tàm illis, quàm etiàm alijs laudabilibus Transactionibus sese opposuerint, & contempserint,

rint, puniantur; Proindè Sacerdotes parochiâ, & dignitate sacerdotali prorsùs exuentur, nunquàm inposterùm eiusmodi muneribus functuri; Ciues verò, Præfecti, Scribæ, Vasalli, & alij qui equos aduersarijs, et operã suam submministrarunt, tertiâ bonorum suorũ mulctabuntur parte, & memorati Præfecti, Scribæq; insuper villicationum, & commissionum suarum rationem reddere exactam tenebuntur. Sed reliqui Sacerdotes, qui aliâs à nobis, et Regno desciuerunt, nobiscùm non conspirantes, vt regium Iuramentum, & Assecurationem, aliasq; peruetustas iurisdictiones exequutioni mandarent, loco mulctæ quinq; thaleros pro quibusuis decem rusticis, quos in suâ habuerint parochiâ, dependent, deinceps parochiæ, & eius functioni tamdiu adhæsuri, quamdiu velut fideles, & obedientes subditos decet, sese gesserint.

Sextò, etiàm perpendimus, & æquâ lance examinauimus, vt quandoquidem Iura mandent Suetica, quò iudicia prætorialia pro dignitate peragantur, in ijs Regni Ditionibus, in quibus necessitas illa postulauerit, vt vnicuiq; diuiti æquè ac pauperi, summo vt infimo, qui alterum alicuius nomine iure posset compellare, iusticia administretur; Cumq; eiusmodi iudicia hac hominum memoriâ vix in hoc Regno celebrata deprahendantur,

Mmm 3 *& ideò*

& ideò plurimæ controuersiæ inter familias, & varias partes aduersarias, non decisæ adhuc persistant, examinari & determinari non valentes, priusquàm in memoratis iudicijs sub legitimo fuerint examine: Quamobrem cùm Illustrissimus Princeps Dux Carolus, id consultum duxerit, vt semel aut bis in anno, hæc iudicia prætorialia instituantur, nimirùm hyemali tempore Vbsaliæ in nundinis Distinganis; Aestate autem circa festũ S. Petri hic Lincopiæ: Ideò nobis etiàm necessarium videtur, vt hac ratione vtroq; anni tempore, aut certè vno eorum, prout commoditas, tempus, & negotia postulant, hæc iudicia peragantur.

Quandò autem eiusmodi tribunalia celebrantur, secundum iura citra sex hebdomadas publicata, iudices terrestres ad præfata iudicia accedẽt, & non alij eorum loco, sine legitimo impedimento: His igitur iudicijs omnes controuersiæ, quæ aliâs coram iudicibus prouincialibus decidi nequiuerant, examinabuntur & decidentur, cùm alijs pluribus quæ illa consultatio super hac re conscripta comprehendit, & admonet, prout S.C. ante biennium etiàm Regni ordinibus Vbsaliæ deliberandũ proposuit, atq; propediem ex typo diuulgandum: Proindè quicquid in hoc foro prætoriali, inter partes aduersarias iudicatum, & conclu-

sum

ſum fuerit, firmum, fixumq́; ſine reuocatione permanſurum, contra quod nemo poteſtatem habiturus eſt appellandi, velut Iura noſtra illud etiàm expreſſè vetant: Quod cùm ità ſit, prouinciales judices, & qui eorum loco munus obeunt, in Regni Cancellariâ ſua deponent juramenta; Quod etiàm ſecundum Leges ſueticas in iudicijs prouincialibus, priusquàm poteſtate, & munere judicis fungantur, facturi ſunt.

Similiter à nobis vnanimiter, & concorditer approbatum, & concluſum eſt, vt quandoquidem multis annis ſuperioribus, luſtratio bonorum regalium, in hoc Regno ſit intermiſſa, & conditio Reipublicæ hoc tempore ſummoperè poſtulet vt ea inſtituatur, quò partim Regni Corona cognoſcat, quæ ad illam jure ſpectent bona, ſine impedimento retinenda, partim etiàm alij quod ad illos legitimâ poſſeſſione pertinet, illo liberè fruantur, et vtantur; Ideò ſummoperè neceſſarium eſt, ut eiuſmodi bonorum regalium luſtratio, primo quoq́; tempore in Regni ditionibus inſtituatur, & peragatur: Cumq́; ad hoc prudentes, & juſti requirantur viri, qui ſine reſpectu, & vllius authoritate illud legitimè examinent, quod paſſim in illo munere, & tempore occurret; Proindè S. C. ſtatuendum relinquimus, quorum operâ ad hoc S. C.

velit

velit vti, nobis certo certius persuadentes, neminem eorum quos huic expeditioni idoneos S. C. iudicauerit, & justiciæ amantes fuerint, hunc pro Reipub. emolumento laborem detrectaturum.

Septimò, inter alia etiàm illud deliberandum suscepimus, quòd vt Regni huius Gubernator probè cognoscat, quantæ copiæ ex prouinciâ quauis, & pedestres & equestres sint exspectandæ, ac quanta fiducia, belli necessitate ingruente, in illis sit collocanda; Sicut etiàm nè Indigenarum multitudo, toties militũ conscriptionibus, velut hactenùs factum est, molestetur. Quarè à nobis vnanimi consensu statutum est, vt certus quidam numerus equitum, & peditum in quauis prouinciâ, Regni impensis annuatim, & continuò alatur, in tantâ multitudine, quantam S. C. ordinauerit, quorum salaria, et sustentationes quandò domi remanent, neq; in aliquâ expeditione militari constituti sunt, ex Coronæ prouentibus tantæ numerabuntur, quantas super hac re ordinatio certa constituenda permiserit: Verùm quandò in expeditione aliquâ militari, contra Regni hostes totus exercitus ex quauis Ditione, aut aliquot illius cohortes, terrâ vel mari expediuntur, tùm cupimus vt ex prouinciâ de quâ miles desumitur, tantùm victualium contribuatur, quantùm continuandæ tempus

pus

pus militiæ postulat, quò non sit necessarium, vt vna Prouincia contribuat pro alterâ, aliumq; militem sustentet, quàm eum qui ex eadem ditione egressus est, vnaquæq; suis copijs prospiciens: Atq; cùm in quauis prouinciâ non sit æquè numerosus miles, sicut neq; Indigenarum frequentia æqualis vbiq;, quæ subsidia latura est; Ideò etiàm super hac re certa ordinatio constituta est, vt auxilia quæ hac ratione exercitus sustentationi impendentur, sint vbiq; æqualia, tàm in vnâ quàm aliâ Regni ditione, vt non maior vnius prouinciæ Inhabitatori, quã alterius incumbat subsidiorũ militarium contributio: Deindè si militum in vnâ prouinciâ maior esset numerus, quàm contributione ex prouinciâ factâ sustentari, in expeditione militari possit, ille defectus sustentationis ex annuis Coronæ, in eadem prouinciâ reditibus supplendus, vt militi necessaria ex quauis ditione, pro tot mensibus, quot in expeditione est commoraturus, subministrentur: Quæ ordinatio semper obseruanda, siuè copiæ militares domi morentur, siuè sub signis contra hostem militent.

Octauò, quandoquidèm Iura Suetica Titulo de Ecclesiasticis commendent, vt decimæ in agro ex decimo quouis manipulo, seu fasciculo seponantur, ex quibus triens Sacerdoti pendendus: Itaq; vt

eiusmodi decimæ, quà ille triens, quà reliquum quod in granarium Ecclesiæ inferendum, legitimè secundum Iura contribuatur, vt quilibet suam portionem sine diminutione obtineat, propterea cum præfatis decimis inposterùm sequenti modo procedendum. Etenim omnes qui prædia tributaria inhabitant, atq; colunt, frugemq; aliquam referunt siuè ex agris, siuè syluis vstulatis, nullo excepto, decimum quemq; fasciculum elargientur, ab vnâ incipientes agri semitâ, & desinentes circa alteram, ab illo manipulo facto exordio, quem primò ex agris deportant agricolæ, quousq; decem fasciculorum fuerit completus numerus; Deinceps Sacerdos trientem indè accepturus est, ipsum suo proprio granario inferens, & quandò placuerit tribulis extundere curans; Verùm residuum à colono tribulis extusum, granario Ecclesiæ inferetur, velut hactenùs factum. Deniq; vt dignoscatur quàm iustè, & legitimè persoluantur decimæ, quidquid Sacerdos obtinuerit decimarũ, deposito iuramento retinebit: Atq; si præfectus decimarum in rei veritate cognouerit, aut Sacerdotem peruersè fassũ, aut rusticum iniustè Sacerdoti, vel granario Ecclesiæ decimas persoluisse, partem citabit ream ad judicium, secundum jura Suetica mulctandam: Insuper omnes præfatas decimas persoluere tenebun-

buntur, siuè sint generi, siuè famuli, aut quicunq; tandem agrorum culturam exercentes, nemoq; prorsùs ab illis pendendis sit liber, præter nobiles quoad illa solùm prædia, in quibus ipsimet commorantur, quantùm ad illam portionem, quæ granario Ecclesiæ inferenda; Verùm trientem sacerdoti pendendum, vnusquisq; persoluet, cum suo sacerdote super hoc concordans.

Hæc omnia præsentibus enumerata litteris, promittimus & spondemus tàm pro nobis hic præsentibus, quàm etiàm absentibus, & omnibus nostris succeßoribus sponte, & vnanimiter, firmiter, et inculpabiliter nos seruaturos, illa nunquàm moderno, aut futuris temporibus adnihilando, vel deserendo, ità nos Deus adiuuet quoad animæ, & corporis salutem. Ad vberiorem verò confirmationem, humiliter, & submißè postulauimus, quò Illustrißimus Dux Carolus, Regni Sueciæ Princeps hæreditarius, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ, hanc nostram Vnionem, & Constitutionem, ducali suâ manu, & sigillo iuxta nostrum apposito confirmare, & roborare dignaretur. Datum, & exaratum Lincopiæ 19. Martij, anno 1600.

HIs quoq; Comitijs, vt dictum est, eorum infidelium Senatorum machinationes, & facinora examinata, qui architecti & antesignani fuerunt omnis illius tumultus, qui patriam nostram aliquandiu grauißimè concußit; Ideò in præfatis Comitijs pro meritis in eos statuta sup-

ta supplicia, secundum sententiam priùs legitimè latam, erant autem hi sequentes: Gustauus Baner, Ericus Sparre, Steno Baner, & Thuro Bielke, quorum condemnationis sententia comprœhensa est hoc tenore.

Ex *horum infidelium, & perduellium virorum proprijs litteris, atq; scriptis manifestum est Gustauum Baner, Ericum Sparre, Stenonem Baner, & Thuronem Bielke, qui ex ordine Regni Senatorio fuerunt, suis litterarijs obligationibus non stetisse, inprimis quas ad S. C. diuersis temporibus transmiserunt, & sese obligarunt: Verùm à proprijs suis litteris, & sigillis, atq; honesto, laudabiliq; illo Decreto, quod Sudercopiæ ipsimet instituerunt, & sanxerunt turpiter desciuisse. Proindè nos qui ab vniuersis Regni Ordinibus huic sententiæ ferendæ deputati sumus, eos subducere, & ab illâ liberare pœnâ nequimus, cui periuri, & litterarum transgressores propriarum secundum Iura subijciuntur, cùm hæc sententia Decreto Sudercopensi ab ipsismet inserta illos condemnet his verbis:* Vt omnes qui ab vniuersali hac nostrâ Vnione exorbitauerint, siuè propter Magnatum gratiam, propriam vtilitatem, aut alias caussas, quocunq; tandem nomine gaudentes, siuè etiàm operam suam ad hoc detulerint, vt contra hoc Decretum, aut ea de quibus R. M. Regnum Sueciæ assecurauit, in quibus hæc nostra Constitutio fundata est, à quocunq; tandem violentia aliqua attentetur, palàm aut clâm, illos pro R. M. infidis, & Regni turbulentis, infidelibusq; viris, sicut etiàm patriæ perduellibus ducamus, qui vt supprimantur modis omnibus auxiliabimur. *Deindè S. C. iniquissimè apud R. M. detulerunt, vndè criminationes plurimæ ex typo, atq; aliàs diuulgatæ; velut etiàm ipsimet in proprijs litteris plurima scripserunt, quæ S. C. honorem, Ducalem existimationem, atq; nomen magnoperè contaminant, neq; ab illis, aut vllo alio in veritate comprobanda. Proindè cùm vsq; eò ignominiosè de S. C. patruo R. M. & Regni hæreditario Principe, ac Gubernatore, quem ipsimet ad hoc munus delegerunt, scripserint, illiq; obtrectauerint, ei sunt pœnæ subijciendi, quam nonum Caput, titulo de Regalibus in Iure Suetico assignat hoc rigore:* Qui de Regiâ Maiestate, aut eius Consiliarijs, vno vel pluribus,

Sententia capitalis in Senatores Regni infidos lata.

bus, quod honorem, atque famam lædit, loquutus fuerit, neque id rationabiliter, & legitimè demonstrauerit, capite plectatur.

Præterea quandoquidem odium, & discordias inter Regem Sigismundum, & S. C. grauissima disseminauerint, R. M. instigantes, vt arma S. C. contra Iura Patriæ, & omnem naturalis amoris affectum infensissima, in patriæ desolationem, atque deuastationem inferret; Ideò secùs iudicare nequaquàm potuimus, quàm eos illi pœnæ obnoxios, quam Caput octauum, titulo de criminibus enormiter capitalibus, in Iure Suetico illis irrogandam mandat hac verborum formâ: Quicunque exercitum mouet contra Regem, aut Regni Gubernatorem, vel ex insidijs eos captiuare, seu interficere voluerit, aut etiàm violentiam, & iniusticiam quampiam litteris, scriptis, consilijs, factis, vel auxilijs intulerit, vitæ & bonorum iacturam incurret, si in recenti depræhensus fuerit facinore. *Cui sequens in eodem foro adstipulatur caput sequenti tenore:* Iam verò si quispiam peregrinum exercitum in natale solum deduxerit, & præpostera aduersus legitimum suum Dominum intulerit arma, patriam deuastando, nisi eum comitetur qui legitimè ad Regni gubernationem sublimatus, ille & omnes eius sectatores, vitæ munere priuandi, bonis omnibus ad fiscum regium deuolutis perpetuò.


Sed cùm illi, alijque eiusdem factionis fortè existimabunt, sibi auxilio, & excusationi fore, quòd recitatum ex Iure Suetico caput dicat: Nisi Regem comitetur ad Regni solium legitimè promotum; Ideò vicissim perpendendum, atque cognoscendum eos caussam præbuisse omni perturbationi, & sanguinis profusioni in patriâ nostrâ aliquo tempore (prô dolor) vigentibus, & adhuc pertimescendum, nè idipsum recrudescat vulnus dissensionum, nisi Diuina bonitas id clementer impediuerit. Nam inprimis si aliquid R. M. contra suum Iuramentum, Leges, atque obligationes attentare voluisset, illi in hac caussâ adhærere non tenebantur, velut quintum caput, titulo de Regalibus, de Senatorum obligatione commemorat hoc modo: Vt Regi legitimam obedien-

 tiam exhibeamus, eiusq; mandata in ijs omnibus exequamur, quæ rationabiliter, & legitimè nobis iniungit, atq; vt coram Deo, & hominibus ille quòd mandauerit, & nos quòd obtemperauerimus responsione iustâ defendi possimus: *Itaq; secundum Iuramentum officij sui, illa R. M. suadere, quæ Regi, atq; Indigenis vtilißima cognouerunt, ac R. M. ad obseruandam Regni Iurisdictionem, non violandam, pro viribus cohortari tenebantur, quò ea iuramenta quæ Rex vniuersis Regni præstitit Ordinibus, non transgrederetur; Quæq; illi R. M. & Regno sese facturos promiserunt, illa mandarent exequutioni: Verùm non solùm è diametro planè his, & Decreto Sudercopensi in contrarium illi se exhibuerunt; Sed etiàm R. M. ad Iuramenti sui violationem impulerunt, perindè ac illi proprio iuriiurando non steterunt; Atq; vt contra iura, & iusticiam patriæ suæ arma inferret, vndè multa hominum millia vitæ amißionem, & plurima detrimenta, perniciemq; traxerunt infandam; Sicut etiàm R. M. Regno, & populis hoc modo orbata, ac ipsimet ad præsens infortunium proprio artificio præcipites protrusi. Ex his manifestum euadit, quòd allegatum ex Iure Suetico caput, illorum culpæ non patrocinetur; Sed nos vigore eiusdem textus, eos honestate, vitâ, bonis, & poßeßionibus spoliandos legitimè pronunciaße.*

Hoc proindè iudicium, & capitalem sententiam, fatemur nos vniuersi & singuli, quòd spontè & legitimè, vigore litterariæ illius obligationis, quam nobis Illustrißimus Dux Carolus, & nos vicißim S. C. dedimus, sine omni odio, inuidiâ, formidine, aut vllius personæ respectu, nullâ violentiâ præter meritum illatâ, pronunciauerimus, vt nunc absolutè pronunciamus, eiq; firmiter moderno, & futuris temporibus adherere, ac coram Deo, totoq; orbe christiano fateri, et defendere parati sumus. Atq; pro vberiori certitudine, hoc Iudicium nominibus nostris, & sigillis confirmamus ac roboramus. Datum Lincopiæ 17. Martij, anno 1600.

Hoc ipsum verò quod in Comitijs Lincopensibus fuerat statutum, biennio deindè propemodùm euoluto, etiàm ab omnibus Regni ordinibus, in Comitijs Stocholmiæ celebratis anno 1602. mense Iulio confirmabatur, velut ex ipsis Constitutionibus sequentibus colligere licet.

NOs



Os infrascripti Senatores, & Ordines Regni Sueciæ, Comites, Barones, Episcopi, Nobiles, Ecclesiastici, exercitus Ductores, Ciues, & communitas Indigenarum, qui ad hæc Comitia Stocholmiæ nunc celebrata, ex omnibus Regni ditionibus cum potestate plenâ inuitati accessimus, hisce notum facimus, nos vniuersa ea negotia, quæ nobis examinanda fuerant proposita, maturo iudicio, & æquâ lance discussisse, deq; omnibus post diuturnam deliberationem articulis, sequenti modo conuenisse, & statuisse.

Comitia Stocholmiæ secundò habita.

Inprimis quandoquidem illud tempus sæpiùs interim euolutum sit, quod Sigismundo Regi Poloniæ, Ienecopiæ, & hîc Stocholmiæ præscriptum fuit, citra quod S. M. filius in hoc Regnum expediendus fuerat, & R. M. super hac re, nè verbo quidem mentem suam nobis manifestauerit: Similiter cùm illud temporis spacium dudùm quoq; transactum, quo currente Serenissimus Princeps Dux Carolus, Dnus noster clementissimus, nobis Lincopiæ promiserat, se deliberare, atq; cum suis consanguineis, & affinibus, alijsq; Magnatibus, Regibus, Electoribus, & Principibus exteris de regimine Suetico acceptando consultare interim velle, an S. C. illud pro desiderio, & petitione nostrâ acceptandum esset, necne? Quocircà denuò vna-

vnanimiter, diligenter, & humiliter á S. C. postulauimus, quò S. C. sine vlteriori procrastinatione, dexteram gubernaculo, & verticem Diademati submittere dignaretur. Itaq; licet S. C. hac ratione erga Regem Poloniæ sese gesserit, eamq; operam detulerit, vt coram Deo, & toto mundo etiàm sit excusata, nostraq; petitio nullâ ratione à S. C. reijcienda foret, aut tempus Coronationis diutiùs perendinandum; Nihilominùs tamen ex S. C. cognouimus, quòd adhuc R. M. perscribere, & ea suggerere velit, quæ S. C. nobiscùm multotiens anteà R. M. obtulit. Verùm nisi eiusmodi responsum, ante vltimum diem Augusti, super his negotijs S. C. obtinuerit, cuiusmodi et S. C. et nobis abundè satisfaciat, porrò adhuc quid S. C. in hac re factu opus, & Regno vtilissimum esse poterit, deliberaturi; Sicut etiàm nos tùm temporis rationes nostras ex typo in omnibus per Christianitatem regionibus diuulgaturi sumus, legitimas quidem, & iustissimas, cunctis rerum circumstantijs adiunctis, quibus compulsi, Sigismundo Regi Poloniæ renunciare decreuerimus.

Intereà temporis nobis S. C. promisit, se Regnum Sueciæ gubernaturam, eiusq; commodum sedulò quæsituram, in sanâ & syncerâ fidei doctrinâ nos omnes protegendo, velut illâ in Propheta-

rum,

rum, & Apostolorum libris comprahensa inuenitur; Atq; vt in Concilio Vbsaliensi, & in Comitijs quæ Sudercopiæ, Arbogiæ, Ienecopiæ, Stocholmiæ, & Lincopiæ celebrata sunt, tàm de fide, quàm Ecclesiasticis ceremonijs statutum: Proindè quandoquidem in Synodo Vbsaliensi approbatum fuerit, vt Ordinantia Ecclesiastica, & Missale reuiderentur, corrigerentur, et emendarentur, ideò nos denuò consensimus, vt præfato labori nonnulli ex doctioribus, & prudentioribus quà inter Ecclesiasticos, quà Politicos, manum & ingenium admouerent: Nullâ tamen in Mißali, eorum mutatione factâ, quæ ad fidei nostræ Articulos, & Sacramentorum legitimum vsum spectant; Verùm quicquid in doctrinâ, & regimine Ecclesiastico vtile, atq; Dei verbo conforme, illi inserendum, ijs omnibus indè expunctis, quæ adhuc fermentum Pontificium, & scandalum referunt; Cumq; hac ratione Mißale, & Ordinantia Ecclesiastica reuisa, atq; correcta fuerint, in quauis ditione Inhabitatoribus sunt insinuanda, & postquàm spontè approbata, & acceptata fuerint, typis excudentur, quibus in vniuerso Regno qualibet vtetur Ecclesia. Similiter promisit S. C. nobis Iuri Suetico, & omnibus legitimè acquisitis privilegijs, prorsùs vt hactenùs, liberum fore inposte-

Ooo rùm

rùm adhærere: Deindè S.C. integrũ erit, quousq; responsum ex Poloniâ venerit, & S. C. regiam gubernationem in se perfectè susceperit, vt quocunque S. C. visum fuerit, extra aut intra patriam (quandò aliter fieri non poterit, & magni momenti negotia peregrè profectionem exegerint) proficiscatur, hac ratione commodo patriæ sese consulere posse animaduertens: Ideò omnes negotijs non impediti alijs, quos S. C. huius rei tempestiuè admonuerit, S. C. aut eius vicarium comitabuntur, sub illâ pænâ, ni fecerint, incurrendâ, quæ in Legibus Sueticis illis aßignatur, qui sese Reipub. obsequijs subducunt, neq; legitimo Dno suo exercitu stipato, præcipuè ad Regni limites, Regnũ defensuro, & propagaturo, si poterint, se non præbuerint sectatores: Attamen S. C. diutiùs ex Regno se non absentabit, quàm spaciotrimestri. Sed si in Regno aliquod ingruerit periculum, in aliquas regiones peregrè liberum non erit S. C. discedere, in propriâ personâ hîc remanens, nobis consilio, & auxilio consolationem, & protectionem ferat, alijs ad eas ditiones ablegatis, qui ibidem Regni promoueant emolumentum.

Secundò, cùm Illustrißimo Duci Carolo, semitam vniuersæ carnis (quod Deus quàm diutißimè remorari dignetur) ingredi contigerit, nos vicissim

ſim vniuimus, & conſpirauimus, vt à Decreto Lincopenſi nullâ ratione, vel ad latum vnguem exorbitemus, ità vt Sereniſsimus Princeps Dux Guſtauus Adolphus, ſecundum fata ſui Domini parentis, Regni Sueciæ gubernacula, & eius hæredes maſculi legitimi poſt illum, hæres ſecundum hæredem capeſſant: Verùm ſi præfatus Illuſtriſsimus Dux, nullis legitimis hæredibus maſculis relictis (quod Deus auertat) naturæ debitum perſolueret, neq; vlli ex eâ lineâ ſucceſſores ſupereſſent, Sereniſsimũ Principem Dominum Carolum Philippum, pro Domino et gubernatore noſtro, eiusq; legitimos hæredes maſculos poſt eum, quousq; vel vnicus ex eâ reſiduus fuerit lineâ, conſignabimus. Atqui ſi ille humanitùs accideret caſus (quem Diuina bonitas clementer auertat) quòd Dux Carolus Philippus, vitam cum morte commutaret, nullo filiorum, aut nepotum ex filijs legitimo ſuperſtite, pro nobis, & noſtris ſucceſſoribus promiſimus, nos deinceps neminem alium ad Regni Sueciæ ſolium ſublimaturos, præter Illuſtriſsimum Principem Ducem Iohannem; Aut ſi ille in viuis non eſſet, eius legitimos hæredes maſculos, ſi quispiam reſtaret, & quamdiu illa continuata fuerit lineâ, præ alijs omnibus regimine, & Diademate potietur, ſecundum tenorem Lincopenſis

Constitutionis. His autẽ si quispiam internus, aut externus sese opponeret Statutis, cupiens alium quemcunq; tandem in Regni solium intrudere, nos vnanimiter & sponte vniuimus, atq; statuimus, quòd id nunquàm simus permißuri; sed vitâ & sanguine prohibituri. Deniq; si illud infortunium nos percelleret, vt Serenißimus Princeps Dux Carolus, priùs ex hac vitæ statione migraret, quàm S.C. filij, aut illius ex fratre Nepos Dux Iohannes, ad legitimam deuenirent ætatem, vt Reipub. clauo dexteram porrigere poßent, ità statuimus & conclusimus velut Lincopiæ statutum est, & conclusum, nos videlicet eos pro nostris gubernatoribus accepturos, sub minorenni nostrorum Principum ætate, quos S.C. secundum Diuina, & Suetica Iura, atq; Constitutiones Lincopenses ad hoc munus deputauerit.

Tertiò, quandoquidem nulla Respub. sine Consiliarijs subsistere poßit, neq; S. C. poßibile de omnibus rebus, prout par est, statuere sine aliorum auxilio; Itaq; quamuis S.C. necdùm regalem voluerit titulum acceptare, ideoq; à nobis petierit, vt eos nominaremus, qui S.C. fidele in omnibus, & prudens consilium suggererent: Attamen S.C. humilibus nostris permota precibus, eos elegit viros, quos magis idoneos ex omnibus censuit, vt eorum fideli

fideli consilio adiuuaretur, veluti Comitem Mauritium Regni Dapiferum, Comitem Magnum Brahe, Suantonem Bielke pro Regni Cancellario, Axelium Ryning pro Architalasso, Siguardum Ribbing pro Thesaurario, Georgium Erici, Ludbertum Couerum, Georgium Claudij, Ericum Claudij, Georgium Boye, Matthiam Laurentij, & Aruidum Horn; Ac ex Liuonibus progressu temporis, quotquot necessarios, vtiles, atq; fideles deprahensum fuerit, in collegium Senatorium adoptabuntur. Similiter pro Consiliarijs aulicis, elegit S. C. Comitem Abrahamum Brahe, Nicolaum Bielke, Petrum Ryning, Iohannem Erici, Boëtium Ribbing, et Doctorē Nicolaum aulæ Cancellarium, quibus cum omnibus optimè contenti sumus, his muneribus & dignitatibus idoneos agnoscentes, multamq; fælicitatem in ijs officijs, & Dei benedictionem sedulò, & ex animo illis optantes: Sicut etiàm Deum humiliter rogamus, quò ea suggerere possint consilia, quæ ad diuinæ Maiestatis honorem, & gloriam, Patriæ tranquillitatem, pacem, & diuturnum subsidium vergant: Deindè quandoquidem multa perturbatio, atq; error indè profluxerint, quòd Senatores non solum pro officij ratione, potestatem aliquam habere in Repub: sed etiàm gubernare velint, ideò etiàm

 statuimus,

 ſtatuimus vt eorum poteſtas, et authoritas porrò ſeſe non extendat, quàm Iura Suetica permittunt, nimirùm vt Regi ea conſulent, quæ coram Deo, S. M. & Regno vniuerſo vtilia cognouerint, illis non ſuperſedentes propter vllius authoritatē, conſanguinitatem, affinitatem, vel familiaritatem; Poſtmodùm Regem ad libertates, & prærogatiuas Regni ſeruandas permouebunt, atq; illa apud ſe continebùnt ſecretò, quæ R. M. occulta voluerit.

Quartò, etſi vndequaq; cuncta pacis media forent circumſpicienda, & tentanda vbi maximè requiruntur; Nihilominùs tamen cùm ignotū ſit, quantùm hoſtes noſtri in hanc partem propendeant, ideò quotquot vniuerſæ Communitatis nomine hîc congregati fuimus, conſenſimus & approbauimus, quòd Reipub. tantùm ſuppetiarum, quātùm ordinatio nobis tradita ſuper hac re poſtulat, ferre velimus. Quantùm verò ad Nobiles, Eccleſiaſticos, et Ciues pertinet, ità futurum prout S. C. peculiariter ſuper his auxilijs ferendis conſtituit, illiq; pro hoc anno conſenſerunt.

Quintò, cum militibus ſecundum eam ordinationem procedetur, quæ nobis hîc prælecta eſt, et prout neceſſitas poſtulauerit, copiæ militares augendæ, vel diminuendæ, nemine prorsùs recuſante, qui

te, qui albo militari pro honesto salario deputatus fuerit, suam illic Reipub. operam deferre, vbi necessitas eam exigit, siuè in oriente, siuè in occidente, siuè in aquilone, vel in meridie.

Sextò, quanquàm Sudercopiæ conclusum, vt certus judiciorum codex, de omnibus negotijs toto anno transactis, ex quouis territorio in Cancellariâ deponeretur, alter autẽ in scrinio territoriali; Similiter hic Stocholmiæ, anno 1599. decisum fuerit, vt quodlibet territorium dimidium ex illo triente, quem Iura territorio attribuunt, et Iudex Prouincialis hactenùs percepit, retineret, in scrinio territoriali illâ pecuniâ asseruatâ, territorij & fidelium quorundam virorum sigillis obmunito, quò in vrgentibus Reipub. necessitatibus, aliqua sint in promptu subsidia, neq; opus toties contributiones, & exactiones ditionibus imponere; Attamen post illud tempus, quo hæc constitutio facta, pauci ad modùm codices Iudiciorum ad Regni Archiuum sunt destinati, sicut neq; in scrinijs territoriorum multùm in promptu depræhensum. Proindè judicibus prouinciarum posthac incumbet, vt suos judiciorum codices præsentent sine diuturniore morâ, qui à nonnullis prudentibus viris sunt reuidendi, ratioq; ab illis reddenda, quantæ annuatim mulctæ iudiciariæ obtigerint, et quid ex illis in

 lis in scrinium territoriale deuenerit; Quicunq; secùs fecerit, iurisdictione iudicis prouincialis priuandus est.

Septimò, siquidem in Nomobiblio Suetico, multa intricata inueniantur, quæ emendationem requirunt, ideò omnes & singuli consultũ iudicauimus, vt à nonnullis viris prudentibus reuideretur, & emendaretur, atq; pro huius temporis, et regionis conditione corrigeretur, deinceps cum vtilibus, et approbatis Regni Constitutionibus, Mandatis, & Transactionibus imprimendum: Priùs tamen quàm typis subijciatur correctum, non solùm in generalibus Comitijs, omnibus prælegetur, sed in quauis Regni ditione insinuabitur.

Octauò, de illis personis, quæ contra prohibitionem S. C. Lubecam nauigarunt, ità statutum est, vt hac vice quadraginta marcis mulctentur, quòd aduersus Superioris sui processerint inhibitionem; Verùm si sæpiùs ad hunc scopulum impegerint, sine vllâ miseratione grauiùs punientur.

Nonò, quantùm ad vecturas, & hospitalites attinet, aliaq; minutiora, quæ Regni Inhabitatores, vnà cum annuis suis tributis dependere consueuerunt; Similiter quoad agrorũ, & pratorum mundationem, ea omnia Illustrißimo Principi, Dno Carolo, clementißimo Dno nostro disponenda re-

da relinquimus, vt quicquid S. C. ex consilio suorum Senatorũ in his ordinauerit, in commodum, atq; emolumentum Regni, nos acquiescemus, & velut obedientes subditi, secundum id nos dirigemus. Deindè quod spectat ad negotiationes mercatorum, in illis eo pacto procedetur, velut ordinatio commonstratura, quæ progressu temporis ex consilio, et assensu Ordinum Regni constituenda.

Decimò, de prætorijs iudicijs, & lustratione bonorum regalium, ità sentiendum velut Lincopiæ decisum; Illa tamen constitutio priùs exequutioni non mandabitur, quàm Regni Inhabitatores benigniorem nacti fuerint fortunam, & maiores rerum facultates.

Vndecimò, quanquàm diuersis temporibus, patentia prodierint in vulgus Diplomata, velut Iura, & Regni Statuta mandant, nè vlla querela, quæ in iudicio territoriali sunt examinandæ, in Aulâ excipiantur, priusquàm illic primò examinatæ, & diiudicatæ fuerint; Et deinceps nisi ruri decidantur, legitimâ quadã appellatione, eminentiori subijciendas iudicio: Attamen paucos admodũm huius rei obseruatores inuenire licet, sed quotidiè infinitis S. C. obruitur querelis, vt impossibile sit S. C. vniuersas semper decidere. Quamobrem nunc statuimus, vt præfata exequutioni tra-

 dantur

dantur mandata, omnibus querelis in iudicijs territorialibus discußis primò, & legitimè diiudicatis; Postmodùm verò qui hac sententiâ non fuerit contentus, ad Aulæ forum appellet, vbi iusticia illi administrabitur, à quo nemini licebit appellare. Si quis igitur ad Aulam aliquas detulerit querelas, non hac ratione priùs discußas, remittendus est; Verùm quantùm attinet ad querimonia, et postulationes super remißione censuum annuorum, secundum illius Diplomatis tenorem, à S. C. anno 1600. ex typo diuulgati, procedetur.

Duodecimò, siquidem in Iure Suetico expreßè mandetur, vt per totum Regnum Sueciæ æqualis sit mensura, atq; statera, ideò iustum est, vt Leges in hoc articulo, sicut etiàm in alijs omnibus seruentur. Quocircà negotium hoc S. C. cum Senatorum consilio ordinandum commisimus, prout S. C. conueniens eße, & à subditorum, Regniq; detrimento alienum iudicauerit.

Decimotertiò, cùm in veritate deprahendatur, cuprum atq; ferrum Sueticum, in transmarinis Emporijs in contemptum abire, eò quòd eâ diligentiâ non præparetur, et fabricetur, quâ par esset; Sicut etiàm magna sæpenumerò fraus in his mercimonijs deprahendatur: Proindè vnanimiter ità constituimus, vt officiales & prætores montani

sedulò

sedulò attendant, quò cuprum & ferrum, secundum antiqua Montanorum priuilegia secetur, & cudatur; Similiter in minoribus ciuitatibus corycæi constituentur, qui cuprum & ferrum diligenter reuideant; Velut etiàm nonnulli viri probi ordinandi, in quauis vrbe vbi vasa compinguntur, & ferrum illis includitur, qui primò antequàm ferrū imponitur, ad stateram, & probam vasa reuocent, illis deinceps stigma ciuitatis inurentes.

Decimoquartò quoniam Ciuitatum Inhabitoribus, quoad vitæ sustentationem, atq; negotiationem, à peregrinis mercatoribus, qui toto anno in vrbibus negotiantur, multa detrimenta inferuntur; Ideò cum huiusmodi mercatoribus secundum Iura Suetica, & Ciuitatum priuilegia inposterùm procedetur, vt vltra sex hebdomadas in Ciuitatibus simul, nullâ ratione sit illis integrū commorandi: Verùm si quispiam diutiùs illic delitescere voluerit, ius municipis comparabit, & ibidem mansionem figens, perindè ac alij Inhabitatores censum deponet annuum.

Decimoquintò, siquidem querelæ moueantur, quòd nullus Suecus in Dania, aut Lubecæ ad vlla seruitia acceptetur, ideò etiàm ex hac parte similiter cum ijs procedendum, nullo Dano, aut Lubecensi, siuè nobilium, siuè mercatorum obsequijs

 depu-

deputato in totâ Sueciâ; nisi deprahensum fuerit, Suecones Danorum, & Lubecensium, in Dania, et Lubeca seruitijs non excludi; Sicut neq; vllius alienigenæ, in summis Regni muneribus vtendum operâ, quibus Indigenæ secundum Iura sunt præficiendi: Demùm si quis peregrinus famulus, alicuius ciuis obsequio deputetur, sponsores constituet, quòd in ciuitate mansionem fixurus sit, vbi in virum euaserit.

Decimosextò, de censu telonario, quem Regni huius Incolæ persoluunt, more solito obseruandum, nimirùm vt merces extra Regnũ mittendo, mediatatem persoluant censum Indigenæ, ex transmarinis autẽ oris merces excipiendo sint, liberi; Tamẽ qui mercemonia emittunt, aut recipiunt, rationibus & iuramentis in veritate demonstrabunt, quòd nullas ad peregrinos spectantes, suis mercibus supposuerint; Et si quis deprahensus fuerit, quòd hoc pacto alienigenarum merces occultet, & emittat, tàm illis, quàm etiàm proprijs spoliandus.

Decimoseptimò his quoq; approbatum est Comitijs, vt Biblia nostra Suetica prout nunc reuisa, & correcta sunt, primo quoq; tempore prælo subijciantur.

Vltimò ità nos omnes cuiuscunq; status, & eminentiæ, Ecclesiastici, & Politici adunauimus,

mus, et colligauimus, vt si quispiam indigena, aut alienigena, eminentioris aut humilioris status, has nostras, aut alias laudabiles Constitutiones, & Transactiones subuertere, vel certè S. C. Regnumque Sueciæ huius, aut alterius nomine armis impetere attentauerit, vnanimi subsidio, & mutuis viribus huiusmodi tumultui occurramus, pro S. C. & Regni, omniumq; nostrûm salute sanguinem, vitam, & omnes nostras facultates in discrimen adducere, minimè dubitando.

Ad vberiorem verò certitudinem, quòd hoc Decretū, & liberrima Constitutio firmiter nunc, & futuris temporibus à nobis sit seruanda, ideò illam nostris, velut etiàm vrbium, & territoriorum sigillis obsignauimus, ac subscripsimus. Datum Stocholmiæ 17. Iulij, anno 1602.

QVandoquidem verò in superiori hoc Decreto Stocholmiæ facto, eorum fiat mentio, quæ Potentißimus Princeps Dux Carolus, Regi Sigismundo perscripserat, illi in memoriam reuocans, quæ S. C. & nos antea S. M. obtulimus promptitudine singulari; Ideò litteræ S. C. ad Regem Sigismundum transmissæ, hoc loco inseruntur sequenti tenore.

Dux adhuc Regem de filij in Sueciam missione sollicitat.

POtentißime Rex, non immemorem M. V. earum rerū arbitramur esse, quas nos, & Regni Sueciæ Ordines ad M. V. diuersis temporibus perscripsimus, inprimis quidem Ienecopiâ, deindè Stocholmiâ, atq; etiàm Lincopiâ, deniq; ex castro Albilapidis, quibus obnixè postulaui-

nimus, & M. V. admonuimus, quò suum filium in hoc Regnum destinaret, in religione nostrâ christianâ, & moribus educandum, hocq; pacto pro Domino, & Rege nostro acceptandum, vbi eam ætatem attigisset, per quam rerum in Sueciâ potiri, & Regnum eâ ratione, velut par eßet, assecurare liceret: Et quamuis minùs neceßarium fuisset, vlteriorem aliquam de M V. & Successoribus curam subire, quandoquidem V. M. neq; nos, aut Regni Ordines dignos duxerit, vt hactenùs ad præfatas litteras vel minimo verbo responderet; Sed contemnens, & in ventum dispergens fideles nostras admonitiones, nos contumeliosis quibusdam verbis paßim affecerit, detrimento nostro, et omniū Regni ordinum inimicißimè inuigilans, velut ex diuersis litteris, vbiq; locorum in Sueciâ diuulgatis, cognoscere licet, partim priusquàm V. M. vnà cum suis peruersis Consiliarijs, ad illud cruentum bellum sese accingeret, partim etiàm postmodùm; Potißimùm verò litteras quasdam ex ciuitate Vilnensi 16. Maij, contumelijs plenißimas Reualiam destinauit, etiàm ipsâ naturâ illis aduersante, quibus V. M. sine omni veritate, in nos prouectâ ætate constitutos inuehitur, qui patruus V. M. sumus, & commodum M. V. Parentisq; sedulò semper quæsimus, vtpotè qui effe-

cimus

cimus, vt Diadema capiti illius imponeretur, subductum Regi Erico perperàm gubernanti; Atq; V. M: quæ tum temporis in cunis agitabatur, neq; ignem à sese repellere potuit, optimo loco, & velut in asylo constituimus: Verùm loco mercedis, præter alias ingratitudinis notas, famosum nobis imposuit nomen, cupiens vt illud sepulchro nobiscum importaremus; De quo tamen (Deo laus) longè secus toti mundo exploratum, & V. M. ratione legitimâ nunquàm illud nobis appinget, propriâ V. M. conscientiâ etiam attestante, nobisq; suffragante; Præterea ad nos quarundam litterum apographum perlatum est, quas V. M. 25. Februarij Vilnâ ad Regē Daniæ perscripsit, in quibus multas labes famæ nostræ inspergere conatur, temerariè eam iuris dictionem ab alienans, quam Regnū Sueciæ circa peculiaria sua Insignia, scilicet tres Coronas iure possidet; Quorum nomine, præter alias caussas grauissimas profectò, diuturnum bellum cum Danis gestum, in quo multi viri egregij occubuerunt, cumq; Dani à Sueonibus controuersiæ decidendæ gratia super his dilationē anteà impensè flagitarint, iam V. M. ècontra à Danis dilationē postulauit, iuris dictionem Regni Sueciæ sine ullâ necessitate, aduersariæ parti permittens, contra Iuramentum suum & promissum, quam neq; M. V.

aut

aut infidelibus V. M. Consiliarijs vnquàm licuit: Veruntamen huius exorbitationis nullo habito respectu, quòdq́; liquidò ex præfatis litteris colligatur; quantum V. M. gaudium ex nostro infortunio percipiat, ac quo animo erga patriam suam feratur; deq́; illius fælicitate solicitetur, horum, inquam, nullâ habitâ ratione, malũ malo compensare minimè voluimus, imprudentiæ M. V. illos excessus attribuendo, atq́; religionis peruersitati, in quâ V. M. educata, inimicisq́; nostris benefaciendo, si tamen à V. M. & cæteris V. M. sectatoribus, hæc fraterna beneuolentia acceptata fuerit. Quocircà licet Regni Sueciæ Ordines, in celebratis denuò Comitijs nunc Stocholmiæ, velut etiàm anteà sæpenumerò, diligenter & humiliter nos rogauerint, vt absolutum Regni Sueciæ regimen acceptaremus, & M. V. prorsùs renunciarint, prout M. V. probè constat; Attamen illorum postulationi necdùm omnimodum præbuimus consensum: Sed vt M. V. atq́; toti mundo innotescat, nos V. M. aut successorum detrimento non inhiare (licet M. V. mala quæq́; nobis exhibuerit) ast pro nostrâ personâ libenter videre, quò V. M. posteritas, huius Regni gubernaculo aßideret perpetuò; Proindè V. M. adhuc diligenter, & fideliter admonitam cupimus, vt nostræ postula-

ſtulatis, ni ſeſe plus aliquantulùm accommodet, filium ſuum primo quoq; tempore in hoc Regnum expediens: Nam ſi id factum non fuerit, & nos citra Calendas Auguſti, eiuſmodi ſuper hac re non obtinuerimus reſponſum, cuiuſmodi contenti eſſe poſſumus, vitio nobis V. M. non vertat, quòd tandem aliquandò id acceptemus, quod Regni Ordines toties nobis detulerunt, hoc pacto aſſiduæ eorum poſtulationi reſpondentes: De his V. M. reſponſum citra præfatum tempus præſtolamur. Datum Stocholmiæ 20. Iunij, anno 1602.

VErumenimuerò ad has amiciſſimas S. C. litteras, velut etiàm ad ſuperiores, nibil prorsùs à Rege Sigismundo reſponſum eſt: Atq; præter enumeratas rationes, quibus compulſi ſumus vt Sigismundo Regi, & illius ſucceſſoribus in omnibus prorsùs renunciaremus, hæc etiàm cauſſa non poſtremo inter reliquas loco ſtatuenda, quòd multis libellis famoſis, nullo iure patruum ſuum, Illuſtriſſimum Principem Ducem Carolum, modernũ Sueciæ Regem inſectatus, qui non niſi bona quæq; ab illo promeritus; Atq; cùm Rex Sigismundus, non veritus ſit ſuum proximum conſanguineum, nullâ datâ cauſſâ perſequi, quid nobis igitur ab eiuſmodi Rege fuerat expectandum, qui citra omnem culpam, ex conſilio, & perſuaſione ſuorum Conſiliariorum, honori, felicitati, atq; vitæ S. C. nocumenta intentabat? Ea præter enumerata, cruentiſſimum Rex Sigismundus in Liuoniâ exorſus eſt bellum, propalàm S. C. & Regni Sueciæ Ordinibus loco hoſtium proclamatis, eam hominum multitudinem, quam in Poloniâ, Lithuaniâ, & Liuoniâ per feſtinationem conſequi licuit, ad arma contra Suecones gerenda euocando, vt liquidò conſtat ex litteris conuocatorijs Georgij, atq; Leonis Sapiæ, in totâ Liuoniâ eo tempore diuulgatis.

Verùm cùm Rex Sigismundus eò tandem rem deduxiſſet, vt bellum hoc contra Carolum (velut tùm proclamabatur) inchoaretur, à

Finnonibus denuò, potentißimo Principi Dno Carolo rebellantibus, auxiliares copias Poloni expetierunt, qui Inbabitatores Finlandiæ, suasu Regis Sigismundi, & infidelium Consiliariorum machinatione, à Lincopensi Transactione, inter S.C. et Poloniæ Regem constitutâ priùs disciuerant: Nam cùm Rex Sigismundus ex Sueciâ profugiendo naufragium passus eßet, neq; Pacto Lincopensi standum iudicaret, aduersus litteras, & promißiones suas Lindormium Bonde, & Olaum Suerkeri, instigatū denuò Finnones ad arma, illis promißo ex Poloniâ subsidio, expediuit; Sed cùm subsidium illud de die in diem produceretur, Finnonibus metuentibus S. C. in Finlandiam aduentum, frequentißimè per litteras, auxiliaria arma postularunt ex Poloniâ, sicut etiàm à Georgio Farensbecio, alijsq; in Liuoniâ militarem commißionem habentibus, à quibus quotidiè spes auxilij frustrà Finnonibus facta, effectu non subsequente. Ideò in his angustijs Finlandi constituti, plurimis incommoditatibus affecti fuerunt, eorum nonnullis etiàm dispendium vitæ adeuntibus: Hinc factum igitur, quód à S. C. Finnones, propriâ suâ culpâ, & Lindormij Bonde, atq; Olai Suerkeri persuasione cæsi, ac profligati fuerint. Cùm verò Rex Sigismundus ostendere vellet, se aliquo modo Finnonibus, à præfato Lindormio, et Olao Suerkeri instigatis subsidium ferre paratum, tandem aliquandò contra litteras proprias, atq; Lincopensem Transactionem, expediuit Georgium Farensbecium primò Huitenstenum, & deindè Reualiam, vndè illum nebulonem, & perduellem Casparum Tisenbusen seniorem, in Finlandiam, aliquot centenis equitum Liuonicorum stipatum ablegauit, vt Huitenstenum, atq; Reualiam armis subigeret, cui mandato obtemperasset, si per vires, & commoditatem licuißet; Sed quandoquidem nobiles, & alij Inhabitatores Liuoniæ, partibus Sueonum adhærentes, & Sueticæ subiecti Coronæ, has machinationes formidauerint, ad præfatam arcem conuolarunt, nullâ ratione permittere volentes, vt Farensbecius illic intromitteretur: Etsi hoc stratagema successum habiturum, certo certius sibi persuaserit Farensbecius, prouocatus eâ spe quam illi fecerat nobilis quidam Suecus Claudius Slatte, huic intentioni etiàm atq; etiàm Liuoniæ nobilibus renitentibus, siquidem Polonico regimini nullâ ratione subeße decreuerint; Hoc proindè pacto illa machinatio, Dei prouidentiâ, & Liuonum fidelitate, quam erga Regnum Sueciæ fouerant, impedita fuit,

fuit. Cùm verò Farensbecius sese frustratum spe suâ apud Huitenstenum animaduerteret, aliam viam ingressus, Reualiam contendit, pari ratione postulans, vt sibi accessus in ciuitatem pateret, eâ quidem intentione, vt Munitionem Regno Sueciæ subduceret; Sed Castellanus Reualiensis Georgius Boye, atq; etiàm Senatus, in vrbem accessum Farensbecio renuerunt, solummodò permittentes vt vnà cum suis copijs, secus portam ciuitatis transiret, in portu Reualiensi equos suos nauibus impositurus: Quippè indè Casparum Thisenbusen Viburgum destinauit, quam munitionem illi Finnones tenuerunt, qui in eâ pugnâ paulò antè habitâ non occubuerunt, sese Viburgum denuò congregantes ex totâ Finlandiâ cum vxoribus, et liberis profugi, inter quos fuerat Axelius Kurck Campiductor Regis Poloniæ constitutus, à quò protinùs præfatus Thisenbusen cum suis equitibus Viburgi intromissus, prorsùs contra Regis Sigismundi Iuramentum, & obligationem, in quibus prohibetur, nè vlli alienigenæ prouinciarum, aut arcium fiat potestas.

Hoc commemorato modo igitur, Liuoniæ Munitiones Rex Sigismundus occupare voluit, quæ Regno Sueciæ multorū virorum sanguine, & infinitâ pecuniæ summâ steterunt; Quando itaq; Illustrißimus Dux Carolus hæc cognouerat, in Liuoniā sese denuò contulit, huiusmodi perniciem Regni, Suecanis copijs auersurus et propulsaturus: Atq; licet S. C. sufficientem habuißet caußam de Polonorum, Lithuanorum, & Liuonum partibus Polonicis adhærentum, erga sese, & Regnum Sueciæ maleuolentiâ non addubitandi; Nihilominùs tamen priusquàm S. C. aliquid contra aduersarios attentare voluerit, eos quibus Rex Poloniæ imperium commisißet in Liuoniâ, velut Leonem Sapiam, & alios suis litteris compellauit, illis vicißim sese contra omnium populorum consuetudinem, S. C. exhibentibus: Nam non solùm varijs litteris detinuerant, & vanâ spe S. C. lactarunt, verùm etiàm internuncios in carceres compegerunt. Deniq; Rex Sigismundus postquàm huius tumultus adeò fæcundam iecißet sementem, nos minimè dignos duxit suis litteris, vniuersæ pacis media contemnens, quæ S.C. litteris, & internuncijs frequenter R. M. obtulit, nobis tamen non quiescentibus interim, alia atq; alia adminicula quærendo, ut tandem aliquandò huic cruento bello terminus imponeretur; Sed in caßum & ventum omnia cesserunt: Quemadmodùm anno 1602. factum quandò S. C. vnà nobiscum

 quosdam

quosdam Commissarios, velut Axellum Kurk, & Henricum Horn, cum nonnullis alijs expediuerit, periculum facturos vtrùm aliquid in hac controuersiâ possent componere: Verùm sicut hæc, & alia omnia media frustrà suscepta, & attentata sunt, ità quoq; superiori anno contigit.

Etenim licet modernus Rex noster clementissimus, suos Legatos, & Commissarios, nobiles & generosos Dominos, Magnum Brabe Comitem de Visingsborg, et Nicolaum Bielke Baronem de Salstad, vnà cum Reuerendis, & Doctissimis viris, M. Petro Kenicio Episcopo Scharensi, & M. Laurentio Paulino Episcopo Strengnensi, atq; Castellano Aboensi, Ottone Helmer de Tunâ, Castellanoq; Naruiensi Philippo Skeding, super hoc negotio cum Polonis anno 1608. tractaturos expediuerit; Nihilominùs tamen omnem operam, et oleum perdidimus more solito: ità vt hoc sanguinolentum bellum iustis, & laudabilibus medijs, transactionibusq; Rex Sigismundus tollendum prorsùs renuerit. Quantùm verò ad Commissionem Axelij Kurk, & Henrici Horn attinet, eam non difficulter cognoscet, qui sequentem eorum Instructionem legerit, quam illis S. C. tradiderat, quo tempore cum Regni Poloniæ Commissarijs, de inducijs constituendis fuerant tractaturi, cuius Instructionis tenor eiusmodi est.

Conditiones variæ induciarum, inter Polonos & Suecos instituendarum.

PRincipiò in loco tractationis constituti, Polonorum Commissariorum Plenipotentiam inspiciendam postulabant, quam si legitimè confectam animaduerterint, eam retinebunt, suam vicissim illis porrigendo; Deindè significabunt quòd potestatem habeant ad petitionem Polonorum inducias constituendi, earum scopum diligenter priùs ex Polonis inquirentes.

SEcundò si Poloni responderint, quòd Derpatum, Parnauiam, Huitenstenum, & Naruiam desiderent, velut Cancellarius in priori induciarum tractatione postulauit; Responsuri sunt nostri, se potestatem non habere quicquam abalienandi, aut Iuri Suetico subducendi; Verùm quandoquidem Poloni huius belli exordium fecerint, nullâ caussâ permoti, induciasq; modò postulauerint, ideò Liuoniam vniuersam Regno Sueciæ submittent, id si consenserint, potestatem sibi esse inducias cum illis statuendi, nostri asserent.

TErtiò, si Polonici Commissarij hoc præcisè abnuerint, subinferent nostri, quòd siquidem toti Liuoniæ nuncium Poloni remittere nolint, restituant duntaxat Huitenstenum et Vesenburgum, ad Regnum Sue-

Sueciæ iure spectantia. Si neq; hoc voluerint, porrò responsuri sunt nostri, vt Poloni retineant quæcunq; occuparunt, & hac conditione sibi licitum esse dicent, ad certum tempus inducias pangendi, quousq; scilicet vtrinq; re melius examinatâ, certi aßignentur Commißarij postmodùm, qui de pace tractent certâ constituendâ.

QVartò, si Poloni his præbuerint consensum, inducias ferire parati, ex ijs nostri cognoscent (quandoquidem inducias primò petierint) quousq; induciarum tempus sit prolongandum.

QVintò, si Poloni prolixas aliquas inducias obtenderint, vno aut duobus annis, vel pluribus continuandas, occurrent nostri asserendo in mandatis se non habere, tàm diuturnas decernere, sed solummodò ad Pascha; Intereà temporis tractari posse, aut de prolixioribus inducijs, vel etiàm vt Regni vtriusq; Commißarij conuenientes, de firmâ, & diuturna agant pace feriendâ.

SExtò, si inducijs vsq; ad Pascha constituendis consenserint Poloni, ab illis nostri Commißarij perfectas resolutionis, & aßecurationis litteras postulabunt, in quibus exprimetur vt quisq; quæ poßidet retineat, tàm Arces quàm etiàm Prouincias, alter alteri tempore induciarum nihil hostile inferens, quod in prouincias, domos, aut Munitiones cede, vel incendio deuastanda, palàm vel clàm vergat; Sed vtrinq; pax, & quies regnet, ità vt cuiq; liberum vltrò citroq; in Liuoniâ interim commeare.

NOstri autem Commißarij diligenter attendent, vt hæc litteris pacificatorijs inserantur, velut ad litteram sonant, à quibus nè latum quidem vnguem abeant, vel aliqua alia acceptent media.

AD extremum nostri Commißarij elaborabunt quoq; apud Commissarios Poloniæ, vt interim captiui omnes libertate donentur, vir pro viro, aut etiàm pro legitimo lytro: Verùm si cum Poloniæ Commißarijs, nostri super his conspirare nequiuerint, præscripto modo inducias constituere poterint, hoc vltimo articulo sepoßito.

HAc Instructione, & Commißione instructus fuerat Axelius Kurk, et Henricus Horn, Sueonum Commißarij in Liuoniam expediti; Sed quod hac de re Iohannes Zamoski, magnus Regni Poloniæ Cancellarius eo tempore mandauerat vt Carolus Caroli scriberet, atq; ipsemet scripsit, seriò non est factum, sed fraudulenter: Etenim cùm Axelius Kurk,

 Henricus Horn in legatione expediti fuissent, de pace, vt dictum est, tractaturi, nemo illic aderat, qui super hac re cum illis agere vellet. Verùm Sigismundus Rex, & Ordines Regni Poloniæ ad bellum continuandū seipsos quodammodò impulerunt, omnibus pacis medijs, laudabilibus equidem prorsùs exclusis. Similiter Rex Poloniæ, inscijs Ordinibus Regni Sueciæ, clàm ex Regno, per nebulonem illum Laurentium Andreæ Ralamb, S. Birgittæ, & S. Catharinæ scrinia furto subduci, & ex Sueciâ deportari curauit, quæ prisca Regni fuerant monimenta, & sine Suecorum consensu in transmarinas partes non exportanda.

Præter hæc omnia, quantùm vnquàm possibile fuerit, conatus est Rex Sigismundus plures nobis efficere hostes, sicut ex Legationibus diuersis ad Regem Daniæ, aliosq; factis videre licet, de quibus hoc tempore plura facere noluimus verba, cùm absq; illis toti mundo, Regis Sigismundi machinationes liquidò constent, quibus nos, & Regnum Sueciæ vniuersum, ad extremam perniciem pertrahere hactenùs intendebat; Velut fusiùs etiàm posthac demonstrabitur ex vllâ perniciosâ in Moschouiâ molitione, cui illic, atq; alibi adhuc inuigilat propagandæ, in detrimentum nostrum, & Regni totius interitum. Ex his autem omnibus commemoratis belli huius radix pullulauit, vt cruentissimus armorum tumultus, inter celeberrimum ho: Sueciæ Regnum, & Poloniam, Lithuaniamq; hodie etiàm, prô dolor, perstrepat.

DEniq; silentio nobis non sunt prætereunda, quæ Ionas Henricsonius Meldorpius Dithmarsus, in suâ Oratione scribit, quam intitulat: De ratione, & viâ Regiones Septentrionales, ad cultum cedis Romanæ reducendi, cuius hæc sunt verba: Quòd cùm aureum vellus Regi Sigismundo, nomine Hispaniarum Regis, per Comitem de Ligni in Comitijs VVarsauiensibus offerretur, tùm temporis Regē Poloniæ inter cætera hoc iuramentum deposuisse, nimirùm quòd amicitiam, & fraternitatem synceram cum Duce Aurei velleris culturus eßet, & religionem Catholicam propagaturus, hæreticorum extirpationi pro viribus inuigilando. Quis iam igitur in toto mundo tàm fatuus, & imprudens est, qui ex his non probè colligat, quid Rex Sigismundus Serenißimo Duci Carolo, moderno Sueciæ Regi legitimo, & nobis machinatus fuerit: qui Romanā fidem prorsùs abiurauimus, & solummodò veræ Euangelij doctrinæ adhæsimus, secundum pijßimam Regis Gustaui admonitionem, quam

quam eo fine ad nos instituit, nè hominum traditionibus nos seduci pateremur, cui auitæ exhortationi, cùm Rex Sigismundus morem non gesserit, meritò iurisdictione hæreditariâ spoliatus est: Proindè quòd in præfatis Comitijs Aureum illud vellus acceptans, iuramento Rex Sigismundus suo promiserit, se Romanam fidem propagaturum, hæreticis prorsùs extirpatis, illi profectò iniurius extitit iuramento, & præuaricator, quod in suâ Coronatione apud Suecones deposuit, vt quisq; vir prudens, illius iuramenti conscius diiudicabit. Iàm verò quis vsq; eò simplici præditus ingenio, qui non assequi scopum illum poterit, propter quem ille Ordo velleris aurei inter Hispanos, & Regem Poloniæ institutus? Profectò neminem esse mortalium arbitramur, qui secùs sibi de hac re persuadeat, quàm hanc confæderationem non solùm nobis, & religioni nostræ christianæ suppressionem intentasse, verùm etiàm omnibus reformatis regionibus, quæ veram Euangelij doctrinam acceptarunt, quà in spiritualibus, quà secularibus negotijs perniciosam fuisse, nisi diuino auxilio in hodiernum vsq; diem, peruerso illius proposito obstaculum fuisset positum: Siquidem qui confrater Regis Hispaniarum existit, fœdus etiàm habet cum capitali nostro hoste diabulo, & Pontifice Romano, qui nobis peruersam suam religionem obtrudere conatur: Quam siquidem acceptare nolimus (à quâ diuinâ bonitas nos clementer conseruet) in politicis rebus non negligit suis machinationibus, infensissimos nobis vndequaq; efficere hostes, & quantùm illi possibile, nullam prætermittit huius peruersitatis occasionem. In summâ, Rex Sigismundus nobis, & patriæ suæ, eam contumeliam, dedecus, atq; detrimentum exhibuit, quæ vnquàm ad opus perducere per se, & suos sectatores potuit. Itaq; cùm intolerabile nobis fuerit diutiùs illius imperio subesse, in quo neq; Iuramenti, litterarum, verborum, aut promissionum ratio vlla habita, vndè tàm æternam quàm etiàm temporalem perniciem largo ostio profluere animaduertimus; Proindè anno 1604. Comitia Norcopiæ indicta frequentauimus, & commemoratis rationibus compulsi, has Constitutiones sanciuimus, quas coram Deo, & toto mundo legitimas arbitramur, quarum sequens est tenor.

Nos

Comitia Norcopensia.

NOs infrascripti Senatores, & Ordines Regni Sueciæ, Comites, Barones, Episcopi, Nobiles, Ecclesiastici, copiarū militarium Ductores, Ciues, Communitas, qui hic Norcopiæ indictis, & nunc per Dei gratiam peractis Comitijs interfuimus, tàm plenâ ex potestate omnium prouinciarum, quàm aliâs etiàm proprio nomine, notum facimus, & hisce corā omnibus confitemur, quòd cùm potentißimus Dominus Carolus, Regni Sueciæ designatus Rex, & Princeps hæreditarius, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ, nobis in quauis Regni ditione per Mandata publica insinuauerit, quo pacto hæc charißima patria nostra quàm infensißimè, & fraudulentißimè ab indigenis, & alienigenis prematur insidijs, vt nisi multifarias illas machinationes, quæ Regno huic, & illius Inhabitatoribus palàm, atq; clàm intentantur, potißimùm à Rege Poloniæ, & nonnullis Suecis apostatis, ac perduellibus (qui nobis mala quæq; minitantur, nullâ iuramenti, aut honoris, seu verborum ratione habitâ) tempestiuo consilio, & idoneo adminiculo anteuertamus, indè dubio procul omniū perniciē, et interitum, quem Deus clementer auertat, pleno agmine subsequuturum: Idcircò S. C. à nobis postulauit, sicut etiàm seriò nos admonuit, quò hic Nor-

hic Norcopiæ, die 6. Februarij proximè iam elapſo compareremus, S. C. conſilium noſtrum in ijs, quæ nobis proponerentur negotijs communicaturi. Quamobrem velut obedientes, & dicto auſcultantes ſubditi, S. C voluntati, & mandato paruimus, potiſsimùm verò cùm cognouerimus, id non ſolùm Regni totius, ſed etiàm peculiaris noſtræ vtilitatis plurimùm intereſſe; Proindè eò libentiùs, et alacriùs ad hæc Comitia confluximus, atq; de omnibus Regni negotijs, noſtræ deliberationi propoſitis, nos hac ratione vniuimus, & illa concluſimus, velut hic ſubnectitur, & aliâs in renouatâ Vnione hæreditariâ expreſſè inuenitur.

Inprimis cùm noſter clementiſsimus Princeps Dnus Carolus, ſeſe magnoperè excuſauerit, quòd propter plurimas, easq; pernicioſiſsimas machinationes, quas S. C. quotidiè inaudit, & experitur, ſibi & vniuerſo Regno intentari à nonnullis inquietis, ac peruerſis hominibus, neq; litteras, aut ſigilla, verba aut honeſtatem impensè æſtimantibus, huic Regni gubernaculo diutiùs aſsidere nequeat, his nobis binis conditionibus propoſitis, vt vel in gratiam redeamus cum Rege Poloniæ, cui toties renunciauimus, aut certè Illuſtriſs. Ducem Iohannem, Regni Sueciæ Principem hæreditarium, S. C. dilectiſsimum ex fratre Nepotem,

pro Dno, & Rege nostro acceptemus, quod gratum S.C. futurũ, & in regimine, Illustrißimo Duci Iohanni, consilio & auxilio se astituram promittens. Itaq; licet, vt Deum testamur, nobis non minùs, quàm S. C. molestum, & ingratum sit, quòd Sigismundus Rex Poloniæ, vsq; eò sese permiserit seduci, vt nobis ansam præbuerit iustißimam, se, & suos hæredes illâ iurisdictione priuandi, quam Deus, & natura illi concesserant, & nostri Maiores, sicut etiàm nos, illi Regiæ familiæ spontè, & maturo consilio obtulimus & confirmauimus; Sed quandoquidẽ ex plurimis malis, quæ in nos cateruatim collimantur, vndequaq; quotidiè experiamur, nullam apud S. M. emendationem expectandam: Verùm si illam reciperemus, nos pro certo, et omnes nostros Succeßores, velut etiàm Regnum vniuersum, ad sempiternam animæ, corporisq; perniciem (à quâ nos Deus clementer conseruet) præcipitaret: Ideò eum, aut eius hæredes pro nostris Dominis, & Gubernatoribus, nullo vnquàm tempore agnoscemus, illis prorsùs modò, velut anteà frequenter renunciantes, atq; primo quoq; tempore, eas rationes quoq; legitimas ex typo diuulgabimus, quibus compulsi, illo nos, & eius hæredibus abdicauimus, quas nullam Nationem, populum, aut Regnum quodcunq; tandem, vel vllam personam,

ſonam, eminentioris aut humilioris conditionis improbaturam, ſed potiùs compaſſuram, nobis perſuademus, admirando nos tanto tempore eiuſmodi ſubeſſe imperio potuiſſe.

Etſi verò nobis fatendum, neminem ſecundum lineam hæreditariam, propinquiorem eſſe huius Regni Diademati capeſſendo, quàm Illuſtriſſimum Principem Iohannem, ſecundum Regem Sigismundum, & illius Liberos; Nihilominùs tamen quandoquidem præfatus Princeps Dux Iohannes, in noſtrâ præſentiâ ſeſe iure ſuo abdicauerit, ſeq; reſoluerit, quòd nullâ ratione velit moderno, aut futuro tempore Conſtitutioni Lincopenſi, aut huic Norcopenſi ſeſe opponere; Verùm Sereniſſimo Duci Carolo, & eius maſculis hæredibus eandem Iurisdictionem tradiderit, obnixè efflagitando, quò S. C. regimen, & Coronam acceptare dignaretur, velut illa Oratio quam Dux Iohannes ſextâ die Martij, in præſentiâ quorundam Regni Ordinum, ad potentiſſimum Dnum Carolum oretenùs habuit, teſtatur; Ideoq; memoratus Princeps Dux Iohannes, huic Decreto Norcopenſi vnà nobiſcùm ſubſcripſerit, ſanctè promittens, nullo vnquàm tempore ei quidquam in contrarium, vt dictum eſt, ſeſe acturum, ſub hæreditariæ iurisdictionis amiſſione, quam ad Regnũ

 Sueciæ,

Suecia, secundum Vnionem eandem hæreditariam, sicut etiàm ad Ducatum, & bona hæreditaria quæ in Regno Sueciæ poßidet. Similiter quòd nunquàm cum Rege Sigismundo, aut illius filijs, & successoribus aliquas Transactiones ingressurus sit; Sed illis pro viribus extremis semper resisturus, Illustriß. Ducis Caroli Consortem thori, Liberos, & Succeßores, aduersus Regem Sigismundum protegens, & in eâ iurisdictione, quæ illis pro tempore à nobis promißa defendens, atq; conseruans. Quamobrem his, atq; alijs legitimis de caußis, quarum nonnullæ in Constitutionibus Lincopensibus enumeratæ, non potuimus Illustrißimo Principi Iohanni, Regni gubernaculum obtrudere, potißimùm verò cùm S. C. his annis iuuenilibus, impares tanto gubernationis oneri humeros habere probè cognoscamus; Si autem nostris aduersarijs pro neceßitate occurrendum, Regnumq; tranquillitati pristinæ restituendum, requiritur ad hoc, secundum Dei auxilium, & subsidium, maturus iuxtà ac prudens Gubernator, qui hostium machinationibus obicem ponere, atq; Regni defectus corrigere probè noscat.

Itaq; humillimè, æquè ac diligentißimè clementißimum Principem nostrum, & Regem designatum, Illustrißimum Ducem Carolum rogauimus,

uimus, quò molestissimo regimine defatigatus, illud iam non abijceret, aut nobis innocentibus imputaret, quorundam peruersorum hominum facinora, dignissimum verticem Diademati submittens tandem, atque inposterùm, sicut hactenùs nobis existaret protectioni, consolationi, & defensioni periculoso hoc tempore, in quo nobis, & Regno vniuerso, vsque eò fraudulenter, & hostiliter præter meritum Aduersarij insidiantur: Illud verò S. C. assiduis, et concordibus nostris precibus commota, sese facturā promisit, eo pacto Regni huius habenas tractans, velut coram Deo, & omnibus Regni Sueciæ Inhabitatoribus, securè postmodùm respondere velit, Proindè quam primùm illud Renunciationis opus confirmatum, & publicatum fuerit, caussæque omnes per hoc innotuerint, quibus nos coacti, imperio Suetico Regem Sigismundum, & eius liberos abdicauimus, Coronam acceptare decreuit, de tempore Coronationis ante festum Bartholomæi S. C. nos certiores redditura; Quam profectò solennitatem, fælici, faustoque tempore celebrandam, vtque S. C. gaudio, & nobis, totique Regno auxilio, consolationi, & subsidio sit, ex intimis animi sensibus comprecamur. Nos vicissim pro eiusmodi S. C. clementi resolutione, atque promissione spopondimus S. C. eiusque dilectissimis hæredibus,

dibus, ſicut etiàm Illuſtriſsimo Duci Iohanni, ſecundum hanc Vnionem hæreditariam, omnem ſecuritatem, fidelitatem, virilem aſsiſtentiam, & prompta obſequia fideliter exhibituri ſimus, adiuuantes ſtrenuè vt illi qui hactenùs, aut impoſterùm S. C. aut præfatis iuuenibus Principibus detrimenta machinati fuerint, hanc noſtram Tranſactionem demoliri neſariè conando, non impunè ferant, alijs eiusdem cohortis hominibus, indè documentum, & exemplum captantibus.

Verumenimuerò Illuſtriſsimo Duci Iohanni, cum conſenſu Sereniſsimi Principis Caroli, pro voto memorati Ducis Iohannis (ſiquidem eum Ducatum acceptare noluerit, quem ſuus Dominus parens poſsedit, priusquàm reginine Suetico potitus, licet S. C. data ſit optio) illum Ducatū quem Duci Magno Rex Guſtauus, inclytæ memoriæ, aſsignauit, multis alijs iurisdictionibus, & bonis feudalibus denuò cumulatum contulimus, velut litteræ donationis ſuper hac re datæ teſtantur, quo Ducatu Dux Iohannes optimè contentus. Siquidem verò prædicti Principis Iohannis ætas necdùm permittat, vt ipſemet pro neceſsitate, commodo ſuo inuigilet, ideò nos vnà cùm Sereniſsimo Duce Carolo, & ſecundum Principis Iohannis deſiderium, S. C. in auxilium, & ſubſidiū, quousq;

usq; ad eam peruenerit ætatem, quã ipsemet suis rebus prospicere poterit, nobiles, & generosos Dnos, Nicolaum Bielke de Salstad, Siguardum Ribbing, Turonem Iacobi, & Lindormium Ribbing constituimus, qui præfato Duci consilio, & auxilio non defuturi, eius commodum eâ ratione quærentes, & promouentes, prout coram Deo, & clementissimo Principe nostro Carolo, sicut etiam Duce Iohanne, nobisq; omnibus securè velint respondere, cuius nomine peculiari quodam iuramento sese obstrinxerunt. Deindè si potentissimus Princeps Dux Carolus, mortem priùs oppeteret, (quam Deus ad multos annos clementer differre dignetur) quàm S. C. filius, Illustrissimus Dux Gustauus Adolphus, decimum octauum attingeret annum, Serenissimo Duci Iohanni, vnà cum dilectissimâ clementissimi Dni nostri Consorte, alijsq; nonnullis nationis Sueticæ viris (quos S. C. in vltimo voluntatis suæ testimonio, ad hoc ordinauerit, quibus obedientiam, submissionem, auxilium, & subsidium promptè laturi sumus) Regni gubernaculum committetur, quousq; Illustrissimus Dux Gustauus, dictos ætatis annos attigerit; Tùm temporis etenim dimidium regiminis accepturus, sed vbi vigesimum quartum expleuerit annum, omnis regia potestas, & authoritas, secundum Iura Sue-

ra Sue-

ra Suetica illi porrigentur, quæ illi velut legitimo Regi Sueciæ, iure debentur. Quidquid autem interim priusquàm illi minorennes Principes vigesimum quartum annum attigerint, ab ijs postulatum, impetratum, aut cum ijs tractatum, & peractum fuerit, à quocunque tandem, ratum, fixumque non est habendum.

Similiter consensimus, & approbauimus vt siquidem clementissimus Rex noster electus, Dux Carolus nobis promiserit, in suo testamento sese compræhensurum, quâ ratione regimini (si in fata concederet S. C. priusquàm Illustriss. Princeps Dux Gustauus Adolphus, ad ætatem legitimam perueniret) manus admouendæ forent, ijs viris quorum operâ in hoc negotio vtendum, nominatis, cum alijs pluribus, quæ S. C. ad Dei honorem, & Regni huius, Inhabitatorumque emolumentum spectare iudicauerit, præfatum Testamentum omnimodè ità concinnans, atque ordinans, vt præceptis diuinis, Imperiali & Suetico iure, velut fundamentis nitatur solidissimis, cum præteritis Constitutionibus conspirans in omnibus, velut hic renouata Vnio hæreditaria attestatur; Quocircà pro viribus adnitemur, vt præfatum in suis omnibus Articulis exequutioni mandetur Testamentū. Siquidem verò Regni Sueciæ Diadema, à Regis Iohan-

Iohannis masculis hæredibus iã deceßerit, memoratis de caußis, alijsq́ adhuc fusiùs in Renunciationis opere, ex typis propediem diuulgando, commemorandis, atq; clementißimo Principi Carolo, eiusq́ legitimis hæredibus porrectum, & permissum; Ideò priscam illam Vnionem hæreditariam nunc renouauimus, & temporis huius conditioni accommodauimus, velut ex illius contextu colligere licet, qui non multò post typis subijcietur publicandus: Atq; si quispiam post hunc diem inueniretur, qui clàm aut palàm hanc Vnionem hæreditariam, & Constitutionem nunc factam vellet demoliri, & illi in contrarium agere, cupiens regimen ad aliam deriuare familiã, quamdiu aliquis ex prosapiâ clementißimi Regis nostri electi, vel Illustrißmi Ducis Iohannis supereßet; Siuè etiàm Regnum Sueciæ reddere eclogicum, in quo statu magno infortunio, velut historiæ commemorant, cumulatum fuit; Siuè deniq́ exclusis succeßoribus Gustauianis, ad Regni solium ipsemet subrepere desideraret, nos eâ ratione viuimus, quòd pro viribus auxilium laturi simus, vt ille, aut illi quicunq́ tandem fuerint, tali opinioni, & machinationi indulgentes, atq; inuigilantes, velut perduelles patriæ plectantur, bonis eorum ad fiscum regium deuolutis: Atq; si eius ætatis liberos post se

 reli-

 reliquerint, vt gnari atq; conscij esse poßint eiusmodi perduellionis, neq; illam prodiderunt, pari supplicio cum parentibus afficientur: Sin verò parentum machinationes nefarias detexerint, paternis bonis potientur sine vllâ tergiuersatione, in parentes velut in perduelles digno supplicio statuto; Sed si annos discretionis necdùm attigerunt, ità vt eos illa machinatio prorsùs fugerit, parentes vitæ, & bonorum iacturam sustinebunt, liberis non inhonestatis, & bonis ijs tantùm potiuntibus, quæ solùm ad maternam hæreditatem, non ad paternam spectauerint; Nisi constiterit vxorē quoq; conspirationis consciam, & perduellionis ream vnà cum marito, hoc casu neq; maternam hæreditatem liberi adibunt, tàm paternis quàm maternis bonis ad fiscum regium, & Coronam deuolutis; Similiter neq; eminentiori, in hoc Regno vnquàm munere fruentur, nisi speciali Regis gratiâ, et fidelibus suis obsequijs, erga M. R. atq; Regnū, illum dignitatis gradum denuò promereantur.

Atq; cùm S. C. nobis insinuauerit, eos qui Lincopiæ promeritas luerunt pænas, sicut etiàm Hogenschildū, & Claudium Bielke, qui in vinculis S. C. detinentur, præter alia sua facinora, etiàm in eâ opinione fuiße, & huic nefariæ machinationi inuigilaße, vt in præiudicium Vnionis

hære-

hæreditariæ, Regni huius gubernationem à Gustaniana propagine, ad suos Successores transferrent, aut certè Regnum Sueciæ eclogicum denuò efficerent; Quam sanè molitionem S. C. multis argumentis contra eos probauit, quorum etiàm nomine vnà cum reliquis, rei sunt Lincopiæ depræhensi, velut ipsa sententia lata commonstrat; Ac proindè S. C. petierit, quò eorum filijs eiusmodi memoriæ bolus porrigeretur, vt inposterùm in collegium Senatorium, aut ad alias eminentes in hoc Regno functiones nunquàm adoptentur. Itaq; quandoquidem plerumq; fieri soleat, vt filij parentũ transgreßiones citò tradant obliuioni, nisi quotidianam habeant reminiscentiam, proindè vt horum liberi sint memores inconstantiæ, & nefariæ machinationis, quã parentes eorum aggredi non sunt veriti, à similibus facinoribus sibi cauendo, cùm experientia doceat quotidiana, vitia parentum liberis adhærere, statuimus vt neq; eorum Senatorum liberi, qui Lincopiæ sunt plexi, neq; etiàm horum qui modò in vinculis detinentur, Senatorio munere in hoc Regno, aut alio quopiam primario officio fungantur, nisi ex peculiari R. M. & Principum gratiâ, non obscura paßim edendo argumenta, quòd patriæ, & hæreditarijs suis Dominis, donec christianè & legitimè gubernarint, sint addicti:

Aliâs quamdiu quietè, & pacificè sese gesserint, adiuuerintq; vt Regno benè succedat, liberum sit illis in patriâ commorari, & nobilitatis legitimè comparatis priuilegijs frui. Non tamen hisce intelligendo, vt sese aliquo postmodùm titulo iactent, quem eorum parentes à Rege Erico, aut Iohanne consequuti sunt; Sicut neq; ijs bonis potientur, quæ pro baronatu à præfatis Regibus consequuti sunt, idq; loco recordationis, quòd eorum parentes non agnouerint illos, à quibus eiusmodi gratiam, authoritatem, atq; nomen obtinuerunt; Sed horum beneficiorum immemores, ex Regio solio naturales suos Dominos, & benefactores sibi à Deo præordinatos extrudere decreuerunt, pro tanto beneficio, tàm insignem ingratitudinem refundendo. Verùm propriam suam hæreditatem, quantùm illis à parentibus debetur, retinebunt, frater fratris portionem, & soror sororis, quotquot in hoc Regnū sese conferre voluerint, secundum eam citationem, quæ his Comitijs publicata est, quam quicunq; neglexerit, eius bona ad fiscum regium deuoluentur, prout ex sequentibus liquebit. Quantùm verò ad Hogenschildum, et Claudium Bielke spectat, cum illis secundum Lincopensem Transactionem procedendum: Præterea quamuis clementissimus Princeps, & Dominus noster, vnà nobiscùm

nobiscùm Lincopia manifestam diuulgauerit citationem, ad eos omnes directam, qui ex Regno profugerunt, vt in Regnum aduolarent, citra tres illos terminos præscriptos in eadem citatione, ad ea omnia responsuri, quæ S. C. atque nos illis obijcere possemus, nosq; idipsum illis obtulerimus, sicut etiàm liberum, & securũ promiserimus saluũ conductum, quòd præter iura, & iusticiam nihil vllo pacto ijs foret irrogandum: Tamen necdùm vllus eorum comparuit, neque absentiæ suæ caussas legitimas significarunt, aut quamobrem nostræ citationi supersederunt, & illic delitescentes in exteris, S. C. nos grauissimè incusant, quasi eos ex Regno proscripserimus, omnemq; violentiam, & iniusticiam intulerimus.

Itaq; vt totus mundus animaduertat, nos eorum infortunio, atq; detrimento minimè inuigilare (etsi porrò nulla illis gratia foret exhibenda) statuit S. C. nobiscùm vnanimiter, vt adhuc semel concordiæ, atq; vnionis ergò, publicis nostris mandatis illos in Regnum inuitaremus, eam rerũ suarum rationem ineuntes, vt intra sex menses subsequentes litterarum nostrarũ exarationem, in hoc Regno apud S. C. compareant, S. C. & nos assecurando, quòd nobiscum vnà conspirare velint, & nullo vnquàm tempore verbis aut factis, pa-

làm vel clàm contra hanc celebrem Constitutionem, atq; Vnionem hoc tempore factā quidquam facturi, aut machinaturi, & quicunq; hoc fecerint, bona mobilia, & immobilia sua recepturi sunt; Qui verò his mandatis non obtemperauerint, hac nostrâ citatione contemptâ, intra Regni limites nunquàm pacificè victuri, sed vbicunq; in hoc Regno deprehensi fuerint, velut patriæ perduelles punientur; Similiter qui eos hospitio suscipit, aut auxilio subuenit, pecunijs aut alio precio, intra aut extra Regnum, vel etiàm litteris, & internuncijs inuisit, eodem loco cum illis habebitur, proscribendus ex Regno, nunquàm pacem in eo, aut reditum habiturus, bonis omnibus mobilibus, & immobilibus ad fiscum Regium deuolutis: Attamen sub his minimè intelligetur vterq; Georgius Posse, velut etiàm eorum complices, quiq; vnà cum illis ex Regno profugerunt, sicut neq; Comes Ericus, Comes Axelius, Comes Gustauus, Iohannes, Ericus, et Axelius Gyllenstiernij, nisi ex peculiari clementißimj Regis nostri electi gratiâ, & intra semestre spacium sese in hoc Regnum contulerint, secundum quod, sex hebdomadibus illis licebit in hoc Regno commorari, caussæ suæ patrocinio operam impendentes: Atq; si intra memoratas sex septimanas, caussam suam meliori non statuerint

tuerint loco, liberum ijs futurum ex regno discedere, postmodùm intra limites Regni Sueciæ pace nunquàm frui turi, bonis eorum cunctis ad peculiũ Coronæ deriuatis. Pari ratione consensimus, & statuimus vt illi, qui vel studiorum, aut militaris experientiæ acquirendæ, aliorumuè negotiorum caussa, in exteris constituti sunt, etiàm in Regnum vocandos esse, illustrißimũ Principem Ducem Carolum, nos, atq; Regnum vniuersum, de suâ fidelitate assecuraturi, quo facto, integrum illis erit quocunq; velint discedere; Promißit etiàm S. C. illos quos optimo ingenio, & progressu temporis patriæ vtiles cognouerit futuros, sese promoturam, illis auxilium ferendo, vt sua studia continuent, & vlteriorem in exteris nationibus litterarũ experientiam consequantur: Verùm nisi in Regnum sese priùs contulerint, secundum tenorem publicati mandati, æquales alijs perduellibus reputabuntur.

Insuper quandoquidem in veritate animaduertamus, hostem nostrum ad tolerabilia pacis media minimè propensum, sed Regni Poloniæ Cancellarium in suis ad clementißimũ nostrum Principem litteris, eiusmodi media proposuiße pacificationis, cuiusmodi in æternum non sumus acceptaturi, verũ potiùs vniuersas possesßiones nostras profusuri;

fusuri; Similiter neq; S. C. Legatos, quos superiori anno ad petitionem Polonorum, in Liuoniam expediuerat, velut Axelium Kurck, & Henricum Horn, ut de inducijs & pace tractarent, ad nullam cum Polonis tractationem esse admissos; Sed vbi Poloni aduerterant, nostros Commissarios adesse, & pro illorũ petitione cum ijs paratos de pace agere, prorsùs renuisse, exindè subitò proficiscentes: Quocircà cùm inducias, aut pacem apud illos obtinere nequeamus (quam tamen quantùm nobis possibile, cum omnibus nostris vicinis libenter contraheremus, & foueremus) ac Poloni ipsimet prima huius belli fundamenta iecerint, velut hostes cum Rege suo in hoc Regnum aduenientes, ideò ea media quibus nos, & hoc Regnum nostrum defendere poterimus, circumspicere compellimur: Idcircò his Comitijs vnanimiter, & concorditer consensimus, ac approbauimus nos integro triennio à primâ die subsequentis Maij computato, extraordinariè in acie contra Polonos, & alios quoscunq; hostes, quidpiam contra patriam nostram molientes (licet necdùm de vllis alijs nobis constet hostibus) nouem millia peditum, atq; equitum, quà alienigenarum, quà indigenarum quoscunq; producere poterimus, & animum virilem habuerint sub vexillis nostris militandi, sustentare velle,

illis

illis quouis mense, militare salarium fideliter, et alacriter persoluendo, præter alium militem, quem S. C. ex Regni prouentibus sustentatura: Atq; si antequàm triennium illud fuerit euolutum, ad tolerabilem & christianam pacem peruenire non potuerimus, porrò adhuc S. C. quantùm per facultates nostras licuerit, succurremus, & priusquàm Regem Poloniæ, aut eius hæredes recipiemus, vel permittemus vt Regni Sueciæ limites diminuantur, omnes facultates nostras apponere sumus parati, imò et vitam ipsam in discrimen quoduis vocare non reformidabimus: Ideò nos Copiæ militares tàm Equites, quàm Pedites, qui his Comitijs præsentes fuimus, pro nobis & nostris Commilitonibus domi remanentibus obtulimus, & promisimus nostram operam, vbicunq; S. C. illam pro Regni emolumento requisitura, nobis eo pacto de equis & armis prouidendo, velut conueniens, ac sicut honestos & strenuos milites nos exhibendo, vt Regnum hinc non parùm capiat vtilitatis, & S. C. abundè nobiscùm contentetur. Verùm si quispiam ex copijs militaribus inueniretur, qui potiùs domi remanere cuperet, quàm hostem armis impetere, & de foco patrio repellere, à nobis vnanimiter statutum est, vt ille vnà cum alijs Regni Inhabitatoribus ad ea ferenda subsidia, quæ

 à nobis omnibus hic ad bellum continuandum approbata sunt, domi remanendo pro viribus & facultatibus suis incumbat, quantùm ad illum spectauerit.

Quemadmodùm verò nunc memoratâ ratione, de primarijs Articulis nos vniuimus, & statuimus, ità etiàm nonnullos alios articulos, in Regni, & regiminis subsidium, Indigenarumq; emolumentum spectantes, ad deliberandum suscepimus, & hoc pacto de illis conspirauimus, ac vnanimiter conclusimus.

Primò, quanquàm Stockholmiæ conclusum fuerit, vt Iura Regni Sueciæ reuiderentur, & corrigerentur, ac deinceps in omnibus ditionibus publicata, & approbata, vnà cum Regni Recessibus, & Constitutionibus inprimerentur, quo tempore nonnullæ personæ quoq; nominatæ, quæ huic labori manus admoturæ erant: Attamen in veritate depræhendimus, nihil adhuc in hoc negotio effectum, proindè denuò consensimus, & conclusimus vt præfatum laborem nonnulli viri boni, & prudentes suscipiant, & omninò ad opus perducant, ac quamprimùm finem imponant, quique ad hoc deputati fuerint, primo quoq; tempore Stocholmiæ sunt comparituri, vbi Coronæ sumptibus, quousq; eum laborem expediuerint, sustentandi.

Secun-

Secundò, licet nonnihil præteritis Comitijs consultatum sit, quâ ratione innumeræ illæ vecturæ, quibus Regni Inhabitatores grauantur, quàm commodissimè tollerentur; Attamen ad hoc vsq; tempus, ad optatum effectum non peruenit, neq; subditorum grauamina hoc pacto quicquam diminuta, licet S. C. de hac re plurimùm fuerit sollicita, & partim optimis quibusq; ordinationibus, partim etiàm publicis Mandatis, eâ subditos molestiâ liberare studuerit. Itaq; cùm eiusmodi vecturæ, & hospitalitates per anni curriculũ inæqualiter transeant, subditiq; præter modum illis grauenter, & exhauriantur, vt annua tributa persoluere nequeant, ideò commodiori adminiculo, visum est nobis non posse hæc grauamina remoueri, quàm vt subditi certam pecuniæ summam contribuant (ad quam sese promptos obtulerunt) ac deinceps tabernatores secùs quodlibet iter constituantur, & vbi necdùm sufficientes sunt, duo aut tres, vel etiàm plures, prout necessitas postulauerit, ordinentur, qui omnes hospitalitates excipient, ad quos vnusquisq; tàm Regni Senatores, quàm alij per Regnum proficiscentes, diuertent, pro cibo, & vecturâ legitimè persoluentes, secundum tenorem illius Mandati, quod clementissimus Princeps & Dominus noster, in suo Ducatu,

 super

 super hac re publicauerat, illudq́, quantùm ad proprios Regni seruitores, aut nobilium famulos spectat; Verùm alij qui per Regnum proficiscuntur, velut mercatores, aut quicunq́, tandem, cum tabernatore quàm poßunt optimè de solutione conuenient: Atq; si plures ad tabernatorem diuerterint hospites, quàm poßit domo suscipere, & necessaria suppeditare, ad vicinum suum eorum quosdam expediet, sicut Iura loquuntur, qui eadem iurisdictione quâ tabernator ipsemet, fruetur: Quarè cùm exercitus equestris aut pedestris ad lustrationem, vel militarem expeditionem euocatur, menstruum, aut hebdomadarium, pro temporis conditione, illi numerabitur salarium, ideoq́, vbi per Regnum transierit, in diuersorio soluere tenebitur, apud nullum Sacerdotem, aut rusticum diuersans, sine persolutione; In quibus Commißarij, vnà cum alijs Ductoribus militaribus, diligentem inspectionem circa equites & pedites habebunt, nisi pro meritis, si secùs factum fuerit, pœnam sustinere velint.

Similiter viri nobiles, intra Senatorium ordinnem, aut extra constituti, cùm illi, aut eorũ famuli per Regnum iter instituunt, pro se vbi ad Coronæ subditos, pro aliquâ promotione obtinendâ diuerterint, velut Regij seruitores persoluent. Atq; idcircò

circò cum suis proprijs rusticis de aliquo subsidio hac in re impetrando, prout cum illis conspirare poterunt, tractabunt; Neq; Regni etiàm Domini, aut illorum famuli, nobilium subditos vectionibus, aut hospitalitatibus molestabunt, nisi pro solutione legitimâ; Verũ si contigerit Regni Senatores, in Reipub. negotijs longinquum aliquod iter instituere, Regni Gubernator illis de viatico prouidebit. Hæc vnanimiter de vecturis, & hospitalitatibus statuere omninò decreuimus, et si quispiã his in contrarium fecerit, sine persolutione apud Sacerdotem, vel rusticum diuersans, officiarij per Regnum, & præfecti vnà cum militibus, & plebeculâ viciniori illum comprahendent, siuè vnus aut plures sint, & deinceps sententiam in eos ferent, pænâ legitimâ subsequente, sine omni gratiâ reis factâ, & appellatione ad superiorem Iudicem, quemcunq; tandem: Ideò in his Castellani, Præfecti, et Officiarij diligentem inspectionem habebunt, vt cùm eiusmodi negotijs legitimè, & rationabiliter procedatur, aliàs pro infidelibus Reipub. viris æstimandi, & officio exuendi, si amicitiæ, aut alterius cuiuscunq; habuerint respectum.

Tertiò, siquidem cognoscimus illud Mandatũ, quod S. C. ante aliquod tempus, de monetâ publicauerat in Regni emolumentũ, nonnullos mul-

 tifariè

tifariè transgredi, vt licet S. C. seuerè inhibuerit, nè quisquam pro thalero imperiali, plus quàm triginta duos großos Sueticos daret, attamen minimè obseruari: Proindè consensimus & approbauimus, quò probus imperij thalerus trigenta sex großis Sueticis constet, nemine plures pro illo dare attentante. Pari ratione in hoc Regno, nulla alia moneta in commutationibus, & negotiationibus acceptabitur, quàm Suetica, nempè solidi thaleri, & aurũ signatum, sub illâ pænâ incurrendâ, quam Mandata indigitant: Siquidem verò inaudiuerimus, nonnullos occasionem ex hoc arripuiße, quòd in Mandatis dicatur nullam monetam acceptandam, nisi Sueticam, aurum signatum, & solidos thaleros, prorsùs contra Mandati legitimum sensum, à rusticis pro eorum annuis tributis, solùm efflagitandi, & acceptandi; Ideò cùm hoc indignum sit, vnanimiter statuimus, vt quicunq; aliquem rusticum compulerit ad solidos thaleros, aut aurum contribuendum, Sueticam monetam offerentem, neq; contentus fuerit eâ monetâ, quam rusticus ex tribus illis monetæ generibus memoratis obtulerit, si aliquis præfectorum fuerit, velut fur & perduellis plectetur; si nobilis, nobilitatis suæ priuilegijs spoliabitur: Deniq; cùm imperialis thalerus, in negotiationibus pro trigenta sex

großis

grossis Sueticis acceptandus sit, ideò quà Coronæ, quà nobilium præfecti, à subditis pro eâ pecuniæ summâ illum accipient in annuis censibus, & secundū hanc supputationem rationes suas deponent.

Quartò, siquidem ex antiquo tempore, consuetudo viguerit laudabilis in hoc Regno, prout Historiæ, & nonnullæ Constitutiones à Regibus, Gubernatoribus, Senatoribus, & Regni Ordinibus factæ testantur, vt pro mercibus quæ ex hoc Regno exportantur, certa quædam summa solidorum thalerorum, aut etiàm argenti non signati, in vsum cudendæ monetæ pendatur à mercatoribus; Itaq; vt optima moneta in Regno signetur, eandem Constitutionem renouandam duximus, ità vt omnes mercatores negotiantes, tàm interni, quàm externi, pro centum thalerorū mercibus quas hinc in exteras nationes transmittunt, in telonio decem solidos thaleros deponant, aut certè dextantem argenti, atq; pro his protinùs recipiant ex monetâ Sueticâ nunc per Regnum vsitatâ, integram suam persolutionem, pro quouis scilicet thalero imperiali triginta sex grossos Sueticos, & pro quouis argenti dextante, sedecim grossos Sueticæ monetæ: Proindè quicunq; pro omnibus & singulis centum thalerorum mercibus, tot solidos thaleros, aut argentum non deposuerit, quot dictum est, illi prohibenda,

 benda mercium exportatio: Sueticis tamen mercatoribus, eò vsq; liberum erit præfati argenti in telonio depositionem suspendere, quousq; redierint, negotiatione & profectione in exteris expeditâ; Tum verò pro quibusuis centum thalerorum mercibus, quas secundum telonij ordinationem ex Regno exportarunt, inferent in Regnum nonaginta thalerorum varias marces, atq; pro ijs nonaginta thaleris, decem solidos thaleros, aut dextantem argenti per commutationem legitimam Telonario numerabunt, secundum telonij ordinationem, nimirùm pro quouis thalero triginta sex grossos Sueticos, & pro quouis dextante argenti, Suetica monetæ sedecim grossos; Quicunq; hæc non fecerit, primâ vice quadraginta mercarum Sueticarum, secundâ vice mercium quas importat, sustinebit iacturam, & mulctam.

Quintò, conclusimus nè vllus Præfectorum, aut officialium aliorum potestatem habeat, tributa Regni subditis imponendi, aut alia grauamina, nisi Dominantium litteras, & expressum mandatum super hac re monstret; Quicunq; autẽ deprehensus fuerit secùs fecisse, velut perduellis plectendus est, neq; subditorum multitudo vllos eiusmodi datura census, quos hac ratione, sine Dominantium scitu, et mandato imposuerint; Atq; vt

Regni

Regni Indigenæ cognoſcant, quæ Dominantes ſuis præfectis ex hac parte mandauerint, plebeculæ certa apographa ſuarum litterarum, & commiſsionum quas acceperint, ipſis litteris coram multitudine prælectis, ſunt tradituri.

Sextò, ſimiliter ſtatuimus & conſenſimus nè vllus Legifer prouincialis, aut Dynaſta territorialis, vel alius Regni officialis, nobilis aut alius quiſpiã, præter ſolũ Regni Gubernatorem, poteſtatem habeat cauſsas capitales, aliaq́; grauiora piacula condonandi, ſupprimendi, reconciliandi, aut in illis conniuendi, ſed ad Iura & iudicia pertracta examinentur, & diiudicentur, quicunq́; ſecùs feciſse deprehenſus fuerit, pænâ perduellium plectendus eſt.

Septimò, quantùm ad menſuras, ſtateras, & bilances cuiusq́; generis attinet, ſicut etiàm fundorum dimenſiones, & regalium bonorum luſtrationes, modernis, velut etiàm prioribus Comitijs Stocholmiæ celebratis, clementiſsimo Domino noſtro, vnà cum Regni Senatoribus illa commiſimus, de ijs ordinantibus, prout Regno, et ſubditis vtile, tolerabileq́; cognouerint, ità vt cuiq́; ditioni certa quædam menſura, & ſtatera deſtinetur, ibidem certo, ac iuramentis obſtricto opifice conſtituto, qui ſecundum prototypi quantitatem transmiſsi,

 men-

 mensuras & stateras fabricet; Hic autẽ pro labore suo, non nisi conueniens precium, & prout cum illo conuenerit, qui stateram, aut mensuram apud eum fieri curauerit, accepturus, suum laborem nimio non destrahens precio; Præter hunc verò nemini in eadem ditione liberum erit stateras, & aliquas mensuras fabricare, qui juramento fidelitatis obstringetur; Sed quicunq; deprehensus fuerit, huic opificio indulgere, vel aliâ mensurâ, aut staterâ in negotiationibus vti, quàm à iurato opifice fabricatâ, furto alligandus: Similiter consensimus & statuimus, vt vlna per Regnum conformetur Ryholmensi.

Octauò, cũm jura Suetica mandent, vt quandò Rex prolem suã matrimonio iungere voluerit, teneatur omnis Indigenarum multitudo, dotem contribuere, atq; in Gustaui Regis (laudatissimæ memoriæ) Testamento præcipiatur, vt quæuis filia Regis connubium initura, pro dote centum millia thalerorũ consequatur, in legibus Sueticis, vel Testamento præfato, nè verbo quidem factâ mentione, quantùm pro suo statu quilibet teneatur ferre suppetiarum; Proindè in his Comitijs assensimus vt S. C. vnà cum Regni Senatoribus, hac super re ordinationem constituat, secundum quam nos postmodùm, vbi hoc fortè fortuna Regis cui-

gis cuiuspiam nostri euenerit filiæ, non tamen priùs, lubenter auxilium laturi sumus, ità vt præfata summa quæ in Testamento exprimitur, nimirùm centum millia thalerorum compleatur.

Nonò, similiter approbauimus & decidimus, vt in quouis territorio certi constituantur opifices, tot quidem numero, quot requirunt Indigenæ, neq; plures, aut pauciores; Hi autem annuatim Coronæ vnum thalerum pendent, pro quo tributo præfecti, sicut pro alijs reditibus rationem reddituri sunt: Verùm illi opifices quibus territoria non indigent, in ciuitates migrabunt, ibidem habitaturi. Pari ratione statutum est, vt in ciuitate quauis sit vestiarium, quò omnis pannus deportabitur, ibidem reuidendus priusquàm venum exponatur, velut Iura etiàm mandant.

Decimò, licet S. C. litteris, diuersis temporibus publicatis prohibitum sit, nè vllus qui bona aliqua feudalia Coronæ beneficio habet, hoc ipsô audeat decimas, contributiones, & alias incertas exactiones retinere, nisi in litteris feudalibus hoc expressum foret; Sicut neq; eos rusticos, qui cesserunt illi in feudum à vecturis liberare. Nihilominùs tamen cognouimus, non paucos eò audaciæ descendere, vt has atq; illas retineant: Quarè hic à nobis constitutum est, vt quicunq; deprahensus

fuerit, plus à rusticis repetere, quàm litteræ feudales permittunt, feudo præfato spoliandus; Atq; Equites & Pedites militares, sicut quoq; nobilium subditi, suas decimas in granariū Ecclesiæ contribuent, nemine à decimarum contributione subducto. Ideò quicunq; repertus fuerit, decimas clanculùm retinere, pro meritis plectendus est; Decimæ autem non minùs ab ijs segetibus, quæ in campis syluarum vstulatis, quàm etiàm in agris procreuerunt, persoluendæ.

Vndecimò, constituimus etiàm, vt quandoquidem omnes qui idem territorium inhabitant, pari & æquali iure frui desiderent, ac fortè pauperior sæpiùs ad iudicia prouocat; Proindè omnes æqualiter etiàm territoriales, & legiferales, vt vocant, dependent pecunias, ità Equites vt Pedites militares, & inquilini sicut ipsi tributarij, nemine à præfatis pecunijs reddendis, qui fundum aliquem poßidet, exempto.

Duodecimò, siquidem tempore Regis Gustaui (diuæ memoriæ) Prouincialia statuta facta sint, & nobis prælecta, in quibus plurima vtilia sunt comprahensa, quâ ratione nimirùm iura & iusticia, sicut etiàm optima politia in Regno, pro dignitate administranda, cùm alijs quibusdam, Regni regiminis q; vtilitatem, et subsidium spectantibus: Ideò

ideò in his Comitijs vnanimi consensu decreuimus, vt præfata Statuta ab illis viris prudentibus, qui Iura Suetica sunt reuisuri, eadem operâ percurrantur, & pro temporis ratione corrigantur, postmodùm vnà cum Iure Regni publicanda, atq; obseruanda.

Decimotertiò, cùm in rei veritate exploratum habeamus, multas admitti fraudes, in emittendis per mare ad Nationes exteras illis ferri massulis, ità vt fraudulenter domi secentur, & nonnunquàm vnà cum illis cuprum, ac globi, aliaq; commisceantur, quæ ex Regno efferuntur, vectigali non deposito. Similiter non raro lapides plurimi ferro permixti reperiuntur, ipsaq; vasa dolosè, & perperàm fabricata, quibus de caussis ferrum eiusmodi nostrum, apud exteros in contemptum venit: Quocircà nos vnanimiter consultum iudicauimus, vt omnes illæ massulæ diducantur in perticas opere fabrili, priusquàm ex Regno transmittantur, atq; vrbium Indigenæ ad hoc efficiendū, malleos aquâ ductiles fabricent, quò illud lucrum quod externi hinc reportant, Sueones percipiant. Verùm si præfata massulæ omninò ex Regno sunt exportandæ, tùm in Ciuitatibus indigenæ constituentur Corycæi, qui ferrū vnà cum Telonario lustrent, priusquàm vasis imponatur, an ità sectum sit, velut

 par

 par est, & montana priuilegia exigunt; Sicut etiàm vasa ponderent, & ciuitatis stigmate inurant, præsentesq; sint quandò maßulæ vasis imponuntur, nè tùm temporis fraus aliqua committatur; Propterea si aliquis dolus postmodùm in hac negotiatione deprahensus fuerit, Corycæi vnà cum Telonario in eâ ciuitate, vbi ferrum impositum, huius doli nomine compellandi, & puniendi sunt: Si verò in aliquâ ciuitate iurati eiusmodi viri non fuerint constituti, Consules toties quoties, quadraginta marcis mulctabuntur, eodem modo officiales & præfecti apud Montanos constituti, diligentem inspectionem adhibebunt, quò maßulæ illæ secentur legitimè, & perticæ ferreæ rectè diducantur, secundum vigorem Priuilegiorum montanorum, nisi velut infideles Reipub. seruitores puniri velint.

Decimoquartò, pari ratione hic aßensimus, & conclusimus, nè vllæ donationes bonorum immobilium factæ à Regibus, aut Principibus in hoc Regno, cedant alicui in feudum, nisi hac conditione, vt qui eiusmodi bona consequitur, quandò aliqua in regimine fit mutatio, apud eum Regem, aut Principem confirmationem postulet bonorũ, qui in regimine succedit. Similiter nè liceat vasallo hæc bona vendere, aut oppignorare, nisi ea

priùs Regi, aut Principi à quibus prouenerunt, offerat; Atq; si vasallus sine masculis hæredibus de vitâ migrauerit, ad Coronam denuò, aut ad illum à quo donata sunt, deuoluentur, non ad consanguineos collaterales: Quamuis si filiam reliquerit vasallus, obligati erunt Dominantes de honestâ dote illi prospicere, atq; si eiusmodi nupserit viro, cuiusmodi Rex, aut Princeps contentus fuerit, porrò præfatum feudum in ipso, & vtriusq; masculis hæredibus legitimis prolongandum.

Decimoquintò, licet Stocholmiæ anno 1599. conclusum sit, vt dimidium territorialium mulctarum Iudici cederet prouinciali, & reliquum scrinio territorij imponeretur; Tamen aduertimus eiusmodi constitutionem, in nullis fermè territorijs obseruari: Itaq; hac ratione conspirauimus, & statuimus vt iudices terrestres, vnà cum præfectis illud dimidium mulctarũ territorialium scrinio mandent territorij, quod depræhensum fuerit post præfatam Transactionem territorio obuenisse, de quo inquisitio secundum codicem iudiciorũ, & præfecti rationes instituetur: Quocircà ad hoc viri certi constituentur, qui præfatos codices riuideant, ità vt Regi iusticia administretur, & territorium illo non priuetur, quod illi in generalibus

bus

bus Comitijs spontè & vnanimiter adiudicatum, & statutum est; Quicunq; verò Iudicum prouincialium, territorialium, vel præfectorum super his condignas non deposuerit rationes, prærogatiuâ territorialium iudiciorum, & praeminentiâ, præfecti verò villicatione suâ exuentur, nullo vnquàm ampliùs illis officio commisso, aut concredito. Insuper Iudices prouinciales etiàm, & præfecti quouis anno, dùm iudiciorum codices, & rationes in Archiuo deponuntur (quod annuatim sub pœnâ grauissimâ circa festum Iohannis fiet) rationem reddituri sunt eorũ, quæ scrinio territorij sunt concredita, illud quoq; vrgendo, vt Coronæ, ac iudicis territorialis portione collectâ, ea etiàm quæ ad territorium spectat, colligatur, nisi huius nomine pro meritis pœnam referre, vt dictum est, ac insuper defectum supplere velint.

Ad extremum, à nobis quoq; statutum est, vt si Regni perplexa conditio, clementissimi nostri Gubernatoris præsentiam, intra vel extra Regnũ postularet, & S. C. propter Regni commoda-limites Regni esset transgressura; Tùm secundũ Constitutiones Stocholmenses procedendum, & S. C. nullâ ratione diutiùs, quàm ad festum Bartholomæi ex Regno emanendum. Quod verò hanc Vnionem, Constitutionemq; spontè, & non coactè feceri-

fecerimus, ac consenserimus, in nostrum & charissimæ Patriæ emolumentum, subsidiumq́ꝫ, atq illam vnà cum hæreditariâ Vnione, quæ hic similiter à nobis spontè instituta, propugnare, defendere, atq́ꝫ exequutioni mandare velimus, vnanimiter nostris propriis, sicut etiàm Vrbium & Territoriorum sigillis illam obsignauimus, & subscripsimus; Atq́ꝫ ab Illustriß. Domino Iohanne, Regni Sueciæ Principe hæreditario, Ostrogothiæq́ꝫ Duce postulauimus, quò S. C. vberioris ergò certitudinis, hoc ipsum vnà nobiscùm faceret, cui S. C. ex maturo consilio, spontè & libenter petitioni nostræ protinùs satisfecit. Datum Norcopiæ 22. Martij, anno 1604.



OS infrascripti Regni Sueciæ Senatores, & Ordines, Comites, Barones, Episcopi, Nobiles, Ecclesiastici, copiarum militarium Ductores, Ciues & plebecula generalis, qui his Comitijs indictis, & iam per Dei gratiam peractis, hic Norcopiæ præsentes interfuimus, tàm plenâ prouinciarū ex potestate, quàm etiàm nostro priuato nomine, notum facimus, quemadmodùm omnibus quoq sine his abundè, procul dubio, exploratum est, quòd anno 1544. ab vniuersis Regni Ordinibus Arosiæ constitutum, & approbatum sit, vt Regnum Sueciæ, quod superio- Reformata Vnio hæreditaria.

 bus

 bus temporibus Eclogicum fuerat, postmodùm hæreditarium efficeretur, apud potentissimum Regem Gustauum (laudatissimæ memoriæ) & eius hæredes masculos, illorumq; progeniem, quousq; ex regiá illâ familiâ in lineâ masculâ, vel vnicus superesset filius, Regni Sueciæ Diademate persistẽte; Idq; his potissimùm de caussis, quòd Ordines Regni Sueciæ, non sine proprio incommodo exploratum habuerint, in quibus damnis, intestinis seditionibus, sanguinis profusionibus, & multifarijs detrimentis, Regnum Sueciæ fuerat constitutum sub imperio eclogicorum Regum, quandò Regalis successionis legitimæ respectum non habuerunt; Verùm vnus ad Regni sôlium hunc Regem, alter verò alium sublimare nitebatur, vndè Inhabitatorum multiplex discordia, atq; perniciosa dissensio sæpènumerò emersit, Regni totius detrimento euestigio subsequente.

Insuper Regni Ordines sibi in memoriam reuocarunt illam beneuolentiam singularem, quam potentissimus Rex Gustauus illis, & vniuerso Sueciæ Regno liberalissimè præstitisset, cùm S. M. bonis, sanguini, vitæq; ipsi pro nostrâ, & totius Regni prosperitate non pepercerit, illos omnes à crudelissimo illius tyranni Christierni Regis Daniæ imperio, tyrannide, cæde, rapinis, et incendijs, alijsq; miserabilibus afflictionibus, quibus absq; vllius

lius hominis auxilio oppreßi, & suppreßi, dereli-ctiq; iacuerunt cum vniuersâ Repub. Suecanâ, liberando atque pristinis viribus, potestati, ac gloriæ restituendo: Hac itaq; de caußâ sanè, vt Regni Sueciæ Ordines, vicißim Regi Gustauo, eiusque Succeßoribus, mentis quampiam dignam gratitudinem exhiberent, liberè & vnanimiter statuerunt, vt post S. M. fata extrema, maior natu filiorum Regiorum, Regni Throno potiretur, atque post eum Regales, ac Ducales illius hæredes masculi legitimi, vnusq; secundum alterum Regni Diademate resplenderet.

Quodsi autem Regis Gustaui maior natu filius, sine masculis hæredibus legitimis, de vitâ migraret, Regnum & regimen proximogenito, & illius masculis hæredibus porrigeretur, & deinceps tertiogenitus, & quartogenitus succederent, prout fata vicißitudinem rerum, & Gubernatorũ variarent, & ipsa Vnio hæreditaria ad litteram commostraret; Secundum quam Rex Ericus, post sui parentis Regis Gustaui mortem, Diadema Regni Sueciæ consequutus est, velut natu maior, & primogenitus in regimine, & post eum Rex Iohannes, ac illius filius Sigismundus Rex Poloniæ modernus, Sceptrũ Suetica administrarunt. Verùm quemadmodùm Regni Ordines Regis Gusta-

 ni filijs, & successoribus de regiâ dignitate, atq; populis, prouincijsq; circumspexerunt; Ità quoq; R. M. cuiusdam Testamenti ordinationem confiscere mandauit, quâ ratione S. M. vellet, vt filij & succeßores sese inuicem, & ergasuos subditos gererent; In quo Testamento proindè Ordines Vnionem hæreditariã fundarunt, et eam ad id velut scopum collimarunt, non obscure insinuantes, vt nisi Gustaui Regis filij, & succeßores ità sese exhiberent, velut S. M. extremum voluntatis Testimonium commendarat, illud sicut virtutum amußim sectando, ab Vnione hæreditariâ aliquod subsidium illis non esse petendum, nec vllâ iurisdictione ad Regnum Sueciæ fruituri, quam illud Testamentum secùm comportabat: Finis autem Testamenti potißimus erat, vt S. M. liberi & successores, ante omnia diuinum honorem, & salutiferum Dei verbum amarent, atq; defenderent, sine vllâ superstitione, aut hominũ traditione, quemadmodùm S. M. illud erigere, atq; in lucem meridianam producere elaborauit: Deinceps vt filij mutuo sese complecterentur amore, subditos suos in iure, & iusticiâ, ac legitimè acquisitis priuilegijs gubernantes, & protegentes.

Itaq; vt commemoratum est, defuncto Gustauo Rege, primogenitus illius Rex Ericus, velut proxi-

proximus ad regimen, secundum Vnionis hæreditariæ tenorem, Regni fasces nactus est: Verumenimuerò quandoquidem secundum vigorem paterni Testamenti non gubernauerit (quo velut fundamento Vnio hæreditaria innitebatur) ideò neq; illius gubernatio diuturna esse poterat; Sed Regni Ordines legitimis, & rationabilibus quibusdam de caussis, in illo libello ex typis diuulgato expreßis, compulsi sunt, Regnum & regimen ab illo, eiusq; hæredibus auferre, in illius locum Rege Iohanne (laudatißimæ recordationis) velut proximo secundum Pacta hæreditaria subrogato: Qui licet quamdiu vitæ vsurâ frueretur, christiano atq; legitimo indulserit, & vacauerit regimini, maioraq; dubio procul, emolumenta in Regno Sueciæ procuraßet, nisi prauorum quorundam hominum consilio remoratus fuisset, qui S. M. impulerunt, vt perniciosam Religionis mutationẽ inueheret, quæ plerumq; erat præ manibus, & in opere quamdiu S. M. flamen vitale ducebat. Cui religionis metamorphosi, sicut etiàm alijs multis, quæ peruersi Consiliarij S. M. suggesserunt, expensum est referendum, velut caußis primarijs, quòd illa fraterna confidentia, quæ iure inter S. M. & eius germanum, Serenißimum Principem Ducem Carolum vigere debuißet, impedita & remorata

 fuerit,

 fuerit, magno paßim in hoc Regno dißensionum incendio quotidiè gliscente.

Itaq; malum S. M. hoc nomine post se testamentum reliquit, quòd contra vltimum voluntatis paternæ Testimonium, et suum propriũ Reuersale (in quo S. M. sese obligauit per Deum, & animæ suæ salutem, pro se, & suis succeßoribus, quòd præfatum parentis sui Testamentũ inculpabiliter obseruare vellet) filium suum Sigismundum Regem Poloniæ, in religione Pontificiâ educandum permiserit; Sicut etiàm malignorum Senatorum suasu, & consilio eum ex Regno expediuerit, Regni Poloniæ Diadema permittens acceptare; Vndè velut ex fonte vberrimo omnis tumultus, & infortunium, quæ charißimam patriam nostrã hac tempestate susq; deq; commouent, profluxerunt. Quippè licet præfatus Rex Sigismundus, Vbsaliæ anno 1 5 9 4. in regiâ suâ Coronatione Iuramentum, & Cautionem litterariam deposuerit, quòd omnibus Regni Sueciæ Inhabitatoribus, summis & infimis, Ecclesiasticis & Politicis religionis libertatem esset permißurus, quò eâ omninò liberè, & absq; impedimento fruerentur, quemadmodùm Augustana Confeßio, Imperatori Carolo quinto, in Comitijs Vindelicis oblata commendat, prout ipsum Iuramentum & Obligatio ad litteram,

teram porrò quà de his, quà etiàm alijs testimonium perhibent. Sed quandoquidem in religione Pontificiâ fuerit educatus, & à Pontifice suo patre ità imbutus, quòd non teneretur quispiam ijs stare promißis, quæ Hæreticis in eiusmodi casu fecisset: Ideò suum Iuramentum, & Aßecurationem diutiùs non seruauit, sed mox secundum sollennitatem Coronationis, in totius Regni protacropoli, castellanum constituit Comitem Ericum, manifestum religionis Pontificiæ sectatorem; Sicut etiàm quibusdã Pontificijs sacerdotibus, et sacrificulis permisit, vt publicis conuentibus, & religionis suæ exercitijs tàm Stocholmiæ quàm Vastenis, ac in Insulâ Reginæ vacarent, indulgerentq; pro arbitrio, venænum illud inter Regni subditos euomendo. Hisce peractis ex Regno profectionem instituit, nè minimam quidem ordinationem relinquens, & informationem secundum quam in absentiâ regiâ, gubernaculo Regni manus admouendæ fuerant. Quocircà clementißimus Princeps, & Dominus noster, vnà cum Regni Senatoribus, Comitia Sudercopiæ indicere coactus, vt ibi cum Regni ordinibus super gubernatione Reipub. in absentiâ Regis Sigismundi, consultaret, & aliquid certi constitueret: Verùm cùm non obscurè animaduerteret Rex Sigismundus, præfata Comi-

tia

tia ſuis machinationibus obſtaculum poſitura grauiſſimum, illis ſeſe omnibus viribus oppoſuit; Quanquàm in illis nihil aliud tractatum, quàm quod Regio Iuramento, & Aſſecurationi foret conſentaneum, in R. M. & Succeſſorum vtilitatem vergens, ſi illud aliâs æquá lance ponderare voluiſſet: Sed quandoquidem in ijs Comitijs ſtatutum fuerit, vt omnes Pontificiorum conuentus, ex hoc regno Sueciæ tollerentur, eorum ſacerdotibus, & concionatoribus intra ſpacium ſex hebdomadarum ex Regno commigrantibus, ideò Decretum Sudercopenſe S. M. placere nequiuit: Quãuis illius duntaxat, & Regni commodum ſpectaret, nè verbo quidem in illo depræhenſo, aliquâ vituperatione digno; Sed quicunq; huic Conſtitutioni aſſenſum præbuiſſent, illi adhærere volentes, prò infidelibus, & turbulentis hominibus habebantur: Alij verò econtrà, qui ſeſe memorato Conuentui oppoſuerunt, aut ab illo deſciuerunt, fideles ſubditi cenſebantur; Quò hac ratione Sigiſmundus Rex, inter Regni Ordines diſſenſionis copioſam ſementem ſpargeret, atq; vnam Regni ditionem contra aliam laceſſeret, inſtigaretq; hoc pacto, illos de medio vitæ tollendò, quos Pontificiæ religionis introductioni obicem poſituros arbitraretur, quæ nefaria machinatio non omninò votis

contra-

traria cessit. Namq; in Finlandiâ tantùm effecit S. M. vt sceleratissimus ille Claudius Flemmingius, vnà cum reliquis Finnonibus, sese toti Regno opponeret, à reliquis Ordinibus ex hac parte constitutis, segregatus, vndè plurima hominum millia, ex promiscuâ Indigenarum multitudine in Finlandiâ, atq; Bothniâ Orientali, innocentissimè ad extrema vitæ infortunia sunt deducta, clementissimo Domino nostro binis vicibus adacto, & compulso, non sine maximis impensis, sese in Finlandiam conferre, priusquàm huic tumultui, atq; dissensioni finis imponeretur; Idipsum quoq; in hac parte machinabatur Sigismundus Rex, per eos Castellanos quos arcibus, & prouincijs omnibus præfecerat, qui eam commissionem habuerunt, vt congregationem Pontificiam, & illius conuentus protegerent, eamq; tragædiam certo certius in hoc theatro egisset, quam in Finlandiâ actitauerat, nisi maturo consilio, & clementissimi Dñi nostri diligenti sollicitudine impeditus fuisset: Quoniàm præfati Castellani, illam à S. M. commissionem habuerunt, vt nisi pro arbitrio, & mandato regio illis gubernare liceret (licet contrariū iusticiæ, & regio iuramento esset) illustrissimo Duci Carolo, & Regni Ordinibus sese animosè opponerent, militaribus copijs auxilium in hac re ferentibus.

Sed cùm Rex Sigismundus ex multis argumentis colligeret, hac viâ machinationes suas successu, & fortunâ defraudari, aliam semitam ingressus est, quò omninò Constitutionem Sudercopensem in nihilum redigeret; Ad quod præstandum meliori adminiculo vti non potuit, quàm quòd (cùm maiorem partem Senatorum ad hoc studia sua, & consilia conferre animaduerteret, vt ex Regno hæreditario redderent denuò eclogicum Sueciæ Regnum, ad eamq; libertatem, quâ Regnum Poloniæ gaudet hodiè perducerent) illis facultatẽ permiserit, vt sese potentissimo Principi Duci Carolo obijcerent, cui anteà Rex Sigismundus huius Regni gubernationem in suâ absentiâ commisisset, vt vnà cum Regni Senatoribus Regnũ Sueciæ interim moderaretur; Ideoq; pro summo eorum desiderio, et postulatione singularem regiminis Plenipotentiam illis transmisit, cuius tenori & vigori omnes Regni Ordines auscultare, & secundum illum sese dirigere tenerentur. Etsi super hâc re cum Regni Ordinibus nunquàm fuerit tractatum, aut vllus consensus factus, multò minùs decisum, vt eiusmodi regimen in Sueciâ constitueretur, illam insuper Commissionẽ præfatis Senatoribus tradens, vt nisi potentissimus Princeps Dux Carolus, qui Regni habenas tenebat, his manda-

mandatis contentus esset, tùm memorati regiminis Consiliarij (quo pacto eos salutabat) Equites & Pedites militares euocarent, ad resistendum Serenissimo Duci Carolo, omnibusq; ijs qui huic gubernationi subesse nollent; Licet, prout dictum est, cum Regni Ordinibus nulla vnquàm tractatio super hac re fuerit instituta. Quod proindè, velut reliqua omnia, in praeiudicium Vnionis haereditariae, &. Gustauiani Testamenti, illiusq; Ordinationis, quam Rex Gustauus tempore vitae suae, inter Regem Ericum, & Regem Iohannem constituit, factum & admissum est.

Verùm cùm his omnibus nihil Rex Sigismundus sese efficere posse animaduerteret, ingenti stipatus exercitu alienigenarum, in hoc Regnum aduenit, vt armis eos prorsùs deleret, qui indignae atque impiae illius machinationi rebellarent, hoc pacto religionem Pontificiam Sueonibus sese obtrudere posse arbitratus: Atq; licet frequenter admonitus fuerit, vt peregrinum militem exautoraret, vniuerso controuersiarum negotio, ad legitimum examen deuolato, nocentes plectendo, & innocentes qui secundum iura, & mansuetudinem vixerent, liberando, atq; pro tenore iuramenti sui defendendo; Nihilominùs tamen nihil prorsùs apud S. M. effectum est, de die in diem magis ac

magis ac magis suo proposito indulgentem, donec tandem ad arma, & apertam cædem res deuenerit, in quâ multi egregij viri sanguinem, & vitam profundere coacti sunt, peruersæ huic caussæ condigno fine respondente, ità vt regiæ copiæ ad internetionem deletæ fuerint, atq; Regis conditio æqualis fermè extiterit viro captiuato. Hac verò belli fortunâ, & iusticiæ patrocinio Serenissimus Dux Carolus, vnà cum Regni Ordinibus castra Ducalia sequentibus vsus, caussam atq; occasionem optimam habuisset, Regem Sigismundum Regni Sueciæ abdicandi regimine, et pari mensurâ eam violentiam, & iniusticiam, quæ S. C. & Regni Ordinibus ille machinabatur, remetiendi; Attamen Regi Sigismundo quæcunq; aduersus eos deliquisset, condonarunt Suecones, pro Dno & Rege suo illum denuò agnoscendo, ac nouam cum illo Transactionem ineundo; In quâ fuerat illa cautio adhibita, vt quicunq; primò eandem præuaricaretur Transactionem, illi Inhabitatores Regni nullam obedientiã præstare tenerentur. Verùm huic pacto stetit Rex, vt reliquis omnibus, vtpote vniuersis Regni Ordinibus inscijs & inconsultis, cum nauibus & tormentis Reipub. in Poloniam sese contulit, munitionem Calmariensem peregrino milite obfirmans, & arcem Elsborgensem ex inspe-

insperato occupare machinans, vt in Westrogothiam eò faciliùs irruptionẽ cæde, & incendio faceret: Similiter Finnones dènuò ad grauissimum tumultum commouit, vndè plurimi Indigenarum supremam traxerunt perniciem: Ad extremum in Liuoniâ flagrantissimum huius belli incendium suscitauit, quò vtrumq; Regnum plus nimio etiàm hodiè incalescit; Deindè quamuis diuersis temporibus S. M. admonuerimus, quò huic machinationi hostili supersederet, atq; si per commoditatem non liceret ipsimet in hoc Regnum Sueciæ aduenire, vt filium suum huc expediret; Quandoquidem Regnum Maiestate regiâ carere non posset, quem pro Domino & Rege nostro, vbi ad eam ætatem, & annos perueniret, vt Regnum assecurare, & regimini præsidere posset, acceptare vellemus: Nihilominùs tamen nihil prorsùs apud Regem Sigismundum effecimus, sed tabelliones in carceres, & vincula coniecti fuerunt, ac S. M. nos ità deinceps, atq; priùs vndequaq; persequuta est, Monarchas etiàm vicinos, si efficere potuisset, in nostram perniciem instigare, multisq; litteris famosis, et mandatis in hoc Regnum certatim expeditis, ipsos Inhabitatores ad tumultus, & discordias commouere adnitetur, prout hæc, & alia multa copiosè ex Historicâ Exegesi colligere li-

 cet,

 cet, in quâ grauißimæ iuxtà ac æquißimæ intexuntur caußæ, quibus nos commoti, Sigismundo Regi prorsùs renunciauimus, cùm nobis impoßibile huiusmodi diutiùs imperio ſubeſſe, à quo nihil aliud quàm animæ, corporisq́ perniciem expectandam probè cognouimus.

Proindè Regem Sigismundum, & eius liberos ac Succeſſores Suetico regimine abdiximus, fidelitatis noſtræ juramentum, & homagium repetendo, quibus S. M. fueramus obſtricti; Siquidem primò ſeſe à nobis diſiunxerit, & ſegregauerit. Iam verò licet ingenuè fateamur, ſecundum Vnionem hæreditariam poſt Regem Sigismundū, & illius liberos, neminem huic regimini capeßendo propinquiorem, quàm Illuſtrißimum Ducem Iohannem, Regni Sueciæ Principem hæreditarium; Attamen cùm præfatus Serenißimus Dux, in noſtrâ præſentiâ ſpontè ſuæ jurisdictioni renunciauerit, atteſtante illâ Oratione, quam in præſentiâ quorundam Regni Ordinum ſextâ Martij, ad Potentißimum Principem Ducem Carolum habuit, ſeſe prorsùs reſoluendo, quòd nullâ ratione moderno aut futuris temporibus, Conſtitutioni Lincopenſi, & Norcopenſi in contrarium quidpiam eſſet machinaturus: Sed clementißimo Principi noſtro Duci Carolo, & S. C. maſculis hæredibus legiti-

legitimis, eandem iuris dictionem consignando, obnixè postulauerit quoq; vt S.C. Regni Diadema, & gubernaculum acceptaret. His atq; alijs legitimis de caussis, quarum nonnullæ in Constitutionibus Lincopensibus sunt enumeratæ, Illustrißimo Duci Iohanni, Regni gubernationem committere, & obtrudere non potuimus: Potißimùm quidem cùm probè considerauerimus, S. C. huius regiminis molestißimum pondus hoc tempore non esse ferendo; Verùm si hostium vires retundendæ, & Regnum pristinæ quieti restituendum, maturum & prudentem, secundum Dei clementißimum auxilium, & subsidium requiri gubernatorem, qui hostium machinationibus obstaculum ponere, et Regni defectus emendare noscat. Quod cùm ità sit, quandoquidem Potentißimus, & Serenißimus Dnus Carolus, Regni Sueciæ designatus Rex, Dux Sudermanniæ, Nericiæ, & Vermelandiæ, de nostris hæreditarijs Principibus sit primarius, quem anteà pro legitimo, & à Deo nobis præuiso Domino agnouimus, acceptauimusq; cùm vnicus secundum Deum fuerit, qui nos hoc periculoso tempore paternâ suâ diligentiâ, ac labore ex manibus inimicorum nostrorum ereptos, in agnitione & doctrinâ veræ Religionis seruauit; Sicut etiàm secundum Iura Suetica, & cuncta legitimè

 gitimè acquiſita priuilegia gubernauit; Vt licet aduerſarij noſtri omni aſtutiâ, violentiâ, & poteſtate, noſtro atq; Patriæ inhiauerint detrimento; Attamen (Deo laus in æternum) nihil prorsùs efficere potuerunt, Regni Sueciæ limitibus necdùm quicquam imminutis, cuius nomine poſt Deum, S. C. ſummoperè gratulandum eſt, quæ pro noſtrâ incolumitate, vitam ſuam in diſcrimen adducere minimè dubitauit, tantaq; nobis beneficia exhibuit, quanta vix vllo vnquàm tempore Sueonibus ſunt declarata.

Quocircà vt Diuinæ bonitati inprimis, & ante omnia pro eiusmodi beneficijs, laus atq; honor perſoluatur, & Illuſtriſsimus ac clementiſsimus Dnus noſter, atq; Rex hæreditarius deſignatus, gratitudinem viciſsim noſtram experiatur, vnanimiter & peculiariter modò, velut aliâs frequenter deſignauimus, acceptauimusq; S. C. pro abſoluto, & legitimo noſtro Rege, cui etiàm (ità nos Deus quoad animæ, & corporis ſalutem adiuuet) omnem fidelitatem & ſecuritatem, virilemque aſsiſtentiam, prout ex debito veri ſubditi, & præcepto Diuino, cunctisq; mundanis conſtitutionibus, atq; celeberrimis antiquiſsimi Regni huius conſuetudinibus tenemur, exhibituri ſumus, & ſine intermiſsione facturi, obſeruaturi ac culturi,

turi, omne id quod velut fideles subditi erga legitimũ nostrum Regẽ declarare obligamur, præstando, et pro S.C. et patriâ nostrâ, vitæ, bonis, & omnibus possessionibus nequaquàm parcendo, ingruente necessitate, & S. C. postulante, fideliter cum S. C. in discrimen adducendo; In summâ, viuere & mori cum clementissimo Dno nostro parati sumus futuri. Atq; cùm S. C. (æterno Deo laus) masculis hæredibus, nobis & Regno vniuerso in consolationẽ, auxiliumq; decorata sit, Heroumq; vitæ tempus, perindè ac omnium hominum vitale stamen, in manu Diuinâ repositũ, ideò si ex hoc ærumnoso mundo, ad æternam fælicitatem S. C. à nobis euocaretur (quod præpotens Deus in multos annos prolongare dignetur) promittimus, obligamus, iuramus, & approbamus hisce quàm firmissime, perfectè, & irreuocabiliter, vnanimiter & peculiariter, veluti prædictum est, S. C. maiorem natu filium, Illustrissimum Principem Gustauum Adolphum, immediatè secundum Serenissimi Parentis sui fælicem ex hoc mundo migrationem, regimine, et regali authoritate potiturum, Regemq; nostrum futurum; Sicut etiàm pro nobis, & nostris successoribus asserimus & confirmamus, illum pro nostro Domino, & Rege acceptando, pariq; modo fidelitatem in omnibus exhibendo, ità vt vitam

 vnà

 vnà cum illo in discrimen adducere parati simus futuri, quò illi auxilio, consilio, & consolationi in omnibus existamus, id facientes, & intermittentes quod fidelibus subditis, ratione honestatis, iuramenti, & promissi omninò incumbit. Iunior verò S. C. filius, Illustrissimus Princeps Dux Carolus Philippus, paterno Ducatu Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ, Vasbogiâ, & territorio vallensi, vnà cùm alijs pluribus potietur, secundum testamenti vigorem, adiunctis spiritualibus & sæcularibus Iurisdictionibus, prorsùs velut Illustrissimus parens, clementissimus Dnus noster Dux Carolus, priusquàm Sueciæ gubernaculo admoueretur, eum Principatum possederat: Verùm Serenissimus Dux Iohannes, illum Ducatum qui Duci Magno permissus erat, consequetur, quem in hisce Comitijs bonis feudalibus, & pluribus iuris dictionibus auximus, prout litteræ Donationis, præfato Duci Iohanni super his datæ, testantur. Quod si autem Rex noster designatus Dux Gustauus Adolphus, ex singulari Dei prouidentiâ aliquos regales, aut Ducales hæredes masculos legitimos nancisceretur, & post se relinqueret, tùm maior natu filiorum Regni gubernaculo admouendus, & deinceps illo sublato, de lineâ ad lineam vnus secundùm alterum ad regale Solium penetrabit,

illiq;

illiq; S.C. filij, pro tempore illo nati, vel postmodùm nascituri, à nobis & nostris Successoribus, pro legitimis & hæreditarijs Regni Sueciæ Regibus designabuntur, & permanebunt. Sin autem Dux Gustauus Adolphus, noster proximè futurus, & electus Rex, Diuinâ prouidentiâ ità disponente, sine masculis hæredibus vitam cum morte commutaret, sequens clementissimi Dni nostri, & Regis filius, Illustrissimus Dux Carolus Philippus, qui secundum lineam secundò genitus est, eodem prorsùs modò, sicut de Duce Gustauo dictum est, Regni clauùm ac Diadema, velut designatus, electus, & confirmatus Sueciæ Rex acceptabit; Quem proindè commemorato modo, pro nostro Dno, & Rege hisce omninò firmiter, & irreuocabiliter acceptare, agnoscere, promittere, iurareq; volumus fidelitatem, obedientiam, atq; virilem assistentiā, sine omni tergiuersatione, & supterfugio illi à nobis exhibenda; Similiter quod ei consilio, subsidio, ac consolationi simus futuri, pro illius incolumitate possessiones, & vitam nostram nulli discrimini subducendo, & cum illo velut fideles, & constantes subditi, omnem fortunæ aleam experiendo: Deindè si fatis Illustrissimi Ducis Caroli Philippi, aliqui hæredes masculi legitimi superessent, maior natu filiorum Regni habenas modera-

 bitur,

stauo Adolpho, & Duce Carolo Philippo, fratribus expressum est, quem nos proximè secundum alios, pro Rege & Dno nostro hisce firmiter, & irreuocabiliter acceptare, designare, & jurare volumus fidelitatem, obedientiam, & virilem assistentiam constanter, atq; inculpabiliter sine omni tergiuersatione, & supterfugio seruanda, illi auxilio, subsidio, & consolationi existentes, vitam et omnes possessiones nostras pro illius incolumitate asserendâ, nulli discrimini subducendo, cumq; illo nullū fortunæ vultum, velut fideles erga Regem, & Dominum suum decet subditos, formidando.

Deindè præfato Duce Iohanne, de vitæ theatro sublato, maior natu illius filius legitimus, Regni adipiscetur Insignia, & hoc pacto prout de vitâ migrauerint, de lineâ ad lineam, sicut de Principe Gustauo Adolpho, & Carolo Philippo, ac eorū hæredibus in articulis inauguratorijs verbotim commemoratum est, obseruandum, & procedendum: Vndè qui proximus secundum lineam tùm temporis fuerit, eum acceptabimus, et confitebimur pro nostro, & Regni designato, ac electo Rege, illi fidelitatem, obedientiam, & virilem assistentiam irreuocabiliter jurando, & seruando, cum eo nullum vitæ descrimem adire, & pro illo possessiones nostras effundere non dubitantes; Insuper ea om-

nia aggrediendo, & tractando pro illius incolumitate, quæ fidelibus, & obedientibus conueniunt subditis. Quandoquidem verò luculentum Historiæ perhibeant testimonium de tumultibus, dissensionibus, atq; detrimentis multifarijs, quæ magno agmine in Respub. sese ingerunt, quandò familiæ legitimæ non obseruatur linea, Regno & regimine in periculosâ Gubernatorũ electione periclitantibus, cùm vnus huic candidato, alter illi suffragatur Indigena; Sicut etiàm econtrà ex Historijs colligere liceat, multam in Repub. concordiam, & tranquillitatem semper viguisse, quandò secundũ Dei prouidentiam à rectâ, & legitimâ regiæ familiæ non exorbitant Regni Ordines lineâ. Quocircà si hoc infortunij Regno Sueciæ obueniret (quod Deus clementer auertat) vt tota Gustauiana progenies mascula, prorsùs de medio vitæ tolleretur, hæredibus fœminis superstitibus ex eadem regali, & Ducali familiâ, porrò adhuc ex promptâ voluntate, et maturo consilio promissum volumus, sicut etiàm hisce promittimus, & iuramus vnanimiter & concorditer, vniuersaliter & singulariter, pro nobis omnibus & singulis, cunctisq; nostris Successoribus, nos accepturos eam Principem, & Regis filiam, si fuerit illa superstes, aut etiàm Ducis Natam pro Reginâ Sueciæ, nullum S. C.

virum

virum præter eius voluntatem, & consensum obtrudendo; Et præsertim neminem vnquàm ex illo populo S. C. permittendo, & procurando sponsum, qui nationem Sueticam persequutus, & illius detrimento, ac ruinæ aliquomodò inuigilauit; Sicut neq; aliquem peruersæ Religionis, & alienam à nostrâ fide christianâ doctrinam sectantem. Hisce tamen prohibitũ volumus etiàm Reginæ, nè cum personâ huiusmodi nationis, & religionis matrimonium vllo modo contrahat, ni iure suo, & iurisdictione spoliari velit; Sed potiùs & priùs alicui nationis Sueticæ viro, Regno vtili, & S. C. amabili, aut certè cuipiã nubat, ex ijs Ducum familijs in Germaniâ Principi, quæ ex Regno Sueciæ de celebri Regis Gustaui progenie profluxerunt, illo in Religione consentiente nobiscùm, nisi illud matrimonium sanguinis propinquitas impediat.

Verùm cæteris Regalibus, & Ducalibus filiabus, eo tempore superstitibus ex hac familiâ, de honestâ & conuenienti dote circumspiciemus, & exhibebimus, vnà cùm alijs rebus necessarijs, pro status, & conditionis dignitate, secundum Regis Gustaui Testamentum, & in his Comitijs fabricatam Ordinationem.

Attamen illis conditionibus, & cautionibus, nè commemorata Regalis, aut Ducalis filia, vllum

 lum contrahat matrimoniū, nisi id fiat cùm Regni Ordinum consensu, & liberâ voluntate; Verùm sub his nullâ ratione Regis Sigismundi filiabus (si quas nancisceretur) aut eius sorore, intellectis, quibus, velut dictum est, prorsùs renunciatum volumus, nullâ ijs vnquàm iurisdictione in hoc Regno permissâ. Cæterùm quandoquidē omnis ille tumultus, discordia, atq; bellum, quæ nobis magnū facessunt hoc tempore negotium, indè potissimùm originem traxerint, quòd Rex Poloniæ, à Regni huius Ordinibus alienus in Religione fuerit, atq; in præiudicium auiti Testamenti, nostram deseruerit Religionem christianam, erroneam Pontificis doctrinam acceptando; Ideò conspirauimus, nos vniuimus, & statuimus, quòd inposterùm ad huius Regni gubernaculum neminem sublimaturi simus, qui vnius nobiscùm non fuerit religionis: Atq; proindè quicunq; Principum hæreditariorum, à puro Dei verbo in Propheticis, & Apostolicis libris comprahenso, sicut etiàm à verá, & genuinâ Confessione Augustanâ, Carolo quinto imperatori, anno 1530. in comitijs Vindelicis porrectâ, et in Dei verbo fundatâ desciuerit; Nec minùs etiàm, ab alijs præteritis Transactionibus, & laudabilibus Constitutionibus, partim Regis Gustaui tempore, partim etiàm deinceps factis, & spectan-

spectantibus inprimis, & ante omnia ad Ecclesiæ christianæ, veræq; Religionis ædificationem, ac optimæ Politiæ, tàm in spiritualibus, quàm in sæcularibus conseruationem; Quiq; id omne non facit, & promouet, quod ad Dei honorem, & syncerę incrementum religionis, vt dictum est, spectare cognouerit, velut etiàm patriæ emolumento, & prosperitati in omnibus inuigilauerit, ille prorsùs suâ iurisdictione hæreditariâ spoliandus est, quâ aliás secundum hanc Vnionem hæreditariam fruiturus esset.

Simili modo nostri Principes hæreditarij, sub priuatione Iurisdictionis hæreditariæ, nullam ducent vxorem, quæ erroneæ fuerit Religionis, & alterius quàm illius anteà commemoratæ, nè hinc quæpiam in religione discordia oboriatur inter subditos, & Regni Dominos, velut cum Rege Sigismundo factum est; Vt neq; vlli matrimonio sese permiscebunt, Regni Ordinibus inscijs, & non priùs interrogatis an Regno, & præfatis Ducibus eiusmodi connubium sit vtile: Proindè si quispiam ex Regni Inhabitatoribus nunc viuentibus, aut posthac victuris, eminentioris, aut humilioris conditionis, extra aut intra collegium Senatorium constitutus, consuluerit nostris Principibus hæreditarijs, impiam aliquam religionem acce-

acceptandam, aut in aliâ educandos, quàm quæ commemorata est, illum pro Regni perditore, ac etiàm perduelle nefario ducemus; Atq; vt omnis occasio tempestiuè huic inconstantiæ præcidatur, nemini alterius religionis quàm prædictæ, in hoc Regno licebit commorari, vel ad vllum officium ascendere; Sed velut de Principibus hæreditarijs statutum est, nimirùm vt quicunq; illorum à vero, & salutifero Dei verbo exorbitauerit, iurisdictionis hæreditariæ ad hoc Regnum sustineat dispendium; Ità quoq; vicissim quicunq; ex Regni Inhabitatoribus, à christianâ nostrâ Religione desciuerit, bonis suis priuabitur, proximo consanguineo subijciendis, atq; ex Regno proscribetur, nè occasionem habeat suum euomendi venænum.

Similiter vnanimiter consensimus, & statuimus, neminem ex hæreditarijs nostris Principibus, ad regalem apicem promouendum, qui aliud Regnum acceptauit; Sicut neq; Rex hæreditarius vllus potestatem habebit, alias ditiones, & Regna acceptandi, nisi semper in Regno Sueciæ commorari voluerit; Quandoquidem partim superiorum temporum Transactionibus, partim etiàm ex modernis tumultibus liquidò cognouerimus, atq; experti-

perti ſimus, quanta detrimenta hinc profluxerint, quòd Sueciæ Reges externū aſſumpſerint Sceptrū. Quocircà nos copulamus, obligamus, promittimus, & iuramus, quòd pro tenore huius iuramenti noſtri, hanc inaugurationem, & deſignationem Regum hæreditariorum, velut de verbo ad verbum hic expreſſa, & comprahenſa eſt, quamdiu clementiſſimi Regis noſtri electi, & S. C. hæredes maſculi, atq; deinceps Illuſtriſſimi Principis Ducis Iohannis, & S. C. legitimi hæredes maſculi in viuis, & præ manibus fuerint, firmiter & irreuocabiliter obſeruaturi, atq; ſequuturi ſimus; Ac quouſq; hæc regalis, & Ducalis familia perſeuerauerit, ex illâ noſtros legitimos Reges & Dominos, de lineâ ſeu familiâ, ad lineam ſeu familiam, petituri, prorsùs vt in hac Vnione hæreditariâ commendatur: Inſuper pro illorum incolumitate, noſtram ſalutem, bona, & vitam ipſam cuiq; diſcrimini obijcere minimè dubitabimus, pro viribus, & facultatibus, externis ac internis Regni, ac illorum hoſtibus, moderno aut progreſſu temporis futuris, (nemine aut vllâ natione, ditione, eminentiore aut inferiore Magnate, vel ordine exceptis) reſiſtendo, factisq; ipſis id omnes exhibendo, quod nobis erga legitimos noſtros Dominos & Reges, patriamq;, velut fidelibus na-

tionis Sueticæ viris, atq; subditis præstare conuenit, atq; secundum Dei mandatum, nostrum juramentum, obligationemq; tenemur, inposterùm nullum alienigenã, aut indigenam, (quocunq; tandem pacto, illud vnquàm fieri poßet, nullis exceptis) pro Dominio, aut Rege nostro acceptantes, aut agnoscentes, verùm ex Gustauianâ solũ progenie oriundum; Atq; potiùs eos persequemur, qui secùs attentauerint, aut fecerint: Et quamdiu hæc Regalis et Ducalis prosapia viguerit, ex illâ nostros, & Regni naturales, designatosq; Reges, atq; gubernatores duntaxat petemus, à quibus nullo pacto odium, inimicitia, simultas, aliæuè rationes, velut hominum astutia, suggestio, aut seductio, nos permouebunt, aut auocabũt, sub salutis nostræ, honoris, bonorum, & prosperitatis amißione, ac perditione. Deindè si contingeret aliquem indigenarũ, vel vnam vel plures Regni ditiones moderno, aut futuris temporibus (quod tamen Deo auxiliante non fiet) ab his deficere, vel aliàs tumultum quempiam, aut inconstantiam velle commouere, pro tenore juramenti, & abligationis nostræ robore promittimus, ac spondemus nos pro desiderio, & petitione Regis nostri electi, seriò in illorum suppreßionem, & punitionem auxilia laturos, ijs rebellibus neq; palàm aut clàm, consilio vel au

vel auxilio, diuersorio, aut vllo pacto, cibo vel potu, armis, aut alijs rebus necessarijs succurrendo, & roborando, sed eos pro viribus, & quantùm nobis possibile persequendo, ac ad internecionem delendo: Pari modo contra alias omnes externas impressiones, ac irruptiones, si ità necessitas postulauerit, fideliter & viriliter accurremus, atq; pugnabimus, nullum vitæ discrimen subterfugiendo.

Demùm alijs quoq; hæreditarijs nostris Principibus, qui ad Regium gubernaculum peruenire non poterint; Sed aliàs in prouincijs Regni, ex bonis feudalibus honestam sustentationem consequuti sunt, sine omni subterfugio, velut legitimis ditionum Ducibus, & electis Dominis fideles, obedientesq; futuri sumus, cum illis nihil aliud attentando, aut moliendo, quàm fidos decet eorum subditos; Sicut etiàm Regi Sueonum, conuenientem obedientiam, & debitum obsequium, velut fideles, & obligati Inhabitatores Regni, subditiq; promptè declarabimus, aduersus, & præter hanc Vnionem hæreditariam, sempiternam conspirationem, et coniunctionem, nullo prorsùs pacto rebellionem, aut contumaciam moliendo, velut neq; permittendo vt illa ab alienigenis, aut indigenis fiant; Sed vnanimiter moderno, & futuris tem-

poribus eiusmodi Vnionis hæreditariæ promißionem, & constitutionem, omnium nostrûm voluntate promptâ, erectisq; manibus acceptam, ipsis factis protegemus, & defendemus, huius inclytæ familiæ, & Regni commoditatem, pacem, & tranquillitatem promouentes, atq; amantes, omnem perniciem tempestiuè præcauendo, impediendo, atq; de illâ præmonendo.

Hæc omnia nos quàm fidelißimè, sine omni dolo malo, procrastinatione, nouis adinuentionibus, aut quibuscunq; hominum fraudibus, inuiolabiliter, inculpabiliter, atq; irreuocabiliter facere, & seruare volumus; Velut etiàm nunc vnanimiter, & peculiariter per fidem nostram christianam, honestatem, conscientiam, vitam, atq; poßeßiones, hoc Iuramento nostro in verax, & sempiternum testimonium, illa confirmamus, ac stabilimus, â quibus nec gratia, aut munera, odium, simultas, consanguinitas, affinitas, aut amicitia vlla, aliauè hominum maligna instigatio, prætextus, vel adinuentio aliquo pacto nos remorabuntur, aut dimouebunt, ità nos Deus adiuuet per suum sanctum Euangelium. In horum verò vberiorem certitudinem, atq; confirmationem, quòd hæc tractatio, conspiratio, & vnanimis assensio, aliaq; commemorata, secundum nostras, &

Regni

Regni Senatorum, Nobilitatis, Episcoporum, Prælatorum, Ordinum, Ciuitatum, Copiarum militarium, atq; Communitatis per totum Regnum concordes, singulares, & diligentes preces, postulationem & vnanimem consensionem, liberè in Regni, atq; Inhabitatorum prosperitatem, tranquillitatem, & emolumentum facta, ac transacta sint, & promissis, iuramentisq; confirmata, ac approbata, in perpetuum testimonium, quòd hæc, inquam, omnia firmiter, et inuiolabiliter sint à nobis seruanda, vnanimiter, & peculiariter nos qui hic præsentes sumus, aut fuimus, vnusquisq; prô se, & suis hæredibus succedentibus, omniũ nostrûm propria, & agnata, sicut etiàm Capitulorum, Ciuitatum, atq; Territoriorum sigilla hic supprimere curauimus, et proprijs manibus subscripsimus. Vicissim clementissimus Princeps, & Dominus noster, atq; alij Illustrissimi Duces nostri hæreditarij promiserunt, sese in præfatâ nos Religione christianâ viuere permissuros, atq; in eâ defensuros aduersus omnes diabolicas astutias, & hominum machinationes, quocunq; tandem modo à fraudulentis hominum ingenijs excogitatas, & cum puro Dei verbo, & Augustanâ Confessione in illo fundatâ non conspirantes: Similiter quòd nos gubernaturi sint secundum Iura Suetica, nostra legitimè

timè acquisita priuilegia, ad eorum, & Regni iurisdictionem nos semper promouentes, sicut veros nationis Suecicæ Principes hæreditarios decet, atque conuenit; Et prout illi corā Deo, ac toto mundo, optimo conscientiæ testimonio gaudere, nosq; de suis Celsitudinibus nobis certo certius persuadere, & confidere poterimus. Datum Norcopiæ 22 Martij, anno 1604.

IN *hoc commemorato* Decreto, *atq;* Vnione *hæreditariâ, nos prorsus* Sigismundi Regis *immiti, ac impio abdicauimus regimine, cùm non diutiùs eius imperio auscultare potuerimus, qui non semel sed aliquoties à nobis, non autem nos ab illo desciuimus, velut hoc abundè hactenùs inculcatum est:* Quâ *proindè* Constitutione, *nos legitimæ familiæ adstrinximus, secundum* Vnionis *hæreditariæ, &* Legum Suecicarum *tenorem, illi personæ nos alligando, quæ ad ætatem, & annos gubernaculo aptos peruenit, nosq;,* Regni Sueciæ *ordinibus auxilium, & subsidium ferentibus, pio atq; prudenti regimine, optimoq; consilio protectura, ac defensura:* Nam *inprimis, & ante omnia, diuino adminiculante auxilio,* S. C. *multis curis, & sollicitudinibus, à* Regis Sigismundi, *et omnium* Pontificiorum *hostilibus impreßionibus, amore paterno liberatos, pristinæ nos libertati restituit.* Hinc *non dubiam fouemus spem, quòd præfata* Norcopensis Constitutio, *non solùm ad Dei honorem, atq; gloriam, & religionis christianæ incrementum, sed etiàm ad patriæ concordiam vergat, vt etiàm,* Deo *auxiliante, intrepidè coram vniuerso orbe terrarum consistere poßit;* Siquidem *iustißimas habuerimus rationes, vt in hæc verba prorumperemus cum* Polonis, *qui ad* Regem *absentem hoc pacto scribebant:* Rege *diu carere non poßumus, propter grauißima pericula, in quibus tanquàm in lubrico versamur, quæ talia sunt etiàm, vt à nobis nequeant, nisi præsente* Rege *tolli.*

HInc *idcircò* Poloni *his verbis, in suis ad* Regem Sigismundum *litteris, vtebantur, quoniam certum* S. M. *diem præfixerant, quo in* Poloniam *esset rediturus, ad eos defendendos regiâ suâ authoritate, & potesta-*

potestate, eâ quidem comminatione adiunctâ, vt nisi præscripto tempore compareret, S. M. non mirum videretur, quòd alium in eius locum subrogarent Regem, cùm illis impoßibile esset, sine Rege, & capite diutiùs viuere: Idipsum nos quoq; Regi Sigismundo aliquoties suggeßimus, & obtulimus: Etsi propter rationes in superioribus paginis commemoratas, illius aduentus nobis exiguum gaudium foret allaturus, & binis vicibus experti eßemus, quid ille secùm adferret, secundū Parentis eius de vitâ migrationem; Nimirùm primâ vice varijs internuncijs, & litteris, à nobis Rex Sigismundus huc vocatus fuit, vt Regni huius gubernationem, secundum hæreditariam Vnionem acceptaret, vnde plùs detrimenti, quàm emolumenti, velut dictum est, percepimus: Etenim tumultus, & dißensionis maximam dedit occasionem, ac potißimùm vbi omnes Indigenæ liberâ, & quietâ frui conscientiâ magnopere exposcerent, illic in Religione dißensiones suscitauit, vnum contra alium instigans, subdolis quibusdam, & diuersis machinationibus vtendo, velut ex superioribus liquet tractatibus.

Alter autem Regis Sigismundi aduentus, non melior nobis extitit, sed quicquid primâ vice aduentans in patriam suam, operâ Consiliariorum suorum, & Iesuitarum dolis, fraudibusq; efficere nequiuit, illud deinceps suorum Consiliariorum auxilio, & Iesuiticis molitionibus fretus, violentiâ, atq; tyrannide ad opus perducere aggressus est, in perniciem extremam multorum hominum: Quæ nefariæ machinationes, licet nos minimè latuerint, earùm tamen non vsq; adeò magnum habuimus respectum, indies emendationem à Rege Sigismundo exspectantes; Sed, prô dolor, spe nimis lactabamur inani; Verùm nunquid his contenti fuimus? minimè vero: Nam licet contra Iuramenti sui vigorem enormiter deliquisset, frequenter scripsimus tamen illi, seriò admonentes, & rogantes, quò S. M. in Regnum hæreditarium sese tandem conferret, cùm nobis non minùs esset incommodum sine Rege, & certo regimine viuere, quàm Polonis. Sed Rex Sigismundus hanc nostram admonitionem fidelißimam, nullo loco prorsùs duxit, multò minùs nos dignos iudicauit, vt nostris quidquam responderet litteris, vt sæpiùs inculcauimus, ideò iure meritißimo cum Polonis exclamauimus, hoc pacto: Eritnè ampliùs Succia sine Rege salua? minimè gentium: Regem oportet vt nos habeamus, etc.

Non equidem eo tempore penuriâ Principum laborauimus, quorum

rum aliquem ad regale solium promoueremus; Quandoquidem duorum Principum electionem habuerimus, nimirùm Serenißimi Principis Ducis Caroli, moderni Regis nostri, atq; Illustrißimi Principis Ducis Iohannis, quorum alteri Regni fasces committendi eßent, cùm Sigismundus Rex, quem secundum Iura, & Vnionem hæreditariam pro nostro Rege agnouimus, & constituimus, nos omninò dereliquisset, postquàm inclementer nobis dominatus esset, omnemq; admonitionem prorsùs contempsißet: Nam illi prorsùs renunciare noluimus (nè Maiorum nostrorum Decreta, Iura Suetica, & Vnionem hæreditariam transgredi videremur, quæ circa Regum filios, multis abhinc centenis annis vsitata fuit, sicut etiàm deinceps, tempore Diui Gustaui Regis renouata, & in principio huius Historiæ introducta) priusquàm Regi Sigismundo sufficienter in memoriam omnes defectus suos reuocaßemus, ac cognouißemus quid nobis ab illo expectandum, cùm Iuramenti sui, & promißionis frequens transgreßor fuerit deprehensus, vt copiosum hæc Historia sæpenumerò perhibet testimonium.

Atqui hac ex parte cùm nihil nos efficere posse cognosceremus, alia media aggreßi sumus, quæ nobis tolerabiliora videbantur, vt illis freti, nos eiusmodi subijceremus regimini, à quo religioni nostræ Christianæ nihil periculi eßet acceptandum; Similiter nè violentia, aut tyrannis vlla in spiritualibus, aut sæcularibus negotijs alicui obtruderentur, velut regnante Sigismundo factum erat. Non tamen hoc pacto à legitimâ nostrorum Regum prosapiâ, atq; Vnione hæreditariâ desciuimus, quam eo pacto nuper renouauimus, vt coram Deo, & toto orbe terrarum illam posse consistere arbitremur.

Quanquàm verò ingenuè nobis fatendum, neminem secundum veterem Vnionem hæreditariam, ad Regni Diadema capeßendum propinquiorem fuiße (siquidem Rex Sigismundus suum ius ad Regnum Sueciæ, pro se & suis liberis perdidit) quàm Illustrißimum Principem Ducem Iohannem, Regis Iohannis (inclytæ recordationis) iuniorem filium, cui proindè Regni gubernationem præsentauimus: Tamen cùm Illustrißimus Princeps Dux Iohannes, eo tempore iuuenis admodùm fuerit Dominus, vt tàm molesto Regni gubernaculo eà tempestate aßidere non potuerit, licet, vt dictum est, non solùm eo tempore, verùm etiàm aliâs frequenter postmodùm Regni habenas S. C. obtulerimus; Ideò S. C. tunc temporis, perindè ac modò in solennitate Coronationis clemen-

clementißimi Domini, *&* Regis *nostri, illas acceptare noluit:* Imò Nor*copiæ quandò* Vnio *hæreditaria renouata fuit, & confirmata, huiusmodi oratione iustißimam suam deposuit excusationem.*

POtentißime, atq; Serenißime Princeps, *dilecte* Domine Patrue, *quandò ea beneficia apud animum meum tacitè considero, quæ mihi à* V. D. *præstita sunt, postquàm* Deus omnipotens Parentes *meos ex hoc ærumnarum pelago, ad æternam beatitudinem euocauit, atq; ego ad aulam* V. D. *perueni, in veritate deprehendo eam beneuolentiam tantam esse, vt eam nunquàm digno satis encomio extollere, multò minùs promereri, aut pari officiorum genere compensare poßim.* Nihil *equidem de eâ curâ paternâ dicere volo hoc tempore, quam* V. D. *adhibuit in me educando, & instruendo in omnibus* Christianis, *et* Ducalibus *virtutibus, artibus liberalibus, atq; peregrinis idiomatibus, omni pacto mihi abundè prouidens, & liberaliter sustentans:* Sed *illud potißimùm nunc mihi in memoriam reuocabo, quantam scilicet diligentiam* V.D. *adhibuit, nè in manus* Iesuitarum, *&* Pontificiorum *inciderem, & ad eorum pestilentißimam religionem seducerer.* Proindè *cùm vix vnquàm per facultates meas licebit, vt eam paternam sollicitudinem, diligentiam, & molestiam ipso opere promerear, & compensem, ideò inprimis, & ante omnia* Deum *præpotentem obnixè rogabo, quò* V. D. *vnà cum dilectißimâ* Coniuge, *&* Illustrißimis Liberis, *quà in hac, quà in futurâ vitâ copiosè refundere dignetur:* Interim *tamen omnem adhibiturus sum diligentiam, vt sanè omni obedientiâ, & humilitate, pro extremis viribus meis, eam fidelitatem, quam* V.D. *mihi sæpiùs declarauit, & indies adhuc declarat, saltem aliquo pacto retribuam.* Cæterùm *quandoquidem* V. D. *ante aliquot dies, nonnullos mihi articulos proposuerit deliberandos, gratiosè à me postulans, quò meam super illis patefacerem voluntatem, quod ipsum* Regni Ordines *à mè deinceps quoq; efflagitarunt;* Ideò V. D. *respondendum duxi petitioni, humiliter obsecrans, quò* V. D. *hanc meam seriam (cui semper adhærere decreui) mentem clementer interpretetur, & acceptet.*

Oratio Ducis Iohannis.

Vniuersi Ordines Regni, *potentißimè* Princeps, *dilecte* Domine Patrue, *diuersis Comitijs, &* Conuentibus, *sicut etiàm hac præsenti* Congregatione Ordinum *factum est, vnanimiter & concorditer* V. D. *pro suo* Domino, *& gubernatore agnouerunt, ac acceptarunt, cui proindè omnem obedientiam, fidelia obsequia, securitatem, & virilem aßi-*

stentiam, velut naturali & dilectißimo Regi promiserunt: Siquidem V. D. vnicus secundum Deum fuerit protector, qui præsentißimo vitæ discrimine, molestiâ, atq; impensis omnem diligentiam, & conatum adhibuit, vt eos ex caligine Pontificiâ liberaret, & peregrino iugo, seruitutiq; subduceret, quæ nostris ceruicibus intentabantur; Et aliâs pro omnium nostrûm salute, emolumentoq;, tàm in spiritualibus, quàm corporalibus negotijs excubando, nullis poßeßionibus, imò neq; vitæ ipsi pepercit: Similiter omnes & singulos, Ecclesiasticos ac Politicos, summos infimosq;, quemlibet pro suo statu, & conditione, in religione christianâ conseruauit, & protexit. Sicut etiàm secundum Iura Suetica, & cuiusq; legitimè acquisita priuilegia, omnimodè gubernauit; Ideò, inquam, Ordines Regni Sueciæ, his atq; alijs maximis de caußis, velut quoq; propter eam authoritatem, & iurisdictionem, quæ à suis Maioribus consequuti sunt, V. D. pro nostro Rege designarunt, atq; elegerunt: Quam profectò electionem ego, neq; pro meâ personâ, aut per alios palàm aut clàm, nunc vel vbi vigesimum quartum annum impleuero, aut etiàm indè progreßu temporis vnquàm euertere, aut in nihilum redigere conabor. Sed prorsùs ijs, quæ semel constituta sunt, atq; vnanimiter ab omnibus Regni ordinibus decisa, me contentum semper præbebo, facileq; patior, vt eum successum habeat Vnionis hereditariæ renouatio, quam V. D. ab Ordinibus postulauit: Vndè si V. D. ex hac vitæ statione commigraret, (quod Deus adhuc quàm diutißimè prolongare dignetur) omni conatu ad hoc incumbam, nè V. D. Illustrißimæ Consorti, vel certè V. D. charißimis Liberis aliqua, vllo pacto, inferatur iniuria, ad hoc pro viribus insuper adnitendo, quatenùs Illustrißimus Princeps, Dominus Gustauus Adolphus, dilectißimus confrater meus, Regni Sueciæ habenis potiatur: Atq; si ille absq; legitimis hæredibus masculis, vitæ terminum imponeret, pari ratione suppetias laturus sum, vt Serenißimus Princeps Dominus Carolus Philippus, confrater meus vnicè colendus, viduo Regni gubernaculo admoueatur, quibus me talem in omnibus exhibebo, qualem decet fratrem amantissimum. Quocircà quàm humillimè V. D. obsecro, quò tandem aßiduæ Regni ordinum petitioni consensum præbeat, caput primo quoq; tempore Suetico Diademati submittens, patriæ nostræ statui miserabili compatiendo: Hoc siquidem pacto, plurimos tumultus intestinas dissensiones, atq; discordias V. D. tollere quàm facillimè poterit de Reipub-

pub. Suecanâ, quæ maiora incrementa fortè capient, nisi tempestiuè nostræ subscripserit postulationi; Deinceps securiùs quoq; V. D. gubernaculo aßidere, atq; ità inposterùm velut hactenùs, patriæ emolumentis inuigilare poterit. Hæc si fecerit, eam ego spem concipiam, quòd V. D. vnà cum Regni ordinibus permißura sit, quò illo Ducatu potiar, atq; fruar, qui mihi Lincopiæ fuerat aßignatus, vnà cum ijs bonis hæreditarijs, quæ iure ad me spectare poterunt, mihiq; aßignanda vbi ad legitimam peruenero ætatem; Interim V. D. nec volo, nec possum præscribere, quà ratione hæc gubernanda, humiliter duntaxat rogans, vt V. D. ità inposterùm, velut hactenùs, meis patrocinari commodis dignetur, hoc pacto de omnibus meis rebus disponendo, prout V. D. optimum fuerit visum, atq; mihi proficuum, bisce V. D. in suo proposito fælicem succeßum, diuturnum, atq; prosperum vitæ tempus, sicut etiàm faustum, tranquillumq; regimen, ex intimis animi sensibus optans, ac super his omnibus enumeratis, V. D. manum meam in præsentiâ Ordinum Regni porrigens.

Deinceps etiàm hæc transactio, inter clementißimum Dominum, & Regem nostrum, ac Illustrißimum Principem Ducem Iohannem, Örebrogiæ anno 1600. porrò determinata, nimirùm vt S. C. honesto Ducatu, velut totâ Ostrogothiâ foret contenta, nullamq; ampliùs ad Regnum Sueciæ, pro se, aut suis hæredibus iurisdictionem vrgeret, aut quæreret, priusquàm illi casus, qui in renouatâ Vnione hæreditariâ Norcopiæ, & hic introducti commemorantur, fortè accidissent.

Coronatio CAROLI Noni an: 1607.

Quocircà cùm Illustrißimus Princeps Dux Iohannes, hoc regiæ Coronationis tempore, eos attigerit annos, vt S. C. decimum nonum ætatis annum nunc agat, optimeq; idcircò rerum suarum emolumenta discernere poßit, confidimus S. C. in nullâ re querelam nobis meritò intentare posse: Potißimùm si illa nobiscùm exempla, quæ etiàm ex peregrinis nationibus, & Regum familijs in simili negotio petere poßumus, paulisper considerauerit, quæ liquidò testantur, plurimos suâ hæreditariâ Iurisdictione exutos esse, alijs in locum ex eadem familiâ subrogatis, non tamen vsq; eò grauibus de causßis, sicut nos hoc tempore permouerunt.

Etenim quid huius temporis conditio, potißimùm in patriâ nostrâ requireret, seriò considerauimus, videlicet afflictißimum patriæ statum, certum postulare gubernatorem, qui cùm prudentiâ Regni clauo

 aßideret,

assideret, ità vt nisi tempestiuè hoc factum fuerit, immensa totius Regni *pernicies indè proflueret,* Deindè *his periculosis, & repentinis machinationibus, vndequaq; patriam nostram quotidiè impetentibus compulsi sumus, vt cum pro* Dno *nostro, &* Rege *, gubernatoreq; eligeremus, qui prudentiâ, & rerum experientiâ, ætateq; maturâ decoratus esset.*

Ex *his omnibus, quæ de vniuersis controuersiæ huius negotijs, cum suis circumstantijs commemorata sunt, vnusquisq; veritatis amans, non obscurâ poterit colligere coniecturâ, quàm legitimis, & rationabilibus compulsi simus rationibus, vt nos* Sigismundi Regis *prorsùs abdicaremus imperio;* Nimirùm *inprimis, & ante omnia, quòd* S. M. *à religione nostrâ christianâ, & à* Testamento *auito desciuerit, atq; etiàm à suo* Iuramento, *& promissione, velut quoq; ab ijs, quæ suo* Domino *parenti, serenissimo* Regi Iohanni *(diuæ memoriæ) sanctè promisit, videlicet, quòd nullum* Regni Sueciæ *finibus illaturus esset decrementum, aut in regno peregrino constitutus, vllis transactionibus de patriâ* Repub. *esset subscripturus, inscijs, & inconsultis* Regni Sueciæ Ordinibus: Nec *minùs sine* Ordinum *cognitione, non semel sed aliquoties ex hoc* Regno Rex Sigismundus *profectus est, multos secùm ex* Cancellariâ *sueticâ tractatus magni momenti exportans;* Sicut *etiàm multarum rerum operationem aggressus, quæ cum maximo* Regni Sueciæ *detrimento, & præiudicio foret coniuncta,* Patruumq; *suũ charissimum, omnesq; eos qui religionem* Pontificiam *acceptare nollent, publicis armis insectatus est:* Arcem Kexholmensem *priusquàm aliqua transactio, cum magno* Duce Moschouiæ *de pace perpetuâ esset instituta, & absoluta, dono quasi alienauit:* Ciuiles *in hac patriâ suâ discordias, sanguinisquè copiosissimã profusionem commouit, & effecit vt vna contra aliam insurgeret prouincia, vndè plurimi vitæ, ac bonorum sempiternam traxerunt perniciem:* Laudabiles *illas, atq; vtilissimas* Constitutiones*, quæ illo absente, in eius atq; totius* Regni *emolumentum, fideiq; christianæ incrementum fuerant confectæ, atq; approbatæ, contempsit ac submoliri conatus est:* A Transactione Lincopensi *turpiter desciuit, tertiâ vice clanculùm ex* Regno *profugiens:* Munitionem Calmariensem *peregrino tradidit militi custodiendam, quæ non sine plurimis impensis, atq; sanguinis profusionibus, à* Sueonibus *recuperata, & viris externis subducta:* Classem *naualem* Regni Sueciæ*, quotquot ex eâ naues obtinere potuit, abduxit,*

duxit, & postmodùm contra patriam vsus, dùm arcem Elsborgensem Coronæ Sueticæ subducere machinabatur, in itinere littorum accolis miserrimè diuexatis, & spoliatis à milite classiario Sigismundi Regis: Dilationem contra tenorem fœderis Stetinensis, & suum promissum, super legitimis, & peculiaribus Regni Sueciæ insignibus, tribus videlicet Coronis, Danis concessit: Non tanti suos patriotas Suenones æstimauit, vt minimo verbo officiosissimis eorum litteris respondere dignatus sit, vt neq; ad humillimã, & creberrimam illorum petitionem, filium suum in Sueciam transmittere voluit, secundum Vnionem hæreditariam, successionemq; educandum, in ipsius, & Regni Sueciæ emolumentum, ac progressu temporis, Regem Sueciæ designandum: Atq; licet, eiusmodi conditiones illi, filioq; fuerint oblatæ, nihilominùs huius Regni detrimentis vndequaq;, & omnibus modis inuigilauit, dilectissimum patruum suum, atq; alios omnes Pontificiæ religioni suffragari nolentes, grauissimè persequens. Deniq; Rex Sigismundus apud animum suum seriò constituit, diuersorum hostium animos, & arma in Sueones acuere, horrendum sanguinis eluuium popularibus suis inducere cogitans, cùm decreuisset, & iam ad opus perduxisset, vt per Monachum illum profugum, tyrannum & virginum defloratorem Grischam Otrepiam, Regnum Sueciæ sibi certò subigeret, ideò tantùm ei suppetiarum tulit, vt Moschouitico regimine potiretur, quo cum conspirauit, eiq; persuasit vt perpetuam illam pacem, inter Sueones, & Moschos constitutam violaret: Neq; his contentus, siquidem vbi præfatus tyrannus de medio sublatus esset, alium in eius locum substituit, per quem similiter, sibi Regnum Sueciæ subiectum iri arbitratur (quod Deus clementer auertat) idipsum quoq; apud alios vicinos Monarchas, in Regni Sueciæ perniciem machinatus, vt manifestum est.

Ad extremum, quamuis in hac Historiâ non nihil anteà commemoratum sit, quo pacto Rex Sigismundus tempore Coronationis suæ, charissimum patruum clementissimum Regem nostrum modernum, crudelissimè trucidare constituerit; Attamen prætermittere non possumus, quin horrendum illud facinus attentatum, hoc loco repetamus: Etenim Rex Sigismundus, velut tyrannus crudelissimus, tempore Coronationis suæ, Legati Pontificij, aliorumq; Consiliariorum nefarium consilium secutus, primo conuiuiorum die, Patruo per quosdam nebulones vim, & mortem inferre decreuit, vt abundè licet colligere ex Iacobi Typocij Relatione

latione historicâ, sicut etiàm ex confeßione Hieronymi Strozi, quâ ratione Sigismundus Rex per quendam musicorum suorum, nomine Christopherum Clabon, cantionem vnam his versuum desinentijs, & repetitionibus concinnare curauerit: Non curo, Non curo, etc: Hac quidem intentione, & signo clanculùm communicato, vt dùm præfata cantio occineretur, extemplò in S. C. modernum Regem nostrum clementißimum irruerent sicarij, illum cum vniuerso comitatu, per summum scelus trucidantes. Verùm hæc nefaria machinatio, ex singulari prouidentiâ Dei, effectum non est consequuta, quem Rex Sigismundus cum suis nefarijs Consiliarijs libenter vidisset.

Iam verò omnes controuersiæ huius synceros, & candidos æstimatores adhortamur, vt ingenuè fateantur, an commemoratæ machinationes, & sceleratæ actiones, sufficientem non præbuerint nobis Sueonibus caussam, vt Sigismundo Regi, eiusq; hæredibus prorsùs renunciaremus? Quòd cùm ità sit, de omnibus per Christianitatem Monarchis, Regibus & Principibus, quocunq; tandem nomine, & potestate gaudentibus, sicut etiàm de vniuersi orbis christiani Inhabitatoribus certo certius nobis persuademus, nos apud eos excusatum iri, quòd Sigismundum Regem, eiusq; imperium repudiauerimus, neq; iuramentum, litteras, vel vllum promissum obseruantem, quiq; conductis sicarijs, in mortem immerentis Patrui conspirauerit, illudq; in ipso regiminis sui vestibulo, nullâ aliâ de causâ, quàm propter occultum illud odium, quod religionis nomine, erga patruum suum fouebat, eò quòd papatus propagationi apud Sueones, secundum Regis Sigismundi desiderium, non voluerit subscribere. Quàm igitur amabò nos securitatem ab eo exspectaremus, qui proprio & proximo suo consanguineo non pepercit? Speramus proìndè, sicut etiàm postulamus impensè ab omnibus christianitatis Magnatibus, Imperatore, Regibus, Principibus, & Electoribus, humiliter, officiosè, diligenter, & amicè, quò hanc legitimam nostram excusationem, verißimamq; Exegesin historicam, synceré atq; candidè (velut sese illa in veritate habet) interpretentur, clementer, & gratiosè acceptent, ac æquißimæ nostræ caußæ, in optimam partem memores, nos beneuolâ excusatione, & contra omnes calumniatores defensione prosequantur.

ELEN-

ELENCHVS RERVM IN HOC opere primariò compræhensarum veraciter indigitans inuentionem.

Cccc Regi

Illius

Tandem aliquandò, Lector beneuole, huius operis metam dexterâ nobiscùm vnà contingis; Atq; si ipsum Libri curriculum, minùs placido excurrat sermonis tramite, inæquali Orationis contextu hiulcum, Gothicismis velut sabulo passim subasperum, & crebro Calchographi sphalmate ceu scopulis molestum, tuam his de caussis offensam se sperat euasurum Translator. Quòd paginæ aliquot latinitate aliàs donatæ, sine styli conformatione operi fuerint inserendæ; Quòd contextui Suetico mordicùs inhærere verbo, mandatum seuerè regio, nè aliqua secùs à sententiâ vernaculæ contingeret exorbitatio; Quòd sesquimestri duntaxat ab Amanuensibus excepta, & rescripta translatio; Quòd deniq; tanti operis aliàs nunquàm his frequentata Molybdographis excusio, imò rara illis latiæ obueniat dictionis impressio, quæ laboris insuetudo, certa erroris admissio; Ad calcem verò Codicis, erratorum appingere centurias, nullâ superflua permisit nobis pagina: Quæ proindè, Lector, virgulâ benignè corrigas censoriâ, neq; tantùm neuis typi, quantùm ex illo promicantem syncerìs radijs Sueonum caussam iustissimam consideres & collaudes. Itaq; prœli, ac litis negotium probè nosti Sueopolonicæ, vtriusq; candidus sis arbiter, & vale.





